L. MURILLO S. I.

S ET PAULI SCRIPTA

PRIMA PARS

PAULUS

ROMAE
SUMPTIBUS PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI
Piazza della Pilotta, 35

1926

221.08
MUR

L. MURILLO S. I.

PAULUS ET PAULI SCRIPTA

PRIMA PARS

PAULUS

WITHDRAWN

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA "CAMPITELLI"
Via Orazio Coclite 50-A

1926

WITHDRAWN

121
MOR

PROLOGUS

Opus quod sub titulo " Paulus et Pauli scripta „ publici iuris facimus, non praeproperi aut tumultuarii, sed assidui accuratique pro nostra facultate per multos annos laboris fructus est. Et quamquam thema nimis tritum quibusdam forte videri posset, aequos tamen rerum aestimatores non continuo ex solo titulo de re ipsa iudicaturos speramus ; cum enim semper apud cordatos quosque visa sit ardua res Pauli sensus recte interpretari eorumque genuinam intelligentiam adipisci, rem nos multis haud ingratam facturos speramus si etiam sub modesto titulo, deque materia trita, aliquid proferamus quod ad planiorem apostolicorum sensuum notitiam inter fideles aliqualiter conferre possit.

Certe a 19 abhinc saeculis plurimi, iique praestantissimi ingenio atque scientia viri in explanandis Pauli sententiis diligentem operam posuerunt non solum intra Ecclesiae septa, sed etiam extra illa, et nostra quidem aetate vix non plures extra, quam intra ecclesiasticos coetus ; et nihilominus paulina documenta novam semper investigatoribus copiosamque segetem praebuerunt ita ut paulini fontes, nedum exhausti dici possint, perennem uberemque accedentibus, sicut prima die, selectissimae eruditionis materiam suppeditent. Nec cum de explanando Paulo, et in genere iis quae ad rerum christianarum primaevas origines pertinent res agitur, nova semper in medium proferre necesse est : cum in tali argumento ubi tam ingens, fere per omnia, perturbatio passim grassatur, illud magis valeat : " non tam nova quam vera „ ; cumque alienum a graviori mente sit velle semper nova sectari, novisque aut solum aut potissimum delectari. Quare praelaudato nos axiomati libenter insistemus et eo magis quo in tanta fundamentalissimarum veritatum subversione, restaurasse innovasse est ; ac si vera sunt quae in medium proferuntur, eo ipso

plerumque etiam nova erunt: usque adeo enimvero sententiae quae de Apostoli sensis, conceptione, doctrinis passim circumferuntur absonae saepissimae sunt atque a vera Pauli mente plane abhorrent.

Peculiarem quaestioni de mosaismo in Ecclesia primitiva curam impendimus, cum de re in primis fundamentali agatur, eique novam, vel si magis placet, accuratiorem solutionem applicare conamur; quae enim communiter proponi solet, nisi enucleatius evolvatur quam a plerisque fit, eam nos minus firmam exsistimamus, ut essentia Evangelii plane incolumis emergat contra hodiernam apud protestanticos criticos vulgatissimam sententiam quaeque nonnullos etiam ex catholicis plus minusve contaminavit, de primaeva christianorum fide. Pauli ministerio, Apostolique in eo obeundo subsidiis atque industriis describendis singularem pro modulo nostro diligentiam adhibendam curavimus: in Pauli vero doctrina enucleanda, seriae textuum analysi inhaerendum atque insistendum iudicavimus, quia non de asserendo solum, sed de demonstrando agitur, idque studiosi maxime cupiunt. Nemo autem miretur quod, cum de paulina conceptione investiganda agatur, nondum de Pauli scriptis, scripta nihilominus ipsa in testimonium afferamus; in hac enim tractatione, Apostoli scripta non ut talia, i. e. ut documenta concrete ad certum litterarium genus pertinentia, certo inter se ordine conscripta, sub certis compositionis legibus exarata, certo tempore et ad certos lectores sub certis adiunctis destinata desumimus; sed solum ut vehiculum apostolicae conceptionis transmittendae, ut tabulas ubi cogitata Pauli cubant.

Quod si quis observet, etiam in tali tractatione bonum ordinem potius postulasse ut prius eorum historicum valorem expenderemus quo, iactis firmiter fundamentis, securi initam viam percurreremus, huic nos respondebimus, certe hunc quoque ordinem aptum esse; sed, cum paulina monumenta hodie fere omnia, passim etiam a rigidioribus criticis ut authentica recipiantur, satius nos opportuniusque nostrum ordinem adhibendum exsistimasse; nam ad intelligenda dein atque penitius ac plenius penetranda scripta singula in propria eorum conformatione plurimum prodest generaliorem hanc tractationem praemisisse.

In re bibliographica plus ad dignitatem et selectionem attendimus quam ad numerum et recentem scriptorum conscriptionem. Itaque, cum de exponendis hodiernorum criticorum theoriis aut

opinionibus agitur, classicos maxime et qui ut tales passim agnoscuntur in medium afferemus ; iis enim eorumque sententiis atque argumentis discussis, praecipua scientiae nostrae aetatis capita discussa iudicari possunt. Haec tamen non ita intelligi vellemus quasi magna de nobis profiteremur : afferimus in medium pro nostra tenuitate diligentiam, laborem ac bonam voluntatem. Fortassis quibusdam solutio proposita ad quaestiones de mosaismo, saltem primo intuitu minus firma videbitur : speramus fore ut re maturius expensa suspicio cessatura sit : quomodocumque res se habeat saltem non improbabilem iudicandam fore fiduciam fovemus. Vitam Pauli breviter perstringimus exceptis iis quae maioris momenti sunt et ad praecipuum libri argumentum intelligendum magis conferunt. Adhibemus linguam latinam ut pluribus prodesse possimus, si liber gratiam apud lectores nanciscatur.

INDEX

PRIMA PARS : PAULUS.

Liber 1us. Paulus religionis praeco.

Sectio 1ª: Pauli vitae conspectus.

I. Paulus ante susceptam fidem.

PAG.

1. Pauli ortus et prima institutio 1
2. Pauli conversio 6

II. Paulus Apostolus.

1. Paulus missionarius inter iudaeos. 17
2. Pauli ministerium inter ethnicos Antiochiae 24

III. Pauli itinera transmarina.

1. Pauli primum apostolicum iter 27
2. Controversiae de mosaismo initia 31
3. Pauli secundum iter 34
4. Pauli tertium iter 51
5. Pauli a iudaeis comprehensio 60
6. Pauli processus: 1ª pars: Ierusalem et Caesarea 63
7. Pauli iter romanum: altera processus pars et novissima Apostoli fata . 67
8. Pauli sub Nerone martyrium ob fidem 74

IV. Pauli chronologia.

1. Vita et ministerium chronologico ordine digesta 77
2. Singularia quaedam Pauli chronologiam illustrantia 83

Sectio 2ª: Paulus in ministerio.

I. Pauli ad ministerium subsidia.

PAG.

1. Pauli temperies, valetudo, corporeae vires 98
2. Pauli ingenium et multiplex in litteris eruditio 103
3. Uberiora quaedam sive a natura sive ab arte ad ministerium subsidia . 114
4. Pauli dona supernaturalia 124

II. Pauli in ministerio praxis.

1. Paulinae praedicationis nota characteristica 128
2. Pauli in evangelizando methodi et industriae: *a*) locus ad praedicandum; *b*) argumentum *c*) catecheseon diversa genera (99) *d*) earum forma *e*) usus Scripturae *f*) ministerii gratuitas; *g*) Praefectorum constitutio 134
3. Pauli adiutores eorumque ministeria 148

Sectio 3ª: Pauli controversiae.

I. Magna de mosaismi valore cum iudaeis ac iudaizantibus contentio.

1. Primitiva Ecclesiae fides de Christo salutis fonte 155
2. Actus et Epistolae in historia controversiae de mosaismi valore . . 159
3. Criticorum vacillationes in exponenda quaestione 163
4. Clavis fundamentalis ad controversiae solutionem 167
5. Singularis quaedam Professoris Harnack sententia 181

II. Universalismus in Ecclesia primitiva.

1. Paulus et Duodecim in universalismi historia 190
2. Apostolorum mens de universalismo Evangelii ante exortas controversias . 199
3. Quid factum praedicationis ad gentiles in Evangelii historia secum ferat . 209
4. Stephanus et hellenistae hierosolymitani in universalismi historia . 210
5. Nonnullorum catholicorum sententia de hellenistis. 215
6. Veterum de Evangelii universalismo apud apostolos sententia . . 219

III. Controversiae de mosaismo diversa strata.

1. Epistola ad Galatas: eius tempus et lectores 224
2. Conditiones ad quaestionem recte solvendam 227
3. Controversiarum de mosaismi valore resonantia 238
4. Pauli prudentia et magnanimitas in universalismo persuadendo . . 241
5. Singularis Professoris Harnack sententia de Pauli universalismo . . 244
6. Controversiae de mosaismo exitus 247

Liber 2us.: Paulus religionis Doctor.

Praeambula de Pauli theologia.

PAG.
1. Conceptus paulinae theologiae 250
A) Paulus vĕre theologus, non mysticus
B) Propior paulinae theologiae delineatio. 255

Sectio 1a: Restitutio per Christum: Restitutoris persona et munus.

I. Restitutoris promissio et characteres.

1. Praefinitiones divinae de opere per Christum consummando . . 259
2. Restitutoris persona: Christi divinitas 262
a) Philipp. 2, 5–7 263
b) Col. 1, 15–17 269
c) Hebr. 1, 1–3 274
d) Rom. 9, 5 276
3. Christi humana natura 277
4. Unio naturarum in Christo secundum Paulum 281
5. Christus "spiritus„: Dominus spiritus est 284
Excursus de Christi indole deque eius kenosi et doxa: theoria J. Weiss. 286

II. Opus Christi restitutorium.

1. Notio restitutionis per Christum peragendae: primordialis protoparentum conditio 291
2. Lapsus in Adamo 295
3. Adaequata reparationis causa 303

Sectio 2a: restitutio per Christum in opere: inchoatio.

I. Dispositiones ad iustificationem.

1. Processus restitutionis: inchoatio et consummatio 310
2. Sola fides in Christum, non ullum naturae subsidium vera conditio ad iustitiam. 312
Excursus de paganorum dissolutione in moralibus et religiosis . 315
3. Fides non ipsa iustitia, sed ad iustitiam dispositio 319
4. Fides assensus mentis, non fiducia cordis: obiecta pro fide-fiducia . 321
5. Fides et opera in Pauli technologia. 328
6. Operum ad iustitiam imparitas 334

II. Processus iustificativus.

PAG.

1. „ Iustitia Dei „ non attributum divinum 336
2. Iustitia forma est et remissiva peccati et inductiva rectitudinis . . 340
3. Actus iustificandi in Deo et indoles inhaesiva iustitiae 341
4. Iustitia fidei et iustitia operum 349
5. Iustitiae infusio eiusque per proprios characteres descriptio . . . 355

III. Iustitiae infusae fructus.

1. Incorporatio ad Christum 359
2. Servitus peccati et servitus legis: liberatio ab utraque 362
3. Status sub lege et status sub gratia 366
4. Peccatum, lex, humanum arbitrium 373
5. Spiritus infusus 376
6. Spiritus Sancti inhabitatio: huius amplissima consectaria . . . 380
7. Vocati secundum propositum quinam? 390
8. Obiecta et solutiones. 393

Sectio 3ª: Alterum restitutorii operis stratum: restitutio consummata.

I. Finalis renovatio.

1. Apocatastasis et resurrectio 397
2. Resurrectioni adnexa 401
3. Resurrecturorum dispar conditio: dotes 406

II. Ordo executionis in opere consummatorio.

1. Parusiae notio et momentum in paulina restitutionis conceptione . . 410
2. Parusiae proximitas secundum Paulum 413
3. Parusiae obex 423

Liber 3us: Paulinae conceptionis fontes.

Sectio 1ª: Paulinae conceptionis nexus cum sectis coaevis.

I. Fontes perperam assignati.

1. Paulus et iudaismus 429
2. Paulus et mysteriosophia hellenistica 436
3. Paulus et hellenismi mysteriosophici gnosis 444

PAG.
4. Gnosis paulina in conflictu cum hellenistica 451
5. Paulus et mystica cum Christo copulatio 455
6. Paulus et alexandrinismus philonianus 461

II. Genuini paulinae conceptionis fontes.

1. Revelatio Christi; Vetus Testamentum, praepaulina traditio . . . 474
2. Paulus et Iesus 478
3. Fontium assimilatio: evolutio, an simultanea possessio . . . 481
4. Quid de conceptionis paulinae evolutione pronuntiandum . . . 489

Sectio 2ª: Paulus et Vetus Testamentum.

I. Veteris Oeconomiae ad novam habitudo in paulina conceptione.

1. Lex et Evangelium in conceptione paulina 495
2. Iudaismus et christianismus in dogmate 504
3. Iudaismus et christianismus in ritualibus 509
A) Christi Sacerdotium 509
B) Specifica Christi, qua Sacerdotis functio 516
C) Christus coelestis Pontifex. 519
D) Veteris oeconomiae ritualis ad novam habitudo. . . . 521
4. Eucharistia in theologico Pauli systemate 525
5. Iudaismus et ethnicismus in coetu christiano 531

II. Usus Scripturae Veteris Testamenti apud Paulum.

1. Usus demonstrativus Veteris Testamenti 541
2. Amplitudo, limites, criteria usus demonstrativi 556
3. Allegationum ex Vet. Test. textus 563

BIBLIOGRAPHIA

Sequens elenchus praecipuos exhibet Auctores quorum scriptis in conficiendo opere usi sumus.

Textus.

Ad textum graecum, quo constanter in nostris interpretationibus usi sumus adhibemus editionem nestlianam quia pervulgata passim est in scholis etiam catholicis. Non tamen sine delectu eius lectiones sequimur, sed adhibitis quando opus est, in auxilium subsidiis criticis sive versionum et Patrum, sive apparatus editionum criticarum Tischendorfii, Westcott-Hortii, von Soden et manualis Vogelsii.

Patres et scriptores antiqui.

Inter Patres graecos: Iustinum (M. P. G. vol. 6), Iren. (M. P. G. vol. 7). Clem. Alex. (M. P. G. voll. 8-9) Orig. (M. P. G. voll. 11-17), Eus. caes. (M. P. G. voll. 18-22) Chrysost. (M. P. G. voll. 47-64). Theodoret. (M. P. G. voll. 80-82) Inter latinos: Ambrosiastrum (M. P. L. 17), Ambrosium (M. P. L. voll. 14-17), Hieron. (M. P. L. voll. 22-30), August. (M. P. L. voll. 32-43), Primas. (M. P. L. 68, 417-793). Iosephi Fl. Oper. (ed. Obertür 3 voll.) ed. Niese (2. voll.); Philon. Oper. (ed. Mangey 5 voll.)

Scriptores medii aevi.

Medio aevo eminent Haymo (saec. IX. M. P. L. 117-361-938): Herveus (saec. XII M. P. L. 181, 391-1920); S. Thomas. Accedit Cajetanus de quo non omnes eodem modo iudicant, est tamen plus quam mediocris (1).

Scriptores Recentiores.

Saec. XVI et XVII Toletus, Estius, Giustinianus, Corn. a Lapide, Bellarminus.

Scriptores nostrae aetatis.

Baur: *Der Apostel Paulus* 1845.

Beelen: *Rom.* 1854; *Actus Apost. Philipp.* 1850.

Belser: *Einleitung in das N. T.*[3] (1905), *Beiträge zur Apostelgeschichte* (1897) *Die Selbstverteidigung des Ap. Paulus* (1896); *Der zweite Corintherbrief* (1910); *Der Epheserbrief* (1908); *Die Briefe des Ap. Paulus an Tim. u. Tit.* (1907); *Die Epist. des heil. Jacobus* (1909); *Die Apostelgeschichte* (1905); *Die Briefe des heil. Iohannes* (1906).

Blass: *Acta apostol; Gramm. des neutestamentl. Griech.* (1895).

Bousset: *Der Jacobus Brief; Der zweite Brief des Petrus; Der Brief des Iudas* (1917); Gal. 1ª 2ª *Cor. (Die Schriften des N. T. ed. Heitmüller* (1917).

(1) De Caietano iuvat hoc notasse ob diversa de eo iudicia.

BRUDER: *Concordantiae N. Testamenti graeci Göttingen* (1904).
CORNELY: *Introd. gen. spec. in N. Test. Comm. in Rom.* (1896); 1a 2a *Cor Gal. Sap.* (1897–1909).
CREMER: *Bibl. Theologisches Wörterbuch* (1910).
DEISSMANN: *Licht vom Osten Paulus: Bibelstudien.* 1908–1911.
DENIFLE: *Luther* 1904.
DENZINGER: *Enchiridion Symbolorum et Definitionum* 1911.
DE WETTE–OVERBECK: *Apostelgeschichte* 1870.
DIETERICH: *Eine Mithrasliturgie* 1910.
DOBSCHÜTZ: *Das apostolische Zeitalter.* 1906; *Die urchristlichen Gemeinden* 1902.
FEINE: *Theologie des N. Testam.*[4] 1919.
FELTEN: *Apostelgeschichte* (1 voll.); *Neutestamentliche Zeitgeschichte* (2 voll.) 1910.
FOUARD: *S. Pierre, S. Paul.* 3 (voll.) 1908.
FRIEDLÄNDER: *Darstellungen aus der Sittengeschichte Rom.* (4 voll.) ann. 1910.
FUNK: *Patres apostolici,* 1913.
GESENIUS: *Thesaurus ling. hebr. et chald.* 1835-1842; GESEN.-BUHL: *Handwörterbuch über das A. Test* 1915.
GESEN.–KAUTZSCH: *Hebräisch. Gramm.* 1896.
GREGORY: *Einleit. in das N. Test.* (1909).
GRIMM: *Lexic. graeco-lat. N. Testamenti,* 1903.
GRISAR: *Luther* und Luthertum 1916.
GUTHE: *Atlas geogr. der Palästinas.*
HAGEN: (Cornely) Introductionis in V. T. libros Comp. (1910); Lex bibl. (1905-1911).
HARNACK: Lehrbuch des Dogmengeschichte (1910); *Mission und Ausbreitung des Christenthums*[3] (1915); *Chronologie der altchristlichen Literatur* 2 voll. 1897-1904; *Apostelgeschichte* 1897; *Lukas der Arzt* (1906); *Neue Untersuchungen* (1911); *Verfassung der Kirche* (1910).
HOLTZMANN: *Einleitung in das N. Test. Neutestamentliche Theologie.* (ed. III. 1911); *Handkomm. in N. Testament.*
JÜLICHER: *Einleitung in das N. Test.*[1]; *Römerbrief* (in cursu J. Weiss: Die Schrift der N. T.[3] (1906).
KAUTZSCH: *De Veteris Testamenti locis a Paulo allegatis.* 1869.
KNABENBAUER: *Comment. in Actus apost. in Ephes. Philipp. Coloss. Pastor. Philem.* 1897–1913.
KNOPF: *Apostelgeschichte* in cursu I. Weiss: *Die Schrift des N. T.* (1907).
KOEBLER: *Die Pastoralbrief* in cursu I. Weiss: *Die Schrift des N. Test.* (1907).
LAGRANGE: P. M. I. (O. P.) *Méthode historique* (1903); *Epître aux Romains* (1916) *aux Galates* (1918) *le Messianisme*[2] (1902).
LOISY: *Les Actes des Apôtres* (1920); *L'épître aux Galates* 1904; *le quatrième Evangile* (1904); *Les Synoptiques* (1907).
LÜCKEN: 1a 2a *Thessal. Briefe; die Briefe an Philem. an die Kolonor und Epheser; Der Brief an die Philipper* (1917).
MÖHLER: *Symbolik*[9] 1884.
NORDEN: Ἄγνωστος θεός 1913.
PATRIZI: *In Act. Apost.* 1857.
PFLEIDERER OTTO: *Religionsphilosophie*[3] 1896; *Entstehung und Entwicklung des Christenthums* (2 voll. 1907); *Das Urchristenthum*[4] (2 voll. 1902); *Geschichte der Religionsphilosophie.*

PRAT: *Théologie de S. Paul* 1920–1923 (8ª 7ª edit.).
RAMSAY: *S. Pauli The traveller and the roman citizen*; *Cities of S. Paul.*
RIES–REITMAYR: *Atlas biblicus.*
REITZENSTEIN: *Die hellenistischen Religionen.*
SABATIER (Aug.): *S. Paul* 1912.
SANCHEZ: *Comm. in Acta Apostol.* 16.
SANDAY: *Critical and exeget. Comm. on the Epistle to the Romans* 1908.
SCHEEBEN: *Dogmatik* 1.
SCHÜRER: *Geschichte des jüd. Volkes* 1901–1909.
STIELMANN: *Die Abfassungszeit des Galaterbrief* (1906); *Der Leserkreis des Galaterbr.* (1908); *Apostelg.* 1913.
SWETE: *The old Testament in Greek* 1902–1905.
TILLMANN: *Das Joannesevang.* I–IV (1912–1914)
TORREY: *The Composition of the Acts.*
VIGOUROUX–BRASSAC: *Manuel biblique* 1909.
VOLLMAR: *Die alttestamentlichen Citationen.*
WEISS (Bernhard): *Einleitung in das N. Test.*³ (1897); *Neutestamentliche Theologie* 1903; *Leben Jesu* (2 voll.) (1902); *Der Römerbrief* (1899) *Der Hebräerbrief* (1897) in cursu Meyer.
WEISS (Johannes): *Die paulinischen Briefe Einleit.* (1917) *Der erste Korintherbrief* (1910) in cursu Meyer); *Christus* (1909); *Das Urchristenthum* 1917.
WEIZSÄCKER: *Das apostolische Zeitalter*³ 1902.
WELLHAUSEN: *Einleitung in die drei ersten Evangelien* (1911) *Das Evangelium Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis* 1904–1909.
WENDLAND: *Die Apostelgeschichte.* 1921.
WREDE: *Paulus.* 1906.
ZAHN (Theod.): *Einleitung in das N. Test.*³ (1907); *Geschichte des Kanons des N. Test.* (1888–1892) Forschungen zur Geschichte des neutest. Kanons (9 voll.) 1881–1918; *Die Apostelgeschichte* (1921) *Kommentar an die Römer* (1910); an die Galater (1905); *Die Urausgabe der Apostelg.* (1919).
ZELLER: *Die Philosophie der Griechen* (6 voll.) 1879–1882.
ZILL: *Der Hebräerbrief* (1879).
ZORELL: *Novi Testamenti Lexicon graecum.* 1911.

Dictionaria.

Dictionnaire de la Bible (Vigouroux); *Dictionary of The Bible* (Hastings); *Dictionary of The Gospels* (Hastings); *Kirchenlexicon*; *Realencyclopädie für protestantische Theologie und Kirche*; *Religion und Gegenwart. etc.*

Publicationes periodicae.

Adhibemus praecipuas quae, per diversas nationes, de re biblica aut ecclesiastica passim eduntur.

In Bibliographia non citantur omnes scriptores, quibus in decursu tractationis utimur, sed praecipui; nec qui citantur proponuntur veluti auctiores aut per omnia verum volumina, si plura sint, in usum adhibiti, sed pro re nata, ut in propriis locis specialius indicatur.

LIBER PRIMUS

Paulus religionis praeco

Sectio I. — Pauli vitae conspectus

I. — Paulus ante susceptam fidem

1. Pauli ortus et prima institutio

Natus est Paulus sicut ipse testatur (Act. 21, 39; 22, 3) Tarsi, metropoli Ciliciae, haud exiguae celebritatis urbe, utpote quae teste Strabone (1) Pauli coaevo, ea aetate academiam litterariam ac scientificam possideret Athenarum et Alexandriae gymnasiis vix disparem; et a romanis multa, ob divitias et amplissimum commercium, privilegia obtineret. S. Hieronymus quidem, quem sequitur Theodorus Mommsen, scribit Paulum " de oppido Giscalis in Galilaea fuisse et cum genitoribus Tarsum commigrasse „ (2); haec tamen verba, nisi cum Theodoro Zahn (3) " inaccuratam concisionem et breviloquentiam „ interpreteris, erronea atque ex lapsu memoriae prolata dici debent, utpote " fabulam „ redolentia, quam ipse Hieronymus alias hoc nomine ap-

(1) Strabo, *Rer. geograph.* lib. 14: Cilicia. Secundum Strabonem tanto ardore tarsenses in philosophiae et circularium (quae appellabantur) scientiarum studium incumbebant ut " Athenas et Alexandriam superarent „. Multi in ea illustres viri, litterati, poëtae, maxime vero medici ac philosophi floruerunt; in his Athenodorus, institutor et amicus Augusti (Winer, *Realwört.* 2, 505; Ramsay, ***Cities of S. Paul*** p. 292).

(2) Hier., *De Vir. ill.* 5; Mommsen, *Zeitschrift für die neutest. Wissenschaft* 1901, 83. 84. Loqueretur nimirum Hieronymus non de loco ubi natus, sed unde oriundus erat Paulus; et commigratio foret in " lumbis progenitorum „.

(3) *Neue kirchl. Zeitschr.* 1904, 23.

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

pellat (1). Pauli pater romanae civitatis privilegio fruebatur (2) non qua tarsensis municeps, quasi omnes illius urbis incolae tali praerogativa donarentur; nam tribunus romanus, etiam audita Apostoli patria, eius privilegium non agnoscit, donec Paulus contra intentatam sibi verberationem invocavit (3); sed ex alio titulo nobis ceteroquin ignoto. Forsan si non ipse Pauli pater (4), aut avus sive proavus, abductus Romam captivus tempore Pompeii, deinde sub Augusto cum multis aliis, libertate simul ac civitatis iure donatus est, sicut Philo memorat (5). In omni hypothesi bellum in Palaestina cuius occasione dicitur familia Pauli Tarsum commigrasse secundum memoratam superius traditionem, nullo modo fuit bellum a Tito gestum, cum hoc recentius sit Apostoli morte. Stirpe, ut idem Paulus nos edocet, (6), erat " hebraeus ex hebraeis „ i. e. ut ex Act. 6, 1 et Philipp. 3, 5. 6 colligere licet, etsi natus in Diaspora, non tamen ex parentibus hellenistis, sed qui potius recens ex Palaestina egressi, Palaestinae traditiones ac linguam vivas in familia retinebant. Pauli parentes consuetudinem cum patria continuasse ex Act. 23, 16-22 apparet ubi Apostoli soror Hierosolymis coniugata dicitur. Ut genuinam suam iudaicam genealogiam confirmet, addit Paulus se esse de tribu Beniamin, circumcisum octavo die; " secundum legem „ i. e. ad sectas quod spectat quae iudaeos illius aetatis varie pro diversa in veteres populi traditiones affectione scindebant, pharisaeum; quae nimirum secta mosaismo addictissima erat, (7) dum sadducaeismus, e contra, multum ab eo desciscceret.

Cum vero Tarsus sub romanorum ditione esset, imo, cum Pauli pater, ex dictis, civitatis romanae iure frueretur, eius filiolus illico post ortum, romanorum civium tabulis inscriptus est, imposita ei, de more romanorum civium, triplici appellatione: praenomine, nomine ac cognomine, cuius tamen, rursus ex more,

(1) *Comm. in Ep. ad Philem.* v. 23.

(2) Act. 22, 25.

(3) Ibid. Nec mirum; neque enim Tarsus erat " colonia „, sed " libera civitas „ (Rams., *Cities of S. Paul*, p. 197.

(4) Pompeius Ierusalem expugnabat ann. 63 a. Chr.; Paulus nascebatur 2 post Christum.

(5) *Leg. ad Cai.*

(6) Philipp. 3, 5.

(7) Philipp. 3, 5. Vult nimirum efferre Paulus his expressionibus contra iudaizantes quantopere errarent, si se, quamvis in medio hellenismo natum et eruditum, aliquid exinde de studio in Moysen amisisse quod ipsi iactabant, putarent.

tertia duntaxat in communi usu remanebat: Paulus (1). Hinc Apostolus ab ortu suo duplex nomen gessit: Saulus et Paulus; id quod, quidquid contra disputent Rufinus itemque Hieronymus et Augustinus, satis perspicue insinuat Lucas, cum Act. 13, 9 scribit: " Saulus qui *et* Paulus „. Nimirum, dum in familiam atque inter Synagogae alumnos iuxta Synagogae tarsensis tabulas (2) שאול in foro et inter reliquos concives " Paulus „ appellabatur (3). Sane verba Lucae non successiva et ex superveniente mutatione, ut citati Patres volunt, sed simultanea (καί) nomina sonant. Paulus igitur inter suos coaevos ac familiares notus erat ut iudaeus, ut municeps tarsensis, ut civis romanus.

Annum ipsum quo ortus est Apostolus non est facile ad apicem definire; bona tamen fundamenta permittunt illum plus minusve certo coniectari. Act. 7, 58 cum a suo biographo Luca in scenam producitur occasione supplicii Stephani, appellatur νεανίας adolescens; at 9, 2 i. e. brevi postea, obtinebat a Synedrii Praeside litteras ut publicum munus, nec levis momenti, Synedrii nomine obiret (4): cum igitur iudaei publicis religiosi ordinis muneribus ante 30 annum non praeficerentur, quae consuetudo ex Christi et Baptistae historia valide confirmatur (5), ex allatis testimoniis elicitur Paulum tempore conversionis

(1) Sic Marcus Tullius Cicero appellatur " Cicero „; Marcus Portius Cato, " Cato „; Marcus Terentius Varro, " Varro „.

(2) Adfuisse Tarsi iustam Synagogam, etsi Paulus hac de re nihil dicat, cum parce admodum de sua patria loquatur, et analogia persuadet cum aliis urbibus minoris notae in Asia minori, et ex positivis quoque testimoniis constat. Cfr. Ramsay, *Cities of S. Paul*, pp. 170, 171. Copulativa *et* apud Lucam simultaneam et iugem utriusque nominis possessionem notat.

(3) Weizsaecker, nihilominus (*Apostol. Zeit*[3] p. 66) putat nomen " Paulus „ susceptum ab Apostolo fuisse cum ethnicorum missionem inchoavit; sive ob Sergii Pauli memoriam, sive ob alias causas, ut quod eius vel pater vel avus cum libertatem obtinuit, domini manumittentis nomen sicut inter romanos moris erat assumpsit.

(4) Non solum post Stephani necem et 9, 1, sed iam antea Saulus publicum ac non exigui momenti, sub Synedrio, munus obibat (cfr. Act. 8, 3; 22, 4. 5; 26, 11). Quod appelletur hoc tempore νεανίας nihil obstat, cum secundum Irenaeum (*Contr. haer.* 2, 22) " iuventus „ usque ad 40 annum protendi censeretur.

(5) Cur nimirum uterque non ante ann. 30 munus inchoat? Nec potest ulla aut de Christo aut de Baptista, hac de re, dubitatio subsistere: Christus inchoat ministerium cum esset " quasi annorum 30 „ (Lc. 3, 23); Ioannes vero " anno 15 Tiberii „. Cum Christus natus sit currente anno 42 Augusti qui regnavit 56 annis, annus 15 Tiberii respondet anno 30 Domini (15 + 15 = 30) et similiter Baptistae qui sex mensibus senior erat.

trigesimum plus minusve aetatis annum explevisse. Si ergo conversio, ut videbimus, anno 34 collocanda est, Pauli ortus in annum tertium aerae christianae revocandus erit, ita ut Apostolus septennio circiter iunior Domino censendus sit.

Pauli genitorem, paterna ac domestica filioli institutione minime contentum, hellenicam quoque in Tarsi scholis puero sollicite procurasse, ipsa diligentia persuadet quam postea, exacta eius pueritia, in eo ad altiora studia Hierosolymis applicando impendit, itemque Apostoli scripta uberrime confirmant. Emenso humaniorum studiorum curriculo, et antequam Hierosolymam, proficisceretur altiorum disciplinarum causa, Paulus, iussu patris scenofactorium opificium, adhuc in patria condidicit. Cum enim eius pater iampridem propositum foveret filium Hierosolymas mittendi ut in huius urbis scholis studia rabbinici aggrederetur quae viam sibi pararent ad rabbinici doctoratus lauream, voluit ut pro rabbinorum illarum aetatum consuetudine, iam in paterna domo mecchanicam artem addisceret, quo liberius postea magisterium legis exerceret (1).

Peracta itaque litteraria praeparatione, comparatoque opificii subsidio, Paulus hierosolymitanum iter aggressus est ut sub Gamalielis ductu, (2) scripturarum scientiam adipisceretur. Rabbinica institutio qualis eo tempore esset in candidatis ad doctoratus honorem, ex Thalmude discimus. Sedentes super nudo pavimento alumni, (3) magistrum (Rabbi) arcto agmine in modum coronae cingebat, eius documenta iuvenili aviditate excepturi, dum ille, eminentiori loco praesidens, legis volumen graviter explanabat. Hinc fiebat ut ad " pedes Doctoris „ (παρὰ τοὺς πόδας)

(1) Ex Act. 18, 2 indubie constat Paulum illius opificii artem calluisse: aliunde eam non Hierosolymis, ubi ignota erat, sed profecto in patria didicit, cilicinorum artefactorum nomine illis temporibus celeberrima. In Cilicia scenofactoria ars connectebatur cum textoria operimentorum quibus tecta tentorii constabant. Hinc sunt qui putant Paulum non primam sed alteram artem exercuisse; at vox σκηνοποιός non " textorem velorum „, sed " tentoriorum confectorem „ sonat.

(2) Gamaliel Pauli praeceptor, fuit Gamaliel 1us celeberrimus in historia rabbinismi iudaici sub appellatione הזקן (Schürer, 2, 429. 430) ut distinguatur a Gamaliele 2° qui anno circ. 80 reconstituit Synedrium post Hierosolymae excidium, eique primus praefuit.

(3) בקרקר . קרקר vel קרקע = " fundamentum „ (inde pavimentum) a קור fodere. (Cfr. Ges., *Thes.* 3, 1210).

ut verba Pauli sonant (Act. 23, 3) eius lectiones auscultarent (1). Quoto aetatis suae anno Paulus Hierosolymam venerit, non constat. Eius quidem verba quibus ait se " enutritum „ (ἀνατεθραμμένον) Hierosolymis, eum vix exacta pueritia in urbem advenisse sonare viderentur anno scilicet 11 circiter aut 18. In hac tamen hypothesi, cum certo constet eum de facie Dominum non vidisse in huius vita mortali, dicendum foret Apostolum confecto suo triennali sive quadriennali cursu sub Gamaliele, in patriam remeasse ibique aut addiscendo opificio, aut docendi muneri vacasse, donec post Domini ascensum ad coelos in Paelestinam reversus est. At cum participium ἀνατεθραμμένος ad doctrinae nutrimentum per Gamalielem referri possit, vix quidquam solidum ex verbis (2) extundi potest pro tam " maturo adolescentis in urbem sanctam adventu ; qui proin multo melius ad 25 eius aetatis annum, post ascensum Domini differendus erit.

Confecto studiorum cursu, Paulus inducitur a Luca in vitae publicae theatrum occasione processus Stephani (Act. 7, 58), a quo tempore ex Actuum historia seriem eius vitae usque ad biennium primae captivitatis romanae percommode persequi licet. Cum Stephanus lapidaretur, etsi Paulus nondum tam praecipuo ut postea munere actus appareat, stetisse tamen eum a parte Synedrii nec procul ab altioribus muneribus abfuisse, inde novimus quod neci Stephani non communem, sed singularem ac publicum consensum praestat (Act. 7, 58 ; 8, 1 ; 22, 20) atque iam eo tempore, Synedrii auctoritate munitus, dire Christi discipulos vexat (Act. 8, 3 ; 9, 13 ; 22, 4).

(1) Cfr. Schürer, 2, 386.

(2) Idque quamvis urbs de qua sermo est, Ierusalem sit. Paulus scilicet dicit se enutritum ἐν τῇ πόλει ταύτῃ postquam dixerat se Tarsi natum. Hinc si participium ἀνατεθραμμένος de corporali cibo intelligitur, difficultas est num sensus sit : " in eadem civitate „, Tarsi nimirum, an " in *hac* eadem civitate „ in qua versatur dum loquitur, Hierosolyma. Si vero participium ἀνατεθραμμένος ex dictis, ad pabulum per doctrinam referatur, quamvis de Ierusalem sit sermo nihil pro Pauli adventu in hanc urbem conficitur iam prima sua iuventute : verba retinent suam veritatem, etsi Paulus nonnisi aetate 24 aut 25 annorum Hierosolymam advenerit. De facto, sensus procul dubio est hic ultimus, ut particula ἐν τῇ ταύτῃ πόλει ad Ierusalem, non ad Tarsum referatur, ob adversativam δέ post ἀνατεθραμμένον, quae oppositionem statuit inter ortum et litterariam institutionem. Et dicta superius de Pauli aetate cum ad fidem conversus est, provectiorem eius adolescentiam confirmant cum Hierosolyma venit.

2. Pauli conversio

Vitam suam publicam inchoaverat Saulus ceu infensissimus christianorum adversarius (Act. 7, 58; 8, 1; 22, 4; 26, 9. 10; 1 Cor. 15, 8; 2 Tim. 2, 22) imo et acerrimus persecutor (Act. 8, 2-3; 9, 1. 2; 22, 4. 5; 26, 9-11); at cum Damascum peteret, litteris Synedrii munitus ut iudaeos qui in illa urbe credidissent " comprehenderet, vinctosque Hierosolymam perduceret „, subitaneo e coelis ingentique fulgore perculsus atque in terram deiectus (1), vocem ex fulgore profectam audivit qua se Christus in gloria illi manifestavit, quis esset aperuit et quid ab eo in posterum posceret, insinuavit (Act. 9, 3-6; 22, 6-10; 26, 12-18). Saulus coelesti visioni obsecutus, Damascum ingressus, ibique ab Anania, postquam toto triduo, oculorum lumine orbatus, orationi et secessui vacaverat, baptizatus est. (Act. 9, 8–19; 22, 11–16; 26, 19. 20).

Huius celeberrimi eventus triplex nobis narratio transmissa est. (Act. 9, 1-19; 22, 6-16; 26, 12-18). Harum porro narrationum secunda et tertia veluti ex ipsis Pauli labiis prodeuntes proponuntur a Luca; at prima quoque ab eodem Apostolo sociisque itineris, immediatis eventuum testibus profecta sine dubio fuit. Sed mutua narrationum collatio duplicem eamque haud levem difficultatem provocat. 1ª num narrationes bene inter se cohaereant; 2ª quaenam eventus natura fuerit. Et difficultas contra narrationum cohaerentiam triplici ex capite exoritur: ex voce loquentis " audita „ a Sauli sociis iuxta 9, 7; " non audita „ iuxta 22, 9: ex intimatione futurae Apostoli vocationis, quae iuxta 26, 16-18 fit " ab ipso Christo in momento apparitionis „, dum iuxta 9, 6 et 22, 10 non a Christo ipso nec in via, sed " in urbe et ab Anania „ intimatur: atque ex effectibus superni fulgoris qui 9, 3. 4 " solum Saulum „; 26, 13. 14 " Saulum et socios „

(1) Act. 9, 4: πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν; 22, 7: ἔπεσα εἰς τὸ ἔδαφος; 26, 14: καταπεσόντων ἡμῶν εἰς τὴν γῆν. Num Saulus iter pedes ageret an equo sive mulo insidens, non constat: certe curru vectus vix in terram cum sociis concidisset, cum non de fulminis ictu, sed solum de fulgoris obfuscatione ac terrore sermo fiat. Plerique post Lap. putant Saulum, utpote fervidum pharisaeum equo se vehi non passurum fuisse ob legem Dt. 19, 16 (Cfr. Felten, *Apostelg.* 185; Knab. in Act. 163). Sed prudens lector iudicet an " multiplicatio equorum „ ob luxum regibus vetita tempore antiquissimo, applicationem hic admittat.

percellit. Ante omnia, cum ut ex complexu trinae descriptionis perspicuum fit, singulae narrationes ex eodem unico fonte, Paulo ipso scilicet et sociis, deriventur, cumque Lucas, qui omnes tres in suum librum recepit, " indivisus Apostoli comes „ per plurimos annos fuerit, ut etiam a praestantissimis protestantismi criticis nostra aetate admittitur (1), mirum sane foret quod si vera in narrationibus pugna adesset, a tali scriptore non animadverteretur eo ipso quod in suo libro non semel sed bis imo et ter in eventus narrationem incidit. Ac revera nulla in obiectis adest contradictio. Cum Paulus 22, 9 dicit socios " non audivisse „ vocem quae secum loquebatur, " audire „ sumit pro " intelligere „ ; notandum quippe est Paulum ibi verba facere ad turbas hierosolymitanas " aramaice „ (Act. 22, 2) ; aramaice autem verbum '*schema*' non solum sonos percipere, sed etiam articulatam vocem eiusque sensum capere significat sicut hebr. שמע (2) Lucas igitur qui Hierosolymis aderat hoc tempore et forsan orationem Pauli ipse suis auribus exceperat, servavit aramaismum, sicut passim facit cum aramaicos fontes adhibet tam in Evangelio quam in Actibus (3). Nulla ergo vera appositio est in eo quod Lucas cap. 9 proprio marte loquens, dicat Pauli socios vocem Christi audivisse secundum sonum (ἀκούοντες), et cap. 22 verba Apostoli referens, retento loquentis aramaismo, verbum ἀκούω usurpet sensu intelligendi (4).

Quod 26, 16-18 non inducatur Ananias ut vocationis denuntiator, sed intimatio Christo ipsi tribuatur secus atque in duplici reliqua eventus narratione, exinde explicatur quod in oratione

(1) Hier., *Vir. ill.* VII (M. 23, 650-551) Cfr. inter alios Harnack: ***Lukas der Arzt*** (1906) per tot.; *Apostelg.* p. 20; *Neue Unters.* 1-21; 81. Sententiam Harnackii impugnant I. Weiss, *Die Schrift. des N. Test.*[3] 1, 392 et Knopf, ibid. 4, 3, infirmis tamen argumentis.

(2) Levi, *Chald. Wört.* 493. Cfr. Ges. Buhl[13], p 838. 839; Ges., *Thes.* III, 1439. Verbum ἀκούω in N. Test. adhiberi utroque sensu, sicque narrationem Actuum aramaizare posse cap. 22 in vocabuli usu, confirmatur ex 1ª Cor. 14, 2 ubi ἀκούειν est " intelligere „.

(3) Cfr. Lc. 1, 5-80; 2, 6-32; Act. 1-5. Lucam aramaici idiomatis peritum fuisse et plura suadent, ut v. gr. patriae ad Palaestinam proximitas ubi in usu erat dialectus palaestinensi admodum similis, et continuus aramaicorum fontium usus; ut expressis verbis concedit Torrey (*The Compos. of Acts*, p. 5); imo iuxta Torrey Lucas erat fontium aramaicorum assiduus investigator.

(4) Posset quis (G. Sanchez, in Actus p. 201) contendere Act. 9, 7 " vocem „ non esse vocem Domini, non enim dicitur sicut 22, 9 " vocem eius qui loquebatur ad me „, sed vocem ipsius Pauli: at post 9, 4 id vix est probabile.

sua coram Agrippa id potissimum intendebat Apostolus, ut munus praedicandi sibi a Christo demandatum efferret, sive inmediate id per ipsum Dominum, sive mediante Anania significaretur. Miris vero subitanei fulgoris effectibus non Pauli solum sed sociorum quoque sensus fuisse valide perturbatos etiam iuxta primam descriptionem, apparet ex 9, 7 ubi, etsi vv. 3. 4 de solo Saulo fiat expressa mentio, socii quoque dicuntur " muti remansisse „ (εἱστήκεισαν ἐνεοί) i. e. perculsi ob inusitatum fulgorem, quamvis non ea vi qua Paulus, ut etiam in fulminum illapsu non raro contingit. Quod enim loquentem audirent sed non viderent, non tam mira res erat ut eos tantopere perturbaret.

Gravior est difficultas de natura eventus. Critici protestantes, etsi facti veritatem non inficientur, cum tamen supranaturalem eius indolem nolint admittere, varias hypotheses in medium proferunt ut phaenomenum ex naturae legibus explicent. Diuturno tempore multis perplacebat hypothesis quae Paulum conscientiae stimulis ob Stephani necem intime exagitatum sicque lente praeparatum statuebat; detorta scilicet in hunc sensum expressione: " durum est tibi contra stimulum calcitrare „ (hypothesis evolutionis). Hodie nihilominus haec sententia passim ab omnibus relinquitur, ac merito, cum in tota narrationis serie Paulus usque ad momentum visionis, dispositionem animi ostendat conversioni e diametro contrariam, nec ullus proin internae praeparationis labor fingi possit. Hinc potius arridet illa explicatio quae " psychologica „ dicitur, quaeque a praecipuis nostrae aetatis protestanticis criticis propugnatur (Harnack, Pfleiderer, I. Weiss). Ante omnia notandum, ait Weiss, ad phaenomenum apparitionis Christi significandum, in praecipuo, omniumque minime suspecto quod hac de re habemus, testimonio (1ª Cor. 15, 8), ab Apostolo adhiberi verbum ὤφθη, quod, sicut et derivatum ὀπτασία (2 Cor. 12, 1) atque cognata vocabula ἀποκαλύψεις, ἀποκαλύπτειν iuxta usualem in Novo testamento loquendi modum (Mc. 9, 4; Lc. 1, 11; 22, 43; Act. 2, 3; 7, 2; Apoc. 11, 19; 2 Cor. 12, 1. 3), proprie sonat " visibile alicui reddi aliquid supraterrenum „, ita tamen ut alii praeter illum qui visionem percipit, tametsi prope sint, illud minime cernant, quia nimirum visio fit in *ecstasi, in spiritu* (Apoc. 1, 10), quae peculiaris dispositio solius videntis est. Porro visio Paulo oblata in via Damasci constanter proponitur in Actibus veluti revelatio quaedam sub signis portentosis soli Paulo conspicuis (Act. 9, 7). In hac ergo apparitione oblatum Paulo

fuit obiectum coeleste: *Christus in gloriam exaltatus*. Tale obiectum nec in se, ut patet, cum terrenum ac materiale non sit; nec ratione conditionis in qua versatur visionarius (in ecstasi), potest esse quid corporeum et externum, quod visivum nervum per intermedias undas luminosas vel aethereas conmoveat: est potius quid *ab intus*, i. e. ab excitatione subiectiva visionarii, provocatum; quod tamen a visionario veluti obiectivum et externum apprehenditur, prout apprehendebatur a Paulo, qui certissime scientificam recentiorum explicationem totis viribus reiecisset (1).

At in primis, si, ut conceditur, Paulo firmiter persuasum erat de obiectiva phaenomeni veritate, ei, id serio et constanter per totam suam vitam asserenti, credendum est, cum nemo melius eo posset de vera phaenomeni obiectiva natura testari; quandoquidem suis facultatibus et tunc et postea expedite uteretur, atque opportunam phaenomeni analysin, si oporteret, instituere minime ignoraret, ut ex 2ª Cor. 12, 2-4 ostenditur; sicut quilibet sanus proprias experientias externas atque obiectivas a mere internis secernere valet (2). Certe Paulus in cuius historia nihil apparet quod eum aut mente captum, aut minus ponderatum prodat, spatio 25 annorum a conversione usque ad orationem coram Agrippa (3) bene potuit phaenomeni naturam expendere. Sed nec fuit Paulus unicus testis eventus: Act. 22, 9 expressis verbis dicitur socios " conspexisse fulgorem „, et 9, 7 " vocis sonum audivisse „. Phaenomenon igitur non soli Paulo innotuit, nec quoad omnia quae complectebatur, ei soli oblatum est.

Verum quidem est oblatum Paulo fuisse obiectum *extraterrenum* i. e. quod in terris non versabatur sicut ante resurrectionem; sed

(1) J. Weiss, *Urchrist.* pp. 18-20.

(2) Collatis nempe atque attente consideratis adiunctis temporis, loci, propriae dispositionis; ex quibus, scenae intus repraesentatae cum adiunctis externis incohaerentia in casu illusionis facile apparet, et sic ut minime obiectiva et externa dignoscitur. Hanc collationem peractam a Paulo fuisse ad eventus naturam diiudicandam perspicue constat ex eius verbis tam cap. 22 Actuum, cum ait socios " perspexisse fulgorem „, quam 26, 13. 14 ubi praeterea addit " se et socios in terram decidisse „, id quod dicere serio non potuit nisi cum eis de eventus natura egisset, eorumque testimonia ex propriis labiis excepisset.

(3) Qua nimirum Apostolus regi suam visionem enarrabat, quaeque nonnisi sub Festo iam praeside et sic multis annis (26) post factum pronuntiabatur.

aliud est quod Christi corpus extra terras versaretur, aliud quod natura terrenum, i. e. materiale et corporea mole constans non esset, quodque proin corporeae et externae visioni conspiciendum offerri non posset. Etiam sol et astra extra terram sunt ac fulgidissima, et tamen oculis conspicienda obiiciuntur. Quod Paulus fulgorem se vidisse dicat (Act. 26, 13 ; 22, 6) ac similiter Lucas (Act. 9, 3), nihil expresse de ipsius Christi visione addentes, difficultatem nullam creat : vox quae Saulum alloquebatur, de centro fulgoris prodibat ubi Christus praesens aderat ; nam 9, 7 additur socios miratos esse quod vocem audirent, eum autem qui vocem emittebat minime cernerent ; id quod, nisi de corporaliter praesente Lucas et socii intelligerent, sensum nullum habet. (1) Demum Paulus ipse 1 Cor. 9, 1 disserte asserit se Christum ipsum corpore praesentem ac per visionem corpoream conspexisse ; praeter enim quam quod adhibet verbum ὁράω (ἑόρακα) sine ullo addito, quod primario visionem corpoream significat et cum de obiecto corporeo agitur, non potest aliter intelligi ; ex hac visione probare vult se non carere praerogativa apostolorum propria de corporali atque immediato commercio et conversatione cum Christo, ut illi a iudaizantibus obiciebatur ; quae probatio penitus evanescit insolutamque relinquit obiectionem nisi visio corporea et externa fuisset. Loco 1 Cor. 9, 1 addi debet 15, 8 ubi rursus apparitionem Christi ad se connumerat apparitionibus ad apostolos. Et Act. 22, 14, narrante ipso Paulo, Ananias ait eum praeordinatum a Deo fuisse ἰδεῖν τὸν δίκαιον καὶ ἀκοῦσαι φωνὴν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ « ut videret Iustum (Iesum) et audiret vocem ex eius ore » ; quae visus et auditus « vocis ex ore » correlatio nisi de corporea et externa perceptione explicari nequit. Quod adstantes socii effectus nonnullos non perceperint, non ideo fuit quod absolute omnis effectus externus abfuerit, cum expressis verbis dicatur conspectum fuisse fulgorem (Act. 22, 9), auditam fuisse Christi vocem (9, 7) atque perculsos fuisse socios subitanea et insolita splendoris vi (ibid.) ; sed quia Deus, quamvis praecipuos phaenomeni effectus propriae eorum naturae reliquit ut per socios de eventus veritate et natura indubie constaret, alios nonnullos cohibuit ; cum tandem de miraculoso facto agatur cuius oeconomia ac mensura ex Dei voluntate pendet. An negabimus Deo quod ex quotidiana experientia novimus naturae viribus concedi ? Nimirum quotidie similem discretionem peragunt radii röthgeniani !

Argumentum Weissi de usu verbi ὁράω in Novo Testamento spe-

(1) Si loquentem putabant distantem, non in ipso fulgore praesentem, quid mirum quod, etsi audirent, ob quodvis tamen impedimentum, vel ob distantiam non viderent ? Ex vocis nimirum intensitate et tono praesentia proxima loquentis perspicua reddebatur ; cum vero alunde eum non cernerent, inde admiratio.

ciosum est sed minime efficax. Quamvis enim in pluribus ex citatis exemplis verbum adhibeatur de visione obiecti non sensibilis nec externi ut Mt. 9, 2 ; 2 Cor. 12, 1. 2 ; tamen nec enumeratio exhaurit exempla usus verbi, nec in ipsis exemplis allatis agitur semper de visione spirituali, v. gr. Act. 2, 3 ubi evidenter de visione corporea et obiecti corporei atque externi sermo est. Verbum ὁράω usurpatur saepissime in N. Test. de visione corporea et obiecti corporei atque externi. Exempla innumera sunt. Sic Ioann. 1, 34 ; 3, 11; 15, 24 ; 19, 35 ; 20, 18 ; Act. 22, 15 ; 1 Ioann. 1, 2. 3 ; imo haec est propria eius significatio, sicut apparet ex vocabulis ab eo derivatis ut ὀφθαλμός, ὀπτικός ὄψις, αὐτόπτης, αὐτοψία. Ex exemplis a Weissio hinc inde corrogatis id tantum probatur : ex solo verbo non posse continuo concludi semper de corporea et externa visione agi, sed opus esse contextum expendere : contextus vero in casu nostro evidenter externam visionem demonstrat.

Weissii argumenta ex philologia et physica externam facti naturam evertere conantur illudque ad interni phaenomeni naturam revocare : idem autem alii argumentis exegeticis volunt confirmare. Bousset, nixus hoc principio quod quaestio non aliis argumentis quam Pauli testimoniis solvi possit, quippe quae ceteris quibuscumque certius Apostoli conceptum de eventus indole nobis exhibeant, ad Gal. 1, 15 provocat. Iuxta Bousset Paulus hoc loco, revocata in memoriam historia damasceni itineris id diceret : se, iam ab utero matris a Deo segregatum ad munus praedicandi Christum, tunc demum ad opus adactum fuisse cum prope Damascum Deus sibi in suo corde Christum revelavit. Nulla adest ratio, ait Bousset, cur verba ἐν ἐμοί vertamus : " ad me „ sive " mihi „, quasi de externa visione Paulo oblata foret sermo ; sed omnino trasferenda sunt : " in me „, i. e. " intra me „ : visio consummata est in Pauli intimis, non per factum ullum externum. Duo quippe, addit, probe animadvertenda sunt in Pauli descriptione : et quod eventum concipiat veluti consummatum in ordine pure spirituali, secluso quovis nexu cum factis externis, et quod Deum proponat veluti adaequatum et exclusivum eventus consummatorem, excluso quovis agente externo. Hinc, concludit, factum nequit aliter concipi quam ut phaenomenum psychologicum quod internam Pauli vitam respicit. Cum Apostolus addit se, in conversione, Dei vocationem excepisse quae se ad evangelizandas gentes invitabat, minime censendus est voluisse significare se ullam Dei vocem audivisse : id solum dicere vult : se, vi illius revela-

tionis internae, processu temporis, ac Deo rerum cursum dirigente, gentium Apostolum evasisse (1).

Libenter concedimus Boussetto ex nullo fonte cognosci melius posse facti de quo agimus naturam quam ex testimoniis Pauli, si de testimoniis agitur ubi Paulus " historiam facti „ proponit; itemque Gal. 1, 15 verba ἐν ἐμοί transferenda esse " in me „, non " ad me „ vel " mihi „; ac proin in hoc testimonio agi de manifestatione Christi in Pauli animo per Deum peracta: sed quomodo probat Bousset Paulum Gal. 1, 15 adaequatam " historiam „ facti velle tradere, et non potius hac apud lectores ex fontibus historicis supposita, id solum ex eventuum in via Damasci consummatorum complexu in medium afferre quod ad praesentem scopum faciebat, demonstrandi vel explicandi quo pacto aptus Evangelii minister, et capax illud ad gentes praedicandi redditus sit? Pericope Gal. 1, 12-24 id vult probare Paulus: se Evangelium quod apud gentes praedicat, non ex hominibus didicisse, verum ex divina revelatione: hinc verbis Gal. 1, 15 Apostolus solum intendit declarare quo pacto in illo eventu redditus est aptus minister Evangelii per revelationem sibi factam veritatis quam de Christo praedicaturus erat, i. e. per manifestationem personae ac dignitatis Christi quae sunt obiectum Evangelii. Revelatio vero haec in mente non est nisi " pars „ eorum quae in Damasci via contigerunt. Non narrat Paulus historiam externam facti, sed hac supposita ex aliis suis et sociorum descriptionibus, enucleat eam eventus partem quae ad scopum faciebat demonstrandi quo pacto Evangelium a Christo didicerit, sicque eiusdem praedicandi capax redditus sit (2).

(1) *Die Schriften des N. Test.*[3] 2, 38. 39 Göttingen 1917. Non est existimandum a Bousset novum aliquid substantiale proferri: iampridem fuse proposuerat eadem Weizsaecker, *Apostol. Zeit.*[3] 65-70.

(2) Si adaequatam eventus historiam attendimus, ex eius fontibus historicis facile comperimus duo in illo eventu contigisse: visionem externam Christi ad sensus, et manifestationem eius dignitatis ac missionis ad mentem. Sed cum per visionem corpoream, qua talem, ac per eius apparatum mere externum quis esset qui apparebat, quaenam eius persona, dignitas, munera non didicerit, ideo Apostolus Gal. 1, 15 historiam externam omisit. Revera, dum secundum trinam descriptionem historicam, Paulus fulgore circumfunditur, vocem audit et vicissim reddit, equo vel mulo deicitur, visu privatur: omnia haec nondum ullam revelationem exhibent qua Christus quis sit declaret; et Paulus ignorat penitus quis ille sit quem conspicit quidve de se velit. Nec Christus adhuc Saulo innotuerat, nec Saulus Christum noverat: his omnibus nondum poterat Saulus aptus Evan-

Explanato autem hoc primo obiectionis membro, facile expediuntur reliqua duo. Cum manifestatio interna in mente revera a Deo, et eo solo, facta sit, recte Paulus internam manifestationem Christi describens, eam Deo soli attribuit. At in eventus complexu, qualis de facto contigit, praeter Deum, multa alia agentia concurrisse rursus ex historicis facti descriptionibus lectores noverant, quae a Paulo nunc omittuntur quia ad rem non erant. Tertium vero membrum, sicut corollarium est imperfectae testimonii interpretationis, sic hac restituta, evanescit.

In hoc rationalistarum choro non poterat deesse Loisy ut lapillum in urna deponeret. Secundum Loisy Paulus in phaenomeno (quod fuit fulmen) aliud non vidit quam fulgorem ; nam simulatque hic refulget, Saulus deicitur et secundum v. 8 se visu orbatum sentit (1). — Sed Saulus caecitatem iuxta narrationem tunc sensit, cum finita visione, voluit viam continuare ; non antea, et durante ipso visionis tempore. Caecitas effectus fuit tum validae impressionis ob durationem phaenomeni, tum ex mutatione medii ambientis ab extraordinario splendore ad communem lucis mensuram quae, ob repentinum transitum, instar tenebrarum erat pupillae patientis, ut etiam in ordine consueto non raro accidit (2). Hinc in primis apparitionis momentis, cum nondum laesum esset visus organum, potuit Paulus perspicere ac perspexit Christi praesentiam, imo durante tota visione quae procul dubio brevissima fuit. Praeter autem subiti fulgoris subitaeque postea obtenebrationis effectus, adfuit altera causa laesionis oculorum : violenta scilicet

---

gelii minister fieri. Cum vero interroganti Saulo : " tu quis es ? „ Dominus respondet : " ego sum Iesus „ ; tunc Christus incipit Sauli menti apparere quis sit ac vicissim Saulus eum cognoscere : eo enim ipso quo Christus respondebat se esse Christum quem persequebatur, Paulus intelligebat Iesum tamquam in gloria regnantem, verum Messiam et talem, uno verbo, qualem christianismus praedicabat. Hanc primam sui revelationem, novis dein Christus et amplioribus cumulavit (Act. 22, 10. 17 ; 26, 16) quas utpote illa priori inchoatas eamque complentes, Paulus veluti unam Christi de se revelationem describit. Hanc igitur in mente revelationem qua Evangelium edoctus est, quae pars fuit eorum quae in via Damasci gesta sunt, reliquis omissis Paulus Gal. 1, 15 retulit. Verum quidem est hanc ipsam in mente revelationem de facto non immediate intus, sed per externum verborum vehiculum peractam fuisse ; sed Paulus vehiculum omittit quia, ex dictis, de interno solum in mente effectu agebat, et aliunde nullum de praepostera facti interpretatione apud lectores suberat periculum qui Pauli conversionis historiam apprime noverant.

(1) ***Les Actes des Apôtres***, 394.

(2) Ut passim cum ex aperto aëre in claro die ingredimur in antrum. Non dico id ***solum*** in casu Pauli accidisse : accidit aliquid multo gravius et intensius, sed simile.

contra inadaptatum medium reactio : exinde illae quasi « squamae » (Act. 9, 18) i. e. laminulae vel ex solidificatione humoris globum oculorum obvolventis ob ardorem, vel ex obduratione cornearum.

Knopf demum conatur effectus illos externos quos enumeravimus tamquam deintus foras proiectos explicare, ex subiectiva et interna tantum visione, sicque triplicem Actuum narrationem conciliare cum « revelatione » de qua Gal. 1, 15. Nihil, ait, in his narrationibus habetur quod cum notionibus pugnet quas de « gloriosa coelestium corporeitate » Paulus in suis scriptis prodit. Iuxta narrationes Actuum, eventus duplici phaenomeno clauditur : Paulus cernit ante oculos fulgidum splendorem, et aure percipit vocem coelestem. Hac forma completur fundamentalis illa experientia quae in Pauli vita signat apostolici cursus exordium. Positis autem eius notionibus de entium coelestium natura quas prodit 1 Cor. 15, 40-49, non poterat aliter cogitare Iesum in gloria quam sub his characteribus sub quibus illum in visione describit, quamvis haec pure interna fuerit. Quod si Paulus post Christi visionem facultate visiva privatur per aliquod tempus, id commode explicatur ex nervosa organi visivi perturbatione. Illud solum aliquale negotium facessit quod Act. 9, 7 de sociis Pauli dicitur. Sed cum haec non ad ipsius Pauli testimonia et descriptiones pertineant, explicari facile poterunt ex legendariis additamentis quae substantiali phaenomeno prout a Paulo describebatur, sensim ab aliis adiecta sunt. Addit Knopf Paulum nullibi perspicuis verbis facti naturam definire (1).

Sed Knopfii conatus irriti sunt. 1°) Narratio capitis 9 Actuum in toto suo complexu auctorem habet Lucam qui eventus adiuncta omnia ac singula ignorare, aut in eo falsa veris admiscere non poterat, utpote qui centies historiam facti ex ipso Pauli ore audierat qui non solum proprias, sed sociorum quoque experientias ex eventu haustas optime noverat. 2°) In explicatione Knopfii notiones de Christo ac coelestibus Paulo affinguntur iam ante eventum visionis quas nonnisi post illum eventum acquisivit ; nam in serie adiunctorum quae historiae complexum integrant, prius videt Paulus « fulgentem » eiusque vocem audit quam sciat quis aut unde sit qui refulget et sibi loquitur ; et sic in sententia Knopfii Paulus fulgorem qui secundum illas notiones proprius est « coelestium », tribueret illi quem nescit an coelestis sit. 3°) Quaecumque essent notiones quas de coelestibus haberet Paulus ante visionem, non poterat fingere tales effectus tamquam externos sensibusque externis obnoxios, et multo minus persistere in tali iudicio per annos plurimos, cum, ex superius dictis, centies durante vita in facti memoriam inciderit, totiesque eius analysin instituerit (2). 4°) Demum falsum est quod

(1) *Die Schriften des Alt. Test.*[3] 3, 50.

(2) Adhuc corpora coelestia etiam concepta ut Paulus ea describit 1 Cor. 15 possunt esse obiectum externae ac corporeae, et internae non corporeae visionis

ait Knopf « numquam Paulum explicare verbis perspicuis naturam concretam eventus ». Quid magis concretum quam descriptiones Actuum quae certissime a Paulo sunt ; aut, quamvis compendiosius, verba 1 Cor. 9, 1 et 15, 8?

Nota. Non deerunt fortasse quidam quibus negotium facesset corporalis Christi praesentia putentque eam non satis ex dictis demonstrari ; nam in apologia christiana, inquient, similia narrantur ubi nimirum aut angeli aut etiam Christus ipse, « apparent », i. e. se conspiciendos praebent, « fulgent, loquuntur » citra corporalem praesentiam : quidni simile quiddam in casu Pauli acciderit? — Solutio difficilis non est : si in praedictis casibus demonstrentur intervenisse eadem adiuncta quae in nostro, i. e. si ibi quoque obiectiva et externa phaenomeni realitas comprobetur per idonea criteria, experientiam nimirum propriam ipsius visionarii *et aliorum*, casus obiecti habendi erunt veluti penitus similes cum casu Pauli. Si vero ita non est, sed dum visionarius ea experitur, alii qui praesentes sunt, nihil tale percipiunt, visio non potest velut corporea et externa certo pronuntiari, sed ut mere imaginaria aut intellectualis quamvis forte vera sit, censenda est. De facto, communiter visiones, non ad eas pertinent quae « reales » dicuntur, sed sunt imaginariae. In ipsa Scriptura visiones huius generis qualis fuit visio Pauli, rarissimae sunt et vix nisi de Paulo et Daniele narrantur. Nec adest ulla ratio distinguendi inter obiectivam realitatem ceterorum effectuum et praesentiae Christi, quasi ceteri effectus nimirum externi et reales sint, Christi vero praesentia non ita. Inter interpretes catholicos vix aliquis bonae notae citabitur qui cum Sto Thoma 3, p. q. 57, art. 6 ad 3 Christi realem praesentiam in paulina visione non asserat. Quod in historia ascensionis (Act. 1, 11) Christus in reali ac corporea praesentia solum in secundo adventu compariturus dicatur, de « permanenti » et « contrectabili » praesentia, non de « transeunte » et « non contrectanda » intelligendum est.

Pauli aetas cum fidem christianam amplexus est, sponte quaestionem provocat num Apostolus coelebs fuerit an uxorem umquam duxerit. Matrimonium certe apud hebraeos summo in honore habebatur ; et Paulus, ex dictis, tempore conversionis maturus coniugio erat. Tamen nec in historia Actuum neque in epistolis occurrit umquam locus ullus quo vel asseratur vel insinuetur quidquam de Pauli coniugio. In traditione item christiana solus

---

pro diversitate "actus„ quo cernuntur, vel oculi corporei nempe, vel imaginationis aut intellectus. Et Paulum etiam tempore quo corpora coelestia concipiebat ut 1 Cor. 15 ea describit, distinxisse inter diversas classes visionis talium obiectorum patet ex 2 Cor. 12, 1-4 ubi non audet dicere an corporeo actu ea vidisset, an aliter.

Clemens Alexandrinus (1) cuius testimonium affert Eusebius, Paulum ut coniugatum exhibet. Eusebius vero etsi testimonium afferat et in titulo capitis (2) insinuet se eiusdem esse opinionis, vix tamen non contrarium subindicat cum addit Clementem id asseruisse " propter nuptiarum honorem „ contra encratitas, id quod Clementem quasi testimonia undique corrogantem et sic facile etiam non admodum firma pro sua causa afferentem inducit (3). Veteres protestantes non sine quadam animi effusione, quippe causam propriam agentes, Clementis testimonium iactabant, dum hodierni critici e converso Apostolum vix non ut coniugii osorem passim describunt. Rei veritas sic se habet: Paulus ipse numquam uxorem duxit: nam christianus et apostolus certe nuptias non iniit, cum e contra, expressis terminis se veluti exemplum continentiae non viduis solum sed etiam solutis proponat. Id vero non de usu coniugii tantum, sed omnino de abstinentia intelligendum esse contextus ostendit (4). Eadem autem verba ulterius probant Paulum neque ante fidem matrimonio copulatum fuisse. Revera uxor Pauli numquam in textu Novi Testamenti memoratur. Locus Philipp. 4, 3 ad quem Clemens provocabat, non de uxore, sed de consocio in ministerio (σύζυγε γνήσιε) agit: quamvis enim σύζυγος adiectivum sit duplicis solum terminationis, non ita γνήσιος (5). Chrysostomus autem in eumdem locum (M. 62, 679) Clementis opinionem reicit.

Quae vero de coniugio Pauli sive cum Thecla sive praesertim cum Lydia hodierni quidam non critici sed peregrinarum fabularum expiscatores communiscuntur, inania sunt. Nimirum Renan exempli gratia ipse se refutat cum postquam scripserat

(1) *Strom.* 3 ap. Eus. H. E. 3, 30 (M. 20, 277).

(2) " De apostolis qui in coniugio vixerunt „.

(3) Eus., *Hist. eccl.*, 3, 30 (M. 20, 277).

(4) ἀγάμοις καὶ ταῖς χήραις = " *innuptis* et viduis „: certe *innuptus* per contrapositionem et superadditionem ad viduas non viduus solum est, sed a nuptiis quomodocumque et omnino liber ac remotus.

(5) Chrys. (*in Philipp.* 4, 3) Σύζυγε nomen proprium facit Praesulis philippensium, quem Paulus amici nomine ludens, compellat *verum*, *genuinum* sodalem (M. 62, 679). Theodoretus (in eumd. loc.) sententiam eorum qui uxorem Pauli hic significari volunt, appellat stultam. Von Soden in sua editione secutus est opinionem Chrysostomi scribens nomen initiali maiuscula. (*Griech. N. T.*, p. 372).

" non esse nimiam audaciam (i. e. admodum esse probabile) supponere Lydiam (purpurariam philippensem) esse eamdem illam quam Paulus in epistola ad Philippenses appellat dilectam coniugem (ma chère épouse) „, in eodem volumine nobis loquitur de " Pauli frigiditate... cui natura (etiam in affectu coniugali) est quid perversum „ : " conditio hominis perfecta, iuxta Paulum, consistit in virginitate : coniugium admittitur ut minus malum „ (1). Haec et quae plurimi hodierni protestantes (2) de Paulo tamquam nimirum naturae humanae purissimarumque illius affectionum penitus ignaro et vix non barbaro eversore tradunt, evanescunt ubi primum legitur caput 7 primae ad Corinthios, cuius divina et aurea documenta nituntur humanae naturae eiusque infirmitatum non minus profunda notitia quam paterna commiseratione.

II. — Paulus Apostolus

1. Paulus missionarius inter iudaeos

Paulus in Christi apparitione non solum " interdictum saeviendi „, sed munus praeterea acceperat eius nomen praedicandi, et, sicut coram Agrippa declarat (Act. 26, 19) extemplo cum ingenti animi alacritate sese operi accinxit. Revera inter eximias excellentias quae certatim ac magno numero Paulum exornarunt, nulla tantopere eminet quam ea qua passim per antonomasiam *Apostolus* appellatur, sumpto vocabulo genuina illa significatione qua primitiva Ecclesia eos designabat qui primum alicui provinciae vel regioni christianam fidem inferebant (3). Peracto igitur ad Christi imitationem fervido, et quantum coniicere licet haud brevi (4), secessu in Arabia (Gal. 1, 17), ministerium praedicandi

(1) *S. Paul*, pp. 148. 394. 395.

(2) V. gr. Weiss (Ioann.) in suo *Comm.* in cap. 7 1ae Cor. (Cursus Meyer 1910).

(3) Iesus ipse primus " Duodecim „ selectos et Legatos suos ad fidem mundo inferendam, ab hoc munere " apostolos „ nominavit (Lc. 6, 13). Ad horum dein similitudinem extensa est ad eos quoque denominatio qui alicui regioni Evangelium primo inferebant.

(4) Iter in Arabiam non praedicationis sed secessionis causa Paulus aggressus est ; nam Lucas qui studiosa accuratione primos illos Apostoli gressus in

in urbe damascena aggressus est (Act. 9, 20 ; Gal. 1, 17), apud iudaeos tamen, nondum inter gentiles, quidquid post Weizsäckerum (1) critici protestantes passim autument. Porro tale ministerium, in initiis vitae apostolicae Pauli, tum historicis testimoniis (Act. 22, 17. 21) tum Apostoli affectioni erga iudaeos, quam hodierni critici heterodoxi non solum admittunt, sed plane exaggerant (2), imo et Apostoli ipsius declarationibus admodum consentaneum est. In fragmento auto-biographico Gal. 1, 12-24 cum tempus definire vult quo primum innotescere potuit " suum Evangelium quod inter gentes praedicat „, non ministerium arabicum aut damascenum, vel aliud quodvis quod antiochenu praecesserit sed hoc ipsum solummodo veluti aptum ad scopum designat (vv. 22-24); idque quamvis in descriptionis complexu minime omittat duplex illud stadium quod praedicationem antiochenam praecessit. Quare hoc, nisi quia ante ministerium antiochenum cognosci non tam facile potuit, cum eo tempore iudaeis praedicaret quibus non sicut gentilibus inculcanda erat immunitas a mosaismo, utpote qui retineri poterat, dummodo salus non ab eo sed a fide in Christum repeteretur? Praeterea Gal. 5, 11ª obiectionem memorat sibi ab adversariis impactam quod " adhuc „ (ἔτι) circumcisionem praedicaret. Adverbium " adhuc „ in loco citato non necessario seiungit tempus ante conversionem a posteriori tempore ; nam 11ᵇ recurrit idem adverbium sub eadem significatione, et tamen tempora per particulam seiuncta non sunt tempus " ante „ et tempus " post „ conversionem ; sed particula seiungit tempus quo iudaeis Damasci praedicabat, in quo ab eis

---

vita christiana persequitur, quique veluti notam eius characteristicam ministerium erga gentiles et annuntiat iam 9, 16 et late postea describit, ne verbulo quidem quidquam insinuat de Pauli inter arabes predicatione. Qua igitur de causa iter illud arripuit? Procul dubio secessus gratia ut digne se ad ministerium pararet. Ad hoc eum invitabat Christi, et similiter Baptistae et apostolorum exemplum, i. e. omnium qui hactenus Evangelii praedicationi vacaverant. Nec deerant similia exempla in Vet. Test. Moysis, scilicet et Eliae quos Paulus pharisaeus quam maxime venerabatur. Diximus " haud brevi „ ; secus enim non apte explicantur quae de hierosolymitana commoratione post reditum in iudaeorum metropolim narrantur a Luca, quaeque non solum ob divinam inspirationem, sed ob comprobatam quoque historiographi auctoritatem repudiari a priori nequeunt.

(1) *Apostol. Zeitalt.* 78. 80.

(2) Harnack, *Neue Untersuch.*, 34.

utique propter nomen Christi, non vero ob mosaismum, persecutionem patiebatur ; et tempus posterius usque ad praesens, in quo, si eodem modo se haberet quo tunc erga circumcisionem, non erat cur a christianis stirpe iudaeis odio prosequendus esset (1).

Damasceno Apostoli ministerio finem imposuit, post triennium, iudaeorum coniuratio qui Aretae nabathaeorum regis Damasco tunc imperitantis potentia ac favore freti (2), Paulum interficere decreverant urbisque portas, ne aufugeret militari custodia occupaverant. At christiani damasceni Paulum per muri partem quae inter duas portas interiacebat, sporta inclusum, e fenestra hospitii demittentes, insidiantium diligentiam deluserunt (Act. 9, 23-25 ; 2 Cor. 11, 32, 33) (3).

Iter in Arabiam critici acatholici hodierni passim de ministerio inter ethnicos interpretantur : sic Weizsäcker (Apostol. Zeit. 78. 80) et novissime Loisy (L'Epitre aux Gal. p. 66 ; Act. des Apôtres 414) ; at quibus id argumentis evincant, non apparet. Weizsäcker quidem ait Paulum Arabiae viam arripuisse eo animo, ut iam tum in opus deduceret mandatum a Christo in vocatione acceptum de evangelizandis gentibus idemque insinuat Loisy loco citato ; at quamquam in verbis quibus Act. 9, 15 Apostolo eius missio ab Anania intimatur, memorentur « gentes », tamen nec memorantur solae, nec dicitur eas illico iam, et ante « filios Israel » evangelizandas esse. Apostolus vero ipse

(1) Cum ad iudaeos Paulus Damasci praedicabat, circumcisionem et mosaismum minime respuebat, imo commendabat, utpote rem licitam iudaeochristianis, dummodo non exercerentur titulo necessitatis ad salutem. Contra, cum ad gentiles, quoniam ob horum in iudaicas observantias aversionem, mosaismus solo necessitatis ad salutem titulo imponi poterat, talis vero titulus deerat, rerum conditio et zelus salutis gentilium sponte dictabat ut qui inter gentiles Evangelium praedicabant, immunitatem a mosaismo efferrent contra nonnullorum intemperantiam qui gentiles ad circumcisionem compellere volebant.

(2) Erat Aretas socer Herodis Antipae : hinc eius amicitia cum iudaeis Damasci. Potiebatur autem Aretas eo tempore (35-37) damascenae urbis dominio, sive ex Caligulae concessione, sive, si chronologia obstat, ex eo quod subalternus quidam eius dux cum beduinis urbem occuparet : primam sententiam tenet Schürer (1, 737), alteram Zahn (Einl ³ 2, 641).

(3) Lucas de solis iudaeis loquitur (Act. 9, 23. 24) ; sed Paulus 2 Cor. 11, 32 « custodiam civitatis » ad comprehendendum se non « iudaeis » ut Lucas, sed « praeposito Aretae » tribuit. Non de diverso eventu est sermo, cum in utraque descriptione modus evasionis sit idem : demissio per murum in sporta. Iudaei scilicet custodiebant civitatem « per Aretae copias ». Weizsäckeri opinio de tertio Pauli in urbem damascenam reditu nullo testimonio fulcitur.

quamvis similiter Gal. 1, 16 asserat se vocatum tempore conversionis ut « Iesum in gentibus evangelizaret » ac de aliis sileat, non tamen affirmat vel se iussum fuisse ut statim imperium executioni mandaret, vel se huic ministerio nulla interposita mora vacasse. Adverbium εὐθέως significat quidem inmediatam obedientiam mandato : at haec non excludit congruam praeparationem, aut inchoationem per iudaeos. Porro cum Hierosolymam inmediate memorat, ipse quid sub tali memoria cogitet, innotescit : apostolos conveniendos. Certe de Apostolis Paulus non cogitat veluti de agro praedicatione sua excolendo, sed potius tamquam de schola ubi se ad ministerium parare atque Evangelium discere commode posset nisi Deus alia via expeditiore eruditionem apud eos acquirendam supplevisset, directa et inmediata nimirum revelatione (1). Arabia igitur et Iudaea obversantur in mente Pauli veluti stadium praeparationis ad munus, ut etiam confirmat reditus in urbem Damasci, quamprimum statuit praedicationem inchoare. Si in Arabiam profectus est praedicationis causa, cur tam cito (2) Damascum revertitur ?

Nec rursus de ministerio ipso damasceno adest ulla ratio affirmandi ex scriptis Pauli, praeter iudaeos, ad ethnicos quoque fuisse protensum ; nam, ut diximus, cum Paulus Gal. 1, 11-24 tempus designat quo primum potuit notum perspicue fieri qualis esset naturae Evangelium quod gentibus praedicabat, non ad ministerium damascenum, sicut nec ad subsequentem conmorationem in patria, sed ad praedicationem antiochenam (vv. 22-24) provocat, licet superius (1, 17) expresse damascenam commorationem memorasset. Nedum igitur adsit ulla oppositio inter Paulum et Lucam in designatione temporis quo inchoatum est eius ministerium inter gentes, epistola ad Galatas non obstante sua concisione, confirmat plane Lucae descriptionem. Certe nulla ratio adest quare intimatio Christi ad Paulum contraria ei sit quam in apostolorum missione statuerat et etiam a Luca memoratur Act. 1, 8 de

(1) Sed rursus ab alio extremo cavendum, ne scilicet exsistimetur Paulum, cum Gal. 1, 17 de itinere in Arabiam loquitur tamquam per diametrum contrario ad hierosolymitanum inter apostolos, insinuare velit se apostolos studiose refugisse. Paulus eo tempore non poterat Hierosolymam sine gravi necis periculo reverti ob Synedrii iram contra se quasi muneris praevaricatorem a Synedrio commissi. Cum dicit se " non acquievisse carni et sanguini „, non vult dicere se facile Hierosolymam redire potuisse, sed : quamvis sponte ferretur in reditum, expensis sereno animo omnibus, prudentius iudicasse non reverti. Paulus numquam hostilem aut alienatum quovis modo animum ab apostolis gessit.

(2) " Cito „, attento inmenso praedicationis campo inter paganos quem ei Arabia offerebat si revera ad eos evangelizandos illuc appulisset. Nimirum arabica commoratio " brevis „ fuit si illuc ad evangelizandos paganos adierat ; absolute tamen secessus non brevis fuit.

evangelizandis « primo » iudaeis, quamque ipse Apostolus in Epistolis toties repetit (Rom. 1, 16 ; 2, 9. 10 ; 3, 9 ; 10, 12), et in praedicatione factis comprobat (passim in historia Actuum !).

Quoniam durante commoratione arabica et damascena usque ad iudaeorum conspirationem in Paulum, triennii ferme spatium fluxerat, quo tempore aut cessaverat aut multum deferbuerat Hierosolymis persecutio in christianos (vix dubium quin romanae auctoritatis interventu), potuit Paulus sine periculo ex parte Synedrii illuc remeare, quo ceteroquin eum vehementer impellebat studium sese apud Petrum sistendi eique ceu supremo christianorum capiti obsequium praestandi (1). At si difficultates ex parte Synedrii cessaverant Paulusque potuerat libere Hierosolymam regredi, remanebant inter ipsos fideles hierosolymitanos ex aliis rationibus obstacula quae Pauli accessum ad apostolos praepediebant. Narrat Lucas, cum venisset Paulus Ierusalem, " omnes (πάντες) eum timuisse, non credentes quod esset discipulus „. Hinc necesse fuit mediatorem Barnabam adhibere, qui " apprehensum illum duxit ad apostolos ut narraret (2) eis quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei, et quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Domini „. Quamvis vero Pauli propositum erat in iudaeorum hierosolymitanorum conversionem incumbere (Act. 22, 19. 20) idque Hierosolymis quoque, sicut Damasci, aggrederetur (Act. 9, 28[b]) (3), iudaei, praesertim hellenistae, quos peculiari studio adortus erat ob peculiarem quam in

(1) Chrys. (in Gal. 1, 18) notat : οὐκ εἶπεν · ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι " id quod, ait Chrysostomus, dicere solent ii qui magnam aliquam atque insignem urbem admirabundi invisunt „ : usque adeo nimirum Petrus propter excelsam dignitatem et famam ob portenta omnium in se admirationem ciebat. Revera historia Actuum 1-15 ita describit Petrum ut splendidissimum practice commentarium praebeat Matth. 16, 16-19 et Ioann. 21, 15-18.

(2) Interpp. communiter (cfr. Knab., Felten, imo Blass p. 120) subiectum verbi " narravit „ (διηγήσατο) faciunt Barnabam : vereor ut recte ; nam iuxta hebraicae et aramaicae linguae genium (quem suo sermone per totam primam partem Actuum 1-15 prodit Lucas ob fontes quos sequitur sicut in Evangelio per tria priora capita) ; potius, semel inductus accusativus αὐτόν tamquam terminus verbi ἤγαγεν, idem censendus subiectum sequentis διηγήσατο.

(3) Conversatio hierosolymitana Pauli cum fratribus (v. 29) iisdem verbis describitur quibus conversatio damascena : παῤῥησιαζόμενος ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου.

eis animadverterat oppositionem (1) furore concitati, eum perdere decreverunt. At hic quoque, industria fratrum potuit Apostolum a nece eripere, atque Hierosolymis eductum, primo Caesaream atque exinde Tarsum deducere (Act. 9, 26-30). Mirum forsan videbitur quod iudaei Paulum privatis artibus occidere, et non potius sicut Stephanum apud Synedrium publico processu accusare tentarent, potissimum cum de transfuga ageretur qui Synedrii fidem fefellisset; at prae oculis habendum romanos in Synedrium invigilasse ne potestate, sicut in casu Stephani, abuteretur (2).

Quid Paulus Tarsum reversus in Cilicia egerit hoc tempore ignoramus, nam omnes fontes silent. Cum ex una parte eum a labore vacasse minime sit verisimile, et aliunde nec ipse in epistolis nec Lucas in Actibus Apostolum cum ethnicis agentem exhibeant ante ministerium antiochenum (3), pronum est concludere eum, sicut Damasci, inter iudaeos laborasse. Quod Zahn (Einl. [3] 1, 36) insinuat eum hoc tempore maxime, idque per quinquennium, studio LXX et hellenismi vacasse, testimonio caret historico estque parum verisimile. Cum de chronologia agemus, videbimus commorationem tarsensem perexiguam fuisse.

De duplici damascena commoratione (Gal. 1, 17 πάλιν; Act. 9, 20 ἡμέρας τινάς; 9, 23 ἡμέραι ἱκαναί) interposito interea Arabiae secessu, nulla difficultas est pro concilianda Actuum narratione cum descriptione Pauli Gal. 1, 12-17 (4). At aeque clarum non est quanto tempore altera commoratio, et sic ministerium damascenum, protracta sit. Cum Paulus Gal. 1, 18 expressis verbis asserat se Hierosolymam non prius

(1) Disputabat: συνεζήτει: " conquirebat „, scilicet, sicut Damasci, ad Scripturam provocabat ut messianicam Iesu dignitatem ostenderet. Ἑλληνισταί cum quibus disceptat Paulus Hierosolymis non sunt ethnico-christiani ut ex versione Vulgati (Graecis) aliqui erronee putare videntur: sunt iudaei ex Diaspora qui in Synagoga linguam graecam adhibebant. Hierosolymis numquam fuerunt ethnico-christiani, nec adhuc praedicatum erat Evangelium ethnicis.

(2) Haec est genuina explicatio tolerantiae erga apostolos per quinque priora capita Actuum, non dogmatum identitas ut perperam asserit Harnack. Certe respectu Pauli non valet ratio " identitatis doctrinae „.

(3) Cfr. superius dicta.

(4) Belser, (*Selbstverteidigung*, p. 31) et post eum Wikenhauser, (p. 184) duplicem illam chronologicam indicationem Act. 9, 19. 23 non de duplici damascena Pauli commoratione sed de unius commorationis duplici aspectu (privatim inter fratres, publice in praedicatione) explicandam putant: difficultatem vero ex antiphonia cum Gal. 1, 17 expediunt ex nota Lucae inaccuratione (Lc. 2, 39; 24, 44; Act. 19, 1-20, s.) in chronologicis.

revertisse quam expleto post conversionem triennio, Baur (*Der Ap. Paulus* p. 106) contendit Lucae narrationem falso asserere ea quae de hierosolymitana Pauli commoratione post reditum Damasco tradit. Scribit namque Lucas Paulum magna passim diffidentia a christianis susceptum fuisse, et omnes (πάντας) ad eum accedere timuisse « non credentes esse discipulum ». Si de paucis quibusdam fidelibus ageretur, explicatio haud difficilis foret etiam post triennium ; at quod omnes talem diffidentiam foverent, intelligi non potest, ait Baur, nisi in mente scriptoris Actuum absentia Pauli brevis admodum fuerit : ἡμέραι ἱκαναί igitur nihil aliud in sensu auctoris sonat quam spatium, ad summum aliquot mensium. Loisy (p. 94) addit, pro suo more cuncta exaggerandi, narrationem Lucae (Act. 9, 20-30) aliud non esse quam « impossibilitatum congeriem » (1). Quibus respondendum, si res publicae eo tempore in Syria et Palaestina iuxta normalem cursum evolverentur, equidem haud facile explicari quo pacto post triennium fideles hierosolymitani Pauli conversionem adhuc ignorare possent. Cum vero Lucas diligentissimus ac verax comprobetur in omnibus in quibus licuit eius narrationes cum monumentis ac documentis conferre, cumque de Pauli gestis agatur quae ignorare non potuit, prudens quisque sponte concludit Pauli fata sic per hoc triennium fuisse evoluta ut nonnisi eo expleto eius conversio certo in Iudaea apud omnes innotesceret.

Id quod haud aegre intelligitur si admittamus : 1°) secessum Pauli in Arabia utique satis diuturnum fuisse, ita ut interea quid de eo factum esset, passim ignoraretur ; 2°) persecutionem in Palaestina adhuc post Pauli conversionem fuisse per certum quoddam tempus protractam, forsitan ultra annum ; et 3°) supervenisse interea bellum inter arabes et Herodem Antipam (ann. 36) (2), quo tempore omne commercium inter Arabiam cum Damasco et Palaestinam intermissum fuerit. Inde factum est ut nuntia de Paulo nonnisi sero post eius conversionem in Palaestinam per-

(1) Idem, stilo adhuc rusticiore, asserit *Les Actes des Apôtres*, p. 414-426. Ut vero appareat quo Loisyum ferat eius verus furor contra Lucam sufficit id adnotare : quod Lucas de custodia Damasci per milites Aretae omnino secundum 2 Cor. 12, 32 tradit Loisy transformare in " externas excubias quae Damasci viciniis invigilant „ (*Les Act.* p. 418). At si ita est, quomodo explicatur evasio Pauli quam admittit gallus scriptor, " per murum in sporta demissi „ ? Ad quid perfugium ad demissionem " per murum „ si de *externis* custodibus effugiendis agebatur ? Si vero de internis est sermo, optime intelligitur, quia vigiles erant ad *portas* urbis (Act. 9, 24).

(2) Quod tamen anno 37 cessavit ita ut et Aretas iudaeos Damasci amicos haberet, et Paulus potuerit sine periculo in via Hierosolymam reverti.

venirent, eaque confusa et parum definita. Lucas eventibus suppar et pro coaevis scribens quibus haec omnia nota essent, multa omittit quae proinde nobis post tot saecula utique difficultatem creant, non vero immediatis eius lectoribus (1).

2. Pauli ministerium inter ethnicos Antiochiae

Ministerium Pauli apud antiochenos quo deductus per Barnabam fuerat ab urbe Tarso (Act. 11, 25) quodque Apostolus ipse brevissime insinuat Gal. 1, 21, non ita in suis initiis peractum intelligi debet, ut aut brevi solum tempore ante primum iter transmarinum duraverit, aut per oppida tantum et pagos Antiochiae circumiacentes, non vero in ipsa urbe versatum sit : a primo eius in urbem adventu usque ad transmarinas expeditiones Paulus, etsi excursus rurales non excluderet, maxime in ipsa Metropoli laboravit. Locutio " κλίματα (tractus) Syriae et Ciliciae „ indicat solum quasi per compendium, theatrum ministerii Pauli post hierosolymitanam commorationem, ab egressu ex illa urbe usque ad tempora quae iudaizantium controversiam praepararunt per propagationem Evangelii inter ethnicos. Licet in mente Pauli locutio fortasse intendit commorationem quoque tarsensem innuere (et Ciliciae), praecipue tamen antiochenam designat ; ordo autem regionum historico commorationum ordini non obstat ; quod enim Ciliciae praeponatur Syria fundamentum habet in denominatione qua romani Syriae legationem appellabant, copulata nimirum utraque provincia, atque anteposito Syriae nomine ob maius huius provinciae momentum. Paulus id solum vult dicere, se, relicta Hierosolyma, in illam regionem venisse quae romanam provinciam efformabat a romanis " Syria et Cilicia „ appellatam (2).

Steinmann (3) (p. 30) putat Paulum cum « Syriam et Ciliciam » hoc loco et ordine memorat (Gal. 1, 21) non de ministerio antiocheno loqui post commorationem Tarsensem de quo Lucas Act. 11, 22-30,

(1) Certe iuxta Gal. 1, 18 Paulus desiderio flagrabat Petrum conveniendi : cur tamen reditum tam diu distulit, si libera erat via ? Omnia suadent Paulum per diuturnum temporis spatium regredi non potuisse : hinc explicatio in textu proposita conformior est historiae.

(2) Schürer, 1, 323 ; Belser, *Einl.*[2] 424 : " et quia una missionis regio cuius caput Antiochia, et quia una provincia politica „.

(3) Similiter Fouard, *S. Pierre* 161. 162.

sed de transitu per Syriam cum Tarsum adiret ut insidias declinaret sibi Hierosolymis per iudaeos exstructas. Secundum Steinmann Paulus Caesaream per discipulos deductus, navim ibi conscendit qua in ora Syriae delatus, id quod restabat itineris usque Tarsum, terra confecit. Sed in hac hypothesi silentio premeret Paulus ministerium antiochenum ante controversiam de mosaismo ; quo posito, quandonam innotuit Evangelium quod gentibus praedicabat ? Praeterea innaturalem redderet nexum Gal. 2, 1 cum praecedentibus qui obvius est si Gal. 1, 22-24 ministerium antiochenum notant (1).

Antiochenum Pauli ministerium Lucas in duplicem periodum dispescit : ante hierosolymitanum iter ad collectam afferendam; quae periodus non multo plus quam per annum perduravit Act. 11, 25-30) ; et post confectum iter, usque ad transmarinam expeditionem in Cyprum et Galatiam (11, 30 ; 12, 25-13, 3) (2). Ex colloquiis cum Paulo Hierosolymae habitis, quaenam esset eius vocatio Barnabas non ignorabat (Act. 9, 27), praesertim post urgentiorem de evangelizandis gentibus revelationem intimatam Apostolo in templo durante hac commoratione (Act. 22, 17. 21) : imo noverat advenisse tempus ut Paulus gentium evangelizationem inchoaret, semel aperto gentilibus Evangelii aditu per Cornelii conversionem. Hinc, quamprimum Antiochiae coactus fuit primus ethnico-christianorum coetus, Barnabas, qui Antiochiam, missus ab Apostolis, venerat (Act. 11, 22) nulla intermissa mora, Tarsum perrexit Paulum requisiturus, quod nullum eo aptiorem iudicaret ad opus Antiochiae inchoatum strenue promovendum. Imo facile fieri potuit ut revelatio specialis hac de re per prophetas haberetur sicut passim eo tempore in casibus similibus (Cfr. Gal. 2, 2 ; Act. 16, 7 ; 20, 23). Peracto autem vix annuo praedicationis spatio, praenuntiabat Agabus celebrem illam famem quae deinde imperante Claudio supervenit, ad cuius levamen indicta fuit inter fideles antiochenos collecta pro hierosolymitanis pauperibus, quae per Paulum et Barnabam in iudaicam metropolim brevi postea deferebatur (Act. 11, 22-30).

(1) Nimirum si Gal. 1, 22-24 intelliguntur de ministerio antiocheno, perspicuum fit cur 2, 1 Paulus " ascendat „, cur " Antiochia „, cur " cum Barnaba „ (Cfr. Act. 15, 1-5) ; secus vero si de itinere ad Ciliciam deque tarsensi commoratione

(2) Proprie loquendo nec 13, 3 antiochenum Pauli ministerium cessavit, nam absoluto primo itinere Apostolus eo redit ministeriumque resumit (Act. 14, 28).

Attenta Lucae narratione (Act. 11, 27-30) praenuntiatio famis per Agabum et elemosynarum delatio continenter evenerunt ; id quod aliqualem difficultatem infert, cum iuxta Ios. Flavium fames sub Cuspio Fado (*Antiquit*, 20, 5) i. e. nonnisi post annum 43 advenerit (1), praenuntium autem Agabi regnante Caligula factum sit, et sic ante ann. 41; nam Lucas de implemento loquens, illud « sub Claudio » collocat, facta nimirum distinctione inter imperatorem sub quo impletur praenuntium et eum sub quo fit. Re autem attente expensa, nulla difficultas subest : collecta profecto corrogata atque asportata Hierosolymam fuit antequam fames veniret ; imo in hunc praesertim scopum tam tempestive fiebat praedictio, ut minori pretio coëmi possent et in tuto reponi quae necessaria ad scopum forent. Ratio vero cur, etsi fames generalis futura erat, de sublevandis ierosolymitanis praecipue cura esset, facile intelligitur, si habeatur prae oculis extrema penuria in quam fideles huius ecclesiae coniecti erant ob bonorum exspoliationem et alias vexationes quibus obnoxii fuerant paulo ante ob persecutionem de qua Act. 8, 1 cuius meminit etiam Paulus Hebr. 10, 32 (pristinos dies) (2). Quam enim dira illa persecutio fuerit et quantopere acerbitate ac duratione fideles vexaverit discimus ex Act. 8, 3 ; 22, 4, 5 ; 26, 13, 11 ; Hebr. 10, 33 ubi « bonorum direptiones » etiam memorantur.

(1) Cuspius Fadus, primus in secunda serie procuratorum post Agrippae decessum, non potuit Iudaeam administrare nisi post annum 43, cum Agrippa Iudaeam ineunte anno 41 obtinuerit et per triennium regnaverit (Fl. Ios., *Ant.*, 19, 8).

(2) Quantum ex diversis fontibus ac testimoniis coniicere licet, fames sub Claudio gravis ac diuturna fuit, et inchoata iam ab initiis eius regni, etsi utique eo ipso quod diuturna, non statim supremum gradum attigit. Hinc collecta de qua Act. 11, 30; 12, 25 potuit ita mature corrogari et inter pauperes distribui ut iam ante Cuspium Fadum et regnante adhuc Agrippa contra primos flagelli insultus praemuniret. Nulla proin difficultas quod Fl. Ios. de fame paulo serius et iam sub Fado loquatur (Act. 20, 2): inducit enim sermonem de fame non tam directe, quam indirecte, occasione conversionis ad iudaismum Helenae adiabenorum reginae, quae Hierosolymam veniens quo tempore iam diu fames praevaluerat, iudaeos hierosolymitanos large pecuniis sublevavit (ibid.). Patrimoniorum autem abrenuntiationes inter fideles parum contulerunt, quia non communes sed paucorum tantum erant.

III. — Pauli itinera transmarina (1)

1. Pauli primum iter

Hactenus Paulus etsi assidue in propagando Evangelio desudaverat, Damasci, Hierosolymis, Tarsi, Antiochiae ; nondum tamen illam inchoaverat longiorum trans mare, atque laboriosissimorum itinerum seriem quae celeberrima evaserunt quaeque per antonomasiam " Pauli itinera apostolica „ vocantur. Post regressum vero Hierosolymis ex collecta, ecclesiae antiochenae praesules expressam a Spiritu Sancto (2) iussionem acceperunt segregandi Paulum et Barnabam ad inaugurandas expeditiones illas evangelicas per universum orbem romanum, quae ab hoc tempore usque ad mortem constanter Paulum occuparunt. Cum Barnabas patria Cyprius esset, cumque iam antea in illa insula Evangelium praedicatum fuisset (Act. 11, 19) nondum tamen ethnicis, alienum a missione non fuit Barnabae desiderium connationalibus, quam citius licuit, subveniendi : illud est certum, iuxta Lucam, expeditionem in Cyprum insulam recta perrexisse. Peragrata autem insula per totam eius longitudinem Salamine usque Paphum, apostoli bonum nuntium ethnicis regionis obtulerunt. Lucas iuxta methodum quam sibi praestituerat, ut ex tota peregrinationum Pauli historia apparet, res per summa capita digerit, memoratis singillatim illis solum eventibus qui maioris momenti sunt, quique idoneum de praedicationis fructibus atque effectu iudicium suggerunt. Hinc de cyprensi missione unicum eventum speciatim narrat, ceteroquin insignem ; conversionem Sergii Pauli proconsulis, superata oppositione quam magus Bariesu (3), magicarum artium

(1) Quae passim " apostolica „ appellantur.

(2) Per prophetas scilicet qui illo tempore in omni christiana communitate aderant (Act. 13, 1). De " Spiritus „ enim personali quibusdam summis viris quasi adstantia et affatu rarius mentio fit (Cfr. tamen Act. 8, 29 ; 3, 9 ; 10, 19 ; 16, 6. 7 etc.).

(3) Secundum Lucae narrationem, proprium praestigiatoris nomen erat " Bariesu „ quod apprime iudaeo qualis erat magus, congruit. Nomen vero alterum " Elymas „ (D. Ἑτοιμᾶς) obscurae originis et significationis est, etsi communiter explicetur ut vox aramaica quae " Magum „ significat. Goëtes videtur hoc nomen sibi applicuisse ad famam exotica appellatione apud plebes captan-

auxilio atque magna qua exinde pollebat apud proconsulem auctoritate, apostolorum laboribus suscitabat. Ad proconsulis conversionem contulit maxime miraculum a Paulo patratum quo magum caecitate percussit. Hoc primum, quod sciamus, ab Apostolo patratum prodigium non modo mirifice contulit ad proconsulis atque insulanorum conversionem, sed iuvit etiam haud parum, cum aliis in eo itinere postea superadditis, ad missionem inter gentiles sine mosaismi onere summopere commendandam.

Perlustrata Cypro, Paulus et Barnabas Pergen Pamphyliae profecti sunt (1), qua tamen regione cursim perambulata, per Tauri praerupta Pisidiam ingressi, Antiochiam (2), provinciae metropolin contenderunt. Hic potissimum inchoat Paulus consuetudinem quam deinceps constanter servat, primarias statim urbes in singulis regionibus evangelizandi, unde, veluti ex totidem circumquaque fulgentibus nucleis, evangelicum lumen per circuitum undique propagaretur.

Existimat J. Weiss consilium apostolorum fuisse solam Cyprum, Barnabae patriam, evangelizandi ; si enim Antiochiam Pisidiae, inquit, iam ab initio itineris prae mente habuissent, multo commodior via per planitiem Lycaoniae fuisset (3) ; at successus inter cyprios obtenti animos Paulo addiderunt ut Antiochiam Pisidiae contenderet, Evangelium quamprimum in romani imperii centrum illaturus. Alii ut Ramsay (4) putant potius propositum Pauli id fuisse ut post Cyprum Pamphyliam primum, dein ora potius maritima minoris Asiae, non internas pro-

---

dam, sicut circulatores apud nos aut " artistae „ pseudonyma ab exteris idiomatis non raro et altisonantia cognomina affectant. Factum nihil prae se fert quod incredibile videatur : versamur in aetate quae talium theurgorum fertilis fuit : ad eam pertinent, prater Bariesum, Simon gittensis et Apollonius tyannaeus.

(1) Pergen Attalia devenerunt, cum Perge portus non esset ; ut etiam ex historia reditus apparet (14, 25) : Attalia erat respectu Perges id quod Seleucia respectu Antiochiae : itaque a Cypro venerunt Attaliam, inde Pergen.

(2) Antiochia Pisidiae, sicut Antiochia Syriae condita erat atque patris nomine appellata a Seleuco Nicatore, seleucidarum stipite (ann. 300) : tempore Pauli erat colonia romana, quippe ab anno 102 a romanis occupata.

(3) *Urchrist.*, p. 160. Putat nimirum Weiss faciliorem fuisse aditum in planitiem Lycaoniae per " portas Ciliciae „ gurgites in praeruptis montanorum Tauri, qui aditum in Ciliciam dabant venientibus ex Lycaonia. At Paulum voluisse omnino declinare Ciliciam eo tempore quacumque demum ex causa, evidens est. Causa potuit esse aut temporis brevitas ab eius inde egressu, aut iudaeorum timor.

(4) *S. Paul the traveller and roman citizen*, pp. 94-97.

vincias perlustraret ; sed cum in demissiore Pamphyliae littore Paulus correptus morbo esset, compulsum fuisse salubriorem in montanis aërem quaerere. At narratio ipsa Lucae, cum apostolos Derben, extremum scilicet Lycaoniae finem, pervenisse narret, non vero ulterius in Ciliciam penetrasse ; cumque exinde, remensa eadem via rursus Pergen Pamphyliae atque hinc in Syriam ilios remeantes describat, potius prodit singula iuxta consilium peracta esse ; et nec voluisse Paulum Ciliciae fines attingere nec praeruptis Tauri montis perterritum fuisse cum iterato ea traiecerit. Ratio cur tantopere ab oris recesserint et Antiochiam ascenderint videtur quaerenda in studio quo Paulus flagrabat quamprimum imperii centrum explorandi, sine iactura utique sui propositi meridionalem Galatiam iam nunc evangelizandi. Ceterum etsi nunc Pamphyliam non evangelizarent, id in reditu non omiserunt (1).

Cum a Cypro Pergen pervenissent Paulus et Barnabas, reliquit eos Ioannes Marcus (Act. 13, 5) : de causa silet Lucas. Quantum ex tota Ioannis Marci historia coniicere licet, deterruit iuvenem arduus evangelizandi labor, praesertim prout eum exercebant Paulus et Barnabas qui legem sibi statuerant nihil ob ministerium a neophytis percipiendi (1 Cor. 9, 6), id quod magnis eos incommodis ac privationibus obnoxios faciebat (2). Quemadmodum, ut diximus, iam ab hoc itinere Paulus consuetudinem inchoavit magnas urbes tamquam centrum praedicationis deligendi, ita etiam illam aliam similem de adeundis, quantum per iudaeos liceret, Synagogis veluti sede praedicationis boni nuntii; quia nimirum praeter iudaeos, frequentabant Synagogas in Diaspora quicumque Deum et legem moralem recto corde quaererent. Oratio Pauli in Synagoga Antiochiae paradigmatis instar esse potest eius praedicationis ad iudaeos et colentes (οἱ φοβούμενοι) i. e. proselytos et quoscumque accedentes ex gentibus (Act. 13, 16-41). Quamvis vero obluctantibus Evangelio iudaeis

(1) Act. 14, 25. Facile fieri potuit ut vel iam antea (Act. 11, 19) ex Cypro aliqui in Pamphyliam ad praedicandum venerint, vel quomodocumque ibi notitia Evangelii non deesset, etsi utique solis iudaeis Evangelium offerretur.

(2) Lucas 13, 5 dicit Paulum et Barnabam habuisse secum Ioannem " in ministerio „ (ὑπηρέτην = ministrum). Dobschütz (*Die urchristlichen Gem.* p. 269) ministerium de personali famulatu interpretatur Ioannis in Paulum impenso ; parum verosimiliter, cum et adolescens filius esset nobilis matronae, et Paulus qui victum sibi manuali labore comparabat, minime putandus sit humano ministerio pro sua persona usus. Genuinum vocabuli sensum dat ipse Lucas 15, 38 cum ait Marcum in Pamphylia recusasse " proficisci cum eis *in opus* „ εἰς τὸ ἔργον nempe quod ipsi ulterius continuarunt, praedicandi scilicet.

antiochenis, Paulus et Barnabas, relicta Synagoga, quasi praedicationi ad iudaeos valedicturi protestati sint: " ecce convertimur ad gentes! „, subsequens Apostoli praxis per totam historiam Actuum de vero verborum sensu nos edocet: agitur nimirum de sola hac urbe, non de proposito universim in posterum servando (1). Imo Act. 28, 28 satis ostendit Paulum hac contra iudaeorum incredulitatem intimatione uti frequenter solitum, etiam postquam iampridem inter gentiles praedicaverat. Antiochiae exiguum fructum inter iudaeos collegit Apostolus, at non ita inter gentiles ex quibus multi et in urbe et in regione circumiacente Evangelium amplexi sunt (Act. 13, 46-49). Iudaei propria incredulitate non contenti, tumultus provocarunt contra apostolos ita ut hi recedere compellerentur relicta urbe et regione (Ibid. 13, 50). Apostoli Antiochia pulsi venerunt Iconium ubi multos Evangelio lucrati sunt iudaeos et gentiles; cumque diuturno tempore in urbe morarentur, prospere res procedebant, donec divisa in duas factiones civitate, obortaque, instigantibus iudaeis, perturbatione, Paulus et Barnabas saxis impetiti urbem relinquere coacti sunt Lystramque, haud procul ad meridiem positam, sese recipere, ubi cum aut deessent penitus iudaei, aut exiguo numero adessent (2), aliquo saltem tempore respirarunt. Iconii haud parvam communitatem collegerant Apostoli: Lystrae vero, dum licuit in pace versari, pares fructus inter simplices illos paganos retulerunt. Lystrae insigne illud miraculum Paulus patravit sanandi claudum a nativitate, quod demonstrationem provocavit popularium, qui Apostolos veluti numina e coelo ad se delapsa consalutabant, imo et iis litare tentabant, id quod Apostoli cum horrore detrectarunt (Act. 14, 7-18). At scena in contrarium commutata est cum supervenientes Antiochia et Iconio iudaei turbas contra apostolos concitarunt atque tanto in eos impetu irruerunt praesertim in Paulum, ut pulsum e civitate pro mortuo relinquerent; quamquam discipulorum curis refectus, urbem denuo ingredi potuit et postero die cum Barnaba Derben profectus est

(1) J. Weiss (p. 154) formam sententiae tribuit imperitiae scriptoris qui ut pertinaciam iudaeorum validius efferret, apostolorum propositum exaggeravit. Sed ex posteriori historia, maxime vero ex citato Act. 28, 28 loco, verus expressionis sensus perspicuus est: " convertimur ad gentes „ in hac urbe et regione.

(2) Videntur defuisse penitus; nam in decursu historiae commorationis in urbe, nullibi comparent; et v. 19 cum primo de eis fit mentio " ab Antiochia et Iconio „ veniunt.

(14, 19-20). In hac ultima itineris urbe nullum experti sunt incommodum apostoli; sed admissis haud paucis ad fidem, cum emensi essent cursum quem sibi praestituerant, iisdem omnino passibus quibus provincias illas peragraverant, denuo remetientes, maritima via in antiochenam metropolin unde dimissi erant redierunt, constitutis in regressu per singulas primarias urbes Lystrae scilicet, Iconii et Antiochiae presbyteris qui sacro ritu initiati communitates regerent. Quantus ex hoc itinere fructus collectus sit, et ipsa Lucae narratio, et acris a iudaizantibus provocata procella, et Epistola ad Galatas brevi postea ad has ecclesias scripta docent.

Regiones Lycaoniae et Pisidiae peragratae a Paulo et Barnaba in primo itinere efficiebant eo tempore tractum (meridionalem) romanae provinciae quae « Galatia » appellabatur, protracto ad eas nomine ex Galatia proprie dicta, cui sub Amynta novissimo galatarum rege, romanorum socio, adiunctae ab his fuerant et amico regi traditae. Hinc, mortuo Amynta qui sui regni heredem dixit populum romanum, nova « Galatiae » provincia ex defuncti regis ditione facta est ann. 25 a. Chr. (1).

2. Controversiae de mosaismo initia

Haud multo post Pauli et Barnabae reditum ex prima expeditione, " nonnulli „, fideles quidem, sed " ex Iudaea, ut notat Lucas, Antiochiam descendentes, docebant fratres: nisi circumcidamini, non potestis salvari „ i. e. messianicam salutem et iustitiam participare. Insinuatio a Luca iam 15, 1 addita: " ex Iudaea „ completur 15, 5 cum dicitur perturbatores a " pharisaeorum haeresi „ venisse, ac plenius adhuc Gal. 2, 4; quae testimonia si conferantur, facile dissensionis origo et significatio apparet. Iam Act. 6, 7 Lucas praenotaverat " multam sacerdotum turbam „ fidei sese adiunxisse. Plerique ex his agitatoribus pharisaei erant, exinde in quibusdam eorum inmodicum in mosaicos ritus studium atque nimium imperfecta de Christi dignitate existimatio. Ad hanc factionem procul dubio pertinebant illi qui in casu Cornelii difficultatem Petro opponebant (Act. 11, 3) (2) ob ad-

(1) Cfr. Ramsay, *Cities of S. Paul*, 247-419.

(2) Lucas 11, 1. 2 accurate distinguit inter apostolos et eos qui cum Petro disceptabant de gestis in domo Cornelii: ii postremi nullo modo sunt apostoli,

missos sine mosaismi observantiis ethnicos. Cum vero postea audirent Antiochiae non unam familiam, sed turbas ethnicorum ad Evangelium admissas omisso quovis mosaismi onere; imo eodem simplici per solam fidem in Christum processu innumeros per Cyprum et Galatiam in Ecclesia receptos, deputarunt nonnullos Antiochiam ut certiores de facto redderentur, explorata plene rei veritate. Ut ex deputatorum ad ethnico-christianos antiochenos intimatione elucet, et ex 15, 5 confirmatur, hanc a mittentibus instructionem acceperant: ut necessitatem mosaismi ad salutem intimarent ethnico-christianis. Cum Paulus et Barnabas rei gravitatem primo iam intuitu probe persensissent, cumque certo nossent perturbatores illos minime ab apostolis missos esse (1), quippe cum Barnabas qui apostolorum sensa non ignorabat, apostolos apprime per seipsum (Act. 11, 22. 23) edoctos sciret de rerum conditione apud antiochenos; perturbatoribus iam ab initio strenue obstiterunt, inita adversus eos controversia (στάσις cfr. 23, 7) i. e. inquisitione rei, secundum fontes Evangelii scilicet, quos novatoribus opposuerunt. Dissidio tamen non cessante, in hoc consilium ventum est (mutuo consensu) ut ex utraque parte (2) deputati Hierosolymam ad apostolos et presbyteros mitterentur controversiam ad horum tribunal delaturi. Pro ethnico-christianorum partibus delecti sunt Paulus et Barnabas, quos comitatus est Titus (Act. 15, 2; Gal. 2, 1); pro contraria parte alii (Act. 15, 2) qui tamen expresse non nominantur. Coacto Hie-

---

imo neque fideles hierosolymitani in suo complexu. Appellatio οἱ ἐκ περιτομῆς non stirpem respicit, sed animi studium: sunt " circumcisionis studiosi „ non " iudaeo-christiani „, sed " iudaizantes „, per oppositionem ad οἱ ἐκ πίστεως. Cfr. Rom. 4, 12; *Gal.* 3, 7. 9; *Rom.* 3, 20: certe boni iudaeo-christiani ex fide salutem repetebant.

(1) Facile est ut in decursu disceptationum novatores affectarent se a hierosolymitanis praesulibus mandatum accepisse; nam in decreto (v. 24) hi negant se tale mandatum dedisse.

(2) Act. 15, 2 sic sonat: γενομένης δὲ στάσεως καὶ ζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ Βαρνάβᾳ πρὸς αὐτούς, ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν καί τινας ἄλλους ἐξ αὐτῶν ... cum facta (suscitata) esset non levis controversia et inquisitio Paulo et Barnabae i. e. a Paulo et Barnaba relate ad illos (novatores), statuerunt (utriusque partis duces) ut ascenderet Paulus et Barnabas et quidam alii ex illis... αὐτῶν evidenter refertur ad eosdem ad quos αὐτούς in membro praecedente, ac proin ad novatores. Hinc deputati fuerunt ex utraque parte ac proin mutuo consensu: et revera in Conventu videmus adesse quosdam ex novatoribus qui querelam proponunt (Act. 15, 5. 7. 10) quosque Petrus adoritur (vv. 7-11).

rosolymis conventu, cui ex Apostolis saltem Petrus et Iacobus aderant, sed ut ex Epistola ad Gal. apparet, etiam Ioannes (Gal. 2, 9), controversia acriter disceptata est (Act. 15, 7[a]) (1). Auditis autem utrinque rationibus, omnium primus Petrus sententiam dixit: " gentiles minime esse compellendos ullo modo ad mosaismi ritus, cum iustitia et salus a sola in Christum fide pendeat, idque aequo iure pro iudaeis ac pro ethnicis „ (7[b]-11). Post Petrum surrexit Iacobus, Petri sententiam confirmaturus, addito Scripturae testimonio (13-19). Pro bono tamen pacis Iacobus temperamentum addidit propositis quatuor praeceptis quae ab ethnico-christianis servanda essent. Demum ad decretum deventum est in quo Apostoli et presbyteri, iudices causae invocati, haec edicebant: ante omnia iudaizantes qui controversiam provocaverant, gravibus verbis compellant veluti penitus alienos a sensu quem semper Ecclesia hierosolymitana foverat (v. 24); deinde ethnico-christianos liberant omnino a quavis mosaismi observantia, titulo necessitatis ad salutem (25-28[a]); demum proponunt temperamentum quod Iacobus suggesserat, ex cuius quatuor praeceptis duo iuris naturalis sunt (1[um] et 4[um]): altera duo noachica, nihil ad mosaismum proprie pertinentia, sed quae solum huc tendunt ut parum humanos instinctus mansuefaciant et ab humano sanguine fundendo avocent (28[b]. 29).

Decreto apostolico omnis de mosaismo controversia penitus ac radicitus evellebatur: in eo enim duo attente distinguenda sunt: motiva seu *consideranda* quae dici solent; et *decretum ipsum*. Motiva sive consideranda, haec sunt: iudaizantium reclamatio iniusta est, penitus aliena a sensu constanti Ecclesiae, atque opus perturbatorum hominum prout ex Petri et Iacobi orationibus cernitur qui unicum et adaequatum iustitiae ac salutis principium in solo Christo et fide reponi declarant, abnegato ritibus mosaicis quovis in salutem influxu tam pro ethnicis quam pro iudaeis. Decretum duplici rursus parte constat, negativa et positiva: negativa et praecipua est: « *nihil vobis* oneris ex mosaismo, titulo necessitatis imponi potest ». Positiva: servate tamen haec quatuor quae ad mosaismum non pertinent: vitate esum idolothytorum, quia idololatriam fovet: item fornicationem quae iure naturae prohibetur; potum sanguinis et esum suffocati; quae noachica statuta sunt. (Gen. 9, 4-6).

(1) Acriter ex parte denuntiantium, non apostolorum aut presbyterorum quasi de re dubia apud omnes ageretur. Id non solum ex controversiae exitu, sed iam ex praecedentibus constat, cum pro Paulo contra novatores stet iam a controversiae initio Barnabas apostolorum quasi vicarius vel legatus.

3. Pauli secundum iter apostolicum

Absoluto Concilio Paulus Antiochiam reversus est ubi aliquanto tempore a controversiae laboribus recreatus (1), ad novos se amplioresque in propagando Evangelio praeparavit. Elapso igitur requiei spatio proposuit Barnabae constitutarum ecclesiarum visitationem. Annuit Barnabas libenter, ea tamen addita conditione ut, sicut in primo itinere, Ioannes Marcus eos comitaretur. Paulo autem id non placuit, quapropter assumpto Sila, iter per Ciliciam aggressus est, dum Barnabas cum Ioanne Marco Cyprum adnavigavit (Act. 15, 36-40). Pauli propositum, sicut ex Act. 16, 6 apparet, et ulterius ex 18, 19-21 confirmatur, hoc erat, ut visitatis ecclesiis in primo itinere fundatis, traiecta Lycaoniae planitie, quo per " portas Ciliciae „ aditus patebat, Asiam eiusque metropolim Ephesum praedicatione excoleret, nec quidquam de Europa inmediate evangelizanda cogitabat; at Dei consilia diversa erant. Cum enim traiecta Syria et Cilicia ac visitatis Lystrae et Iconii ecclesiis in quarum prima Timotheum baptizatum ex praecedenti itinere (2) socium sibi adiunxit, per omnes coetus decretum apostolicum

(1) Quanto tempore Paulus Antiochiae moratus sit post hierosolymitanum Conventum, non est facile definire: Lucas solum dicit " Paulum et Barnabam demoratos Antiochiae fuisse (διέτριβον) „ post regressum deputationis ab apostolis et presbyteris missae ad decreti promulgationem (15, 32-33); et nos supposuimus ac postea demonstrabimus, hoc tempore Epistolam ad galatas scriptam esse. Hinc habitis ob oculos iis quae hoc factum et Lucae narratio postulant, commoratio brevis esse non potuit. Deputati Hierosolymis missi ad promulgandum decretum, aliqualem moram fecerunt (15, 33): regresso autem Hierosolymas Iuda, altero ex deputatis, Paulus et Barnabas " demorabantur docentes „, resumpto scilicet solito suo ministerio in ea urbe. Hactenus nondum apparet consilium secundi itineris ineundi, sed solum " post aliquot dies „ (μετὰ τινας ἡμέρας 15, 36). Quot fuerunt hi dies? Rursus: antequam Epistolam ad gal. scriberet Paulus, Petrus Antiochiam venerat ibique certo quodam temporis spatio moratus erat (Gal. 2, 11-13). Certe cum, finito conventu hierosolymitano mitterentur deputati ad promulgandum decretum, eo ipso nondum videtur Petrus consilium iniisse Anticchiam adeundi. Haec omnia igitur aliquot saltem menses postulant. Aliunde tamen non multos; nam initio itineris Paulus decretum apostolicum promulgat (Act. 15, 41) nimirum non diuturno tempore post conventum.

(2) Nam in hoc secundo itinere erat iam " discipulus „ cum illuc advenit Paulus, qui familiam Timothei in primo itinere baptizaverat (Cfr. 2. Tim. 1, 5; 3, 10. 11).

promulgasset (Act. 15, 41 ; 16, 4) ac per galaticam regionem (1) Asiae ingressum meditaretur, " prohibitus est a spiritu sancto „ (per Prophetam nimirum aliquem ex illis communitatibus christianis quae ad extremos Galatiae (2) limites erant) ne verbum Dei in Asia praedicaret (Act. 16, 6). Ignorabat Paulus quaenam essent divina consilia ; traiectaque celeriter, septemtrionem versus, Asia per extremos eius orientales fines usque ad Mysiam, nedum in occidentem tenderet, in Bithyniae potius plagas ferebatur, cum ab hoc quoque proposito deterritus est " a Spiritu „ (16, 7). Quapropter traiecta ab oriente ad occidentem Mysia, Troadem devenit, ubi tandem qualis esset Dei voluntas innotuit oblata per noctem visione in qua Macedonis species eum ad suam patriam Evangelii luce collustrandam invitavit (Act. 16, 9) (3).

(1) *Galatica regio* (γαλατικὴ χώρα) secundum plures, potius quam cuneus ex Galatia propria in Asiam quasi protrusus, vel ei ad orientem adiacens, quique ascendente Paulo versus septentrionem post Asiam ad occidentem obvius fieret, videtur intelligenda zona meridionalis provinciae romanae quae Galatia vocabatur, i. e. Lycaonia et Pisidia ; ac pro διῆλθον... κωλυθέντες... legendum: διελθόντες ... ἐκωλύθησαν (Act. 16, 6). Sic legebat Vulg. et plurimi ex codd. lucianeae fam. (Cfr. von Soden *Griech. neues Test.* 260). In hac hypothesi " galatica regio „ est tractus Lycaoniae et Pisidiae quem Paulus post se reliquebat cum Asiam ingressurus esset, non regio quam ingreditur postquam prohibetur ab Asiae aditu. Hanc interpretationem suadet Act. 18, 23 ubi Paulus eam eem viam Antiochia Ephesum relegens, primum Galaticam regionem, deinde Phrygiam (ex ordine !) traiicit. Cum Lucas ibi non partem, sed totum iter Pauli describat (confirmans *omnes* discipulos), Galatia non videtur posse stricto sensu intelligi.

(2) Vel fortasse melius per Silam socium, qui speciali " prophetiae „ laude celebratur Act. 15, 32. Quod Silas etsi ab initio itineris Paulum comitabatur, nullam hactenus hac de re coelestem illustrationem habuerit, sed potius Paulo consentiret in evangelizanda quamprimum Asia, nulla difficultas est : Deus sua consilia aperit cum ei placet, et aliunde iter hactenus contectum, inutile non erat ad Providentiae consilia de evangelizanda Macedonia. Etiam ipse Paulus potuit directe hanc revelationem habere, cum large admodum charismatis ditaretur (1 Cor. 14, 18). De Petro nihilominus narratur (Act. 10, 20 ; 11, 12) adstitisse ei habituali modo, ut videtur, " Spiritum „ ; similiter de Philippo diacono (Act. 8, 29. 39).

(3) Quod prohibitus a Bithynia Paulus in occidentales plagas tenderet, etsi prima specie forsan mirum, re perpensa obvium omnino erat cum nec ad meridiem nec ad septemtrionem nec ad orientem iam plus minusve evangelizatum ei liceret pergere. At quomodo agnovit Paulus, interrogat Blass (*Act. apostol.* 177) virum qui sibi apparuit esse macedonem ? " Poterat, respondet, vidisse die proximo per urbem macedones quosdam, clamyde causiaque insignes „. Causia (καυσία) tegumentum quoddam capitis erat quo antiquitus utebantur reges Macedoniae (sic depingitur Pyrrhus), postea etiam plebei passim. Sed mirum quod proponatur talis difficultas, cum verba ipsa macedonis in visu oblati, etiam se-

Certus de divino consilio, illico Neapolin contendit, indeque Philippos (Act. 16, 11, 12) " quae urbs est primae Macedoniae divisionis, colonia „. Quibusdam videtur pro πρώτη legendum potius πρώτης cum iam ante Philippos, atque ut prima macedonici tractus urbs Paulo ex Asia venienti, Neapolis, obiecta sit ; et aliunde Macedonia in " primam secundam et tertiam „ divideretur inchoando a mari, ita ut Philippi ad " primam „ Macedoniam pertineret (1). Troade adiunctus ei fuerat, expeditionis socius, Lucas Actorum scriptor, qui Pauli gesta apud philippenses fuse veluti testis oculatus, narrat. Inter eos vero qui Philippis christianam fidem amplexi sunt, numeranda primo loco est Lydia purpuraria cum sua familia, in cuius domo hospitatus est Apostolus quamdiu in illa urbe mansit. Lydiam secutus est selectus philippensium manipulus de quorum numero et qualitate nihil speciale Lucas tradit. Hi tamen fuerunt nucleus ecclesiae philippensium quam in deliciis habuit Paulus, quaeque ut ex 16, 40 colligere licet, in illis initiis apud Lydiam, i. e. in eius aedibus congregabatur (2).

Brevi tempore mansit Philippis Paulus : excitato enim tumultu contra eum eiusque socios ob puellae sanationem a cacodaemone possessae, quae divinando haud exiguum quaestum suis dominis, erat enim serva, procurabat ; ab urbe cedere coactus est. Domini enim, divinationis lucro privati, accusarunt Apostolum coram magistratibus (3) quod, contra romanorum leges, illicitam religionem

---

cundum textum quem praediligit Blass, satis expresse patriam declarent : διαβὰς εἰς Μακεδονίαν βοήθησον ἡμῖν : " transiens in *Macedoniam*, adiuva *nos* „ scilicet macedones regionem incolentes.

(1) ἥτις ἐστὶν πρώτης μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολωνία : " quae est primae divisionis Macedoniae urbs, colonia „. Sic Blass, quam lectionem in ipsum textum, haud recte intrudit (p. 177) : quamvis enim ita legat recensio (β), non hanc sed communem (α) explanat in illo scripto. Alii retinent lectionem communem tam in graeco quam in Vulgata : " quae est prima partis Macedoniae civitas, colonia „ πρώτη per nominativum. " Pars Macedonia „ vel " Macedoniae „ erit ipsa Macedonia, Macedoniae regio ; sententia igitur vera videtur, quia Neapolis eo tempore ad Thraciam pertinebat (Cfr. Gutue). Certe Paulus, in " Macedonia „ praedicare iussus, Neapoli transmissa, Philippis praedicat.

(2) Ex contextu videtur effici Lydiam non caelibem aut viduam, sed potius matremfamilias fuisse cum memoretur eius " domus „, non " familia „, mancipiorum scilicet. Quod si ita est, ex hoc etiam capite inanis redditur coniectura Renani de Pauli nuptiis.

(3) ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας : ad principes, i. e. ad magistratus, qui primo generica appellatione, dein proprio muneris nomine στρατηγοί (v. 20) designantur. Στρατηγός

praedicaret. Magistratus apostolos virgis caedi secundum romanorum morem (1), iusserunt, atque in carcerem coniici custodiendos dum causa examinaretur. Cum vero, dum custodia detinerentur, magnus terrae motus urbem concussisset, et carceris ianuae convulsis cardinibus vectibusque patefierent, perterrefactus carceris custos violentas sibi manus volebat inferre, cum Paulus cohibuit inclamans nullum ex detentis e loco dimotum fuisse. Portento commotus custos et etiam Pauli ac Silae sanctitate, fidem amplexus est cum omni sua domo. Procul dubio terrae motus ab universa urbe habitus est veluti signum divinae indignationis ob violentiam viris sanctis illatam ; nam postridie magistratus iusserunt apostolos secreto liberos dimitti. Paulus vero, posita magistratibus ob oculos immanitate sceleris quod cives romanos indicta causa in custodiam coniecissent imo et verberassent, eos compulit ut ipsimet ad carcerem venirent atque indemnes pronuntiarent (2). Quo facto Apostolus, sibi quidem haud multum, philippensibus vero fidelibus plurimum profuit, nam tutam eis conditionem apud magistratus et plebem creabat. Relicta igitur philippensium urbe, Apostolus Thessalonicam contendit totius Macedoniae metropolin (3).

Thessalonica, nobilissimum Macedoniae caput, sita erat supra sinum Thermicum ad celeberrimam viam « egnatiam » quae ab urbe

---

proprie est " praetor „ et gradum militarem designat : coloniae autem romanae ut erat Philippi, duumviris regebantur qui στρατηγοί sive praetores ex consuetudine appellabantur, cuius tamen fundamentum in origine coloniarum, militari scilicet, reperitur.

(1) Ut ex hoc loco et Act. 22, 24 licet concludere, sola criminis praesumptio sufficiebat romanis sive lege ipsa, sive quod multo probabilius est, abusiva consuetudine, ad verberationem cum de provincialibus agebatur ; ad cives vero romanos quod pertinet, lex portia civis romani verberationem severissime vetabat.

(2) Philippis primum legimus invocatum a Paulo fuisse civitatis romanae privilegium. Pluralis numerus quo Paulus in alloquio ad ministros utitur, ostendit Silam quoque simili iure fruitum fuisse, et haec potuit esse causa cur prae aliis Silam in socium elegerit, cum iam in secundo itinere centrum i. e. provincias centrales imperii meditaretur.

(3) Philippis persecutio contra Paulum non a iudaeis ut passim in primo itinere et postea in secundo et tertio, provocabatur ; sed potius " quia iudaeus „, et ob inductum cultum " romanis „ (Cfr. v. 21) illicitum. Nimirum Philippi colonia romana erat, et iure romano regebatur, non ut Thessalonica et aliae multae urbes quae potius urbes liberae erant et autonomo iure administrabantur. Praeterea iudaei Philippis exiguo numero fuisse videntur, cum Synagoga carerent, et Pr seucham extra urbem haberent.

Dyrrachio supra Adriaticum mare contra Brundusium, macedonicam regionem recta traiiciebat usque Apolloniam in mari Aegeo sicque Orientem cum Italia copulabat (1). Incolarum igitur numero, positione atque amplitudine, Thessalonica urbs erat plane digna quam Paulus veluti sedem diligeret unde ad universum hellenicum orbem Evangelium « diffamaretur » ut cum latino interprete loquamur (2).

Secus ac Philippis ubi solum Proseuche (3) iudaeorum erat, Thessalonicensis urbs iustam iudaici cultus Synagogam possidebat, quam Apostolus, de more, veluti sedem delegit ubi per singula sabbata Evangelium tam iudaeis quam colentibus illuc confluentibus offerret. At non diu licuit Apostolis tanto commodo pacifice frui : tertio iam sabbato in furorem acti iudaei, postquam Paulum et socios e Synagoga eiecerunt, concitatis pluribus de turba adierunt domum Iasonis qui conversus e iudaismo apostolos hospitio exceperat, ut hos, inde eductos, multitudini traderent. Cum vero eos ibi non invenissent, Iasonem et quosdam fideles sistunt coram politarchis (4), interposita consueta accusatione quod contra romanum ius illi homines plebem concitarent Iesum regem praedicantes, quodque Iason eos receptasset. Iason vero secundum leges politarchis satisfecit (5), quare cum sociis dimissus est. Ni-

(1) Via egnatia nomen desumebat ab " Egnatia „ Apuliae urbe inter Barium et Brundusium, et ubi vicissim finiebatur via quae postea aut constructa aut reformata est (109) sub Traiano a quo nomen accepit quaeque inverso itinere Romam deducebat. Hac via caput Imperii copulabatur cum centrali Oriente ; non enim a Dyrrhachio usque Apolloniam tantum et mare Aegeum, sed traiecta ulterius tota Thracia usque Byzantium et Propontidem perveniebat. (Cfr. Pauly-Wissowa, *Realencycl. der classischen Alterthumswissenschaft*, 5, 1988).

(2) 1 Thessal. 1, 8.

(3) " Proseuche „ erat veluti Synagoga minor.

(4) " Polytarchae „ erant magistratus Thessalonicae proprii. Luculentum pro horum magistratuum exsistentia et speciali indole apud thessalonicenses eo tempore exhibent sex inscriptiones ad Macedoniae metropolin pertinentes a Witt Burton editae, quibus addendae papyri oxyr. (Cfr. Zahn *Einl.* 1, 151). Thessalonica non " colonia „ sed urbs libera erat. Plinius id expressis verbis dicit : " Thessalonica liberae conditionis „. (Hist. nat. IV).

(5) Graecus textus praebet : λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος : " cum satisfactionem a Iasone accepissent „. Articulus ostendit agi de satisfactione solita fieri secundum leges. Videtur significari vadum oblatio aut simile securitatis pignus. Et quantum ex 1 Thess. 2, 14 coniicere licet, videntur fuisse postea damnati Iason et socii ob iudaeorum artes. Si de satisfactione ex iudaeorum privilegio sermo esset, nec Paulus periculum subiisset quod tamen Lucas perspicue significat (17,10), nec persecutionem passi fuissent fideles qualem Paulus in citata epistola insinuat (1 Thess. 1, 6 ; 2, 14), nec iidem iudaei ausi fuissent similem postea Beroeae tumultum provocare, in urbe non sua. Thessalonicae quantum coniicere licet, potentissimi erant tunc temporis iudaei.

hilominus etsi magistratibus a Iasone et sociis satisfactum est, cum vel cautio Paulum non liberaret, vel a iudaeis timeri posset ob plurium huius sectae ferociam, ne Paulum vellent interficere, ideo « fratres confestim per noctem Paulum et Silam in Beroeam dimiserunt » (Act. 17, 10). Non obstante temporis brevitate quo Thessalonicae manserant evangelici praecones, fructus collectus haud exiguus fuit : praeter Iasonem et aliquos iudaeos (Act. 17, 4), ex proselytis et gentilibus magna multitudo fidem suscepit (ibid.) (1).

Beroea quo Thessalonica deductus est Apostolus, urbs erat Thessalonicae proxima, ubi aderat Synagoga, iustaque iudaeorum colonia, ad quos pro more verba fecit Paulus illico post suum adventum. Cum beroeenses iudaei nobilioris indolis essent quam thessalonicenses, non solum docili animo Apostolum auscultabant cum loqueretur, sed sedulo postea privatim conferebant Pauli allegationes ex Vet. Testamento pro messianitate Iesu, ut quid veri in eis cubaret diligenter investigarent. " Et multi, ait Lucas, crediderunt ex illis „ quibus accessit ex gentilibus numerus haud exiguus (Act. 17, 12). Cum vero thessalonicenses iudaei Beroeam advenientes, tumultum contra apostolos excitarent, christiani beroeenses Paulum in vicinum portum deduxerunt, ut traiecto mari procul et ignota via discedens persecutorum furori subtraheretur, dum Silas et Timotheus Beroeae remanserunt ut christianis tam beroeensibus quam thessalonicensibus prospicerent (Act. 17, 13. 14). Ratio cur tantopere tamque speciali furore in Paulum, non ita in socios, iudaei commoverentur, haec videtur fuisse ; quia vehementes et eloquentissimas de Christi messianitate conciones portento confirmaret propriae conversionis, qua Iesum propriis oculis gloria circundatum perspexerat. Profecto in orationibus suis apud iudaeos habitis quae a Luca conservatae sunt Act. 22 et 26 Paulus late hunc locum evolvit ; et quo furore iudaei corriperentur cum descriptionem Christi in gloria regnantis audirent ac gentium electionem, scimus ex Act. 7, 56. 57 ; 22, 22. Eadem etiam erat causa cur in iudaeis qui convertebantur tam vehemens erga se

(1) Plures putant Paulum non 15 tantum aut 20 diebus sed diuturniori tempore commoratum Thessalonicae esse ; id videtur postulare et multitudo gentilium conversorum ultra proselytos (Act. 17, 4) et propagatio Evangelii ab illa urbe per universam Macedoniam et etiam Achaiam (I Thess. 1, 7-9) ante discessum Pauli. Certe eruditio ex catechesibus percepta quam thessalonicensibus attribuit Paulus vix potest explicari aliter.

studium excitabat, quo eum intrepide et quovis superato periculo a confratrum insidiis eripiebant.

Beroea Paulus venit Athenas (1). Erant eo tempore Athenae celeberrima urbs tam ob superstitiosum omnium falsorum numinum cultum, quam ob plurium philosophorum sectas, quas inter illae epicureorum et stoicorum eminebant. Graphice plane et eximia proprietate athenienses describit Lucas cum dicit eos " ad nihil aliud vacasse nisi ut vel proferrent vel audirent aliquid novi „. De atheniensium superstitione eadem quae Lucas testatur Pausanias (2): de varietate scholarum ac levitate civium alii. Paulus incolarum caecitatem miseratus, nemini verbum evangelicum subtraxit, disputabatque et cum iudaeis in Synagoga, et cum philosophis variarum sectarum in Agora (3). At factum quod paulinam Athenis commorationem celeberrimam reddidit, fuit eius oratio ad Areopagum. Ἄρειος πάγος sive " martialis „ aut " Martis „ collis, locus editus erat, prope urbis arcem situs, ubi suos conventus celebrabat iudicum Athenarum collegium, qui ob hanc rationem " areopagitae „ appellabantur. Huc ergo deduxerunt Paulum quidam philosophi ut pro more atheniensium antiquissimo, eius doctrina, veluti nova, areopagitarum iudicio comprobaretur. Apo-

(1) Mirum quod aliqui (Knab. ad v. 15) iter Pauli Beroea usque Athenas terra confectum fuisse in ipsa textus littera significatum reperiant cum v. 14 expresse dicatur socios Pauli eum " ad mare „ deduxisse, ut nimirum conscensa navi Athenas pergerent. Citati superius scriptores dicunt aut itinerantes non invenisse navim paratam, aut viam maris initio arripuisse ut Pauli adversarios deluderent, inversam postea viam arrepturi. Vix dubium est quin maritimam viam tenuerint, cum nihil de urbibus intermediis dicatur, et Paulum alias, cum per terram fugit, constanter videamus, tum in primo, tum in secundo itinere, sistere et ministerium exercere in aliis proximis urbibus. Nec erat cur beroeenses qui eum comitati sunt, usque Athenas venirent. Hinc multo rectius plerique (Ramsay, Guthe alii) iter ei maritimum assignant.

(2) Secundum Pausaniam in quovis viarum angulo, in domorum atriis visebantur variorum numinum simulacra, praesertim Hermetis; itemque arae, templa (Graeciae descriptio 1, 3 et 24 praesertim): similia de atheniensium superstitione vel religiositate tradunt Strabo inter graecos, Livius inter latinos et alii.

(3) Ἀγορά per antonomasiam appellabatur forum, alio nomine Κεραμεικός vocatum, quod singulari fanorum atque altarium copia ornabatur. Hanc vult Lucas significare cum " Agoram „ articulo praenotatam memorat. Huc nimirum confluebant diversarum sectarum philosophi ut ad confertam adstantium turbam pro suis singuli sensis verba facerent. Paulus hac opportunitate usus, propria de religione sensa, sicut ceteri, proponebat, et contrarias quae obiciebantur, difficultates dissolvebat. Nimirum tempora et opportunitates pro difundenda veritate avide arripiebat.

stolus apud iudices sublimem illam orationem habuit cuius compendium transmisit nobis Lucas, in qua post opportunissimum ab insinuatione exordium, summa cum arte in thema delabitur quod duplici conceptu absolvitur: " unitate atque spiritualitate numinis „ quod, sic Paulus asserebat, facile per rationem quasi mentali attactu apprehenditur; et " missione Christi „ in mundum, instar supremi hominum iudicis, cuius divina legatio ex eius resurrectione tamquam invicto argumento demonstretur (1). (Act. 17, 22-31). Fructus a Paulo apud athenienses collectus exiguus fuit, non tamen penitus nullus, cum inter alios unus ex iudicibus, Dionysius, fidem amplexus sit, nobilisque quaedam matrona nomine Damaris. Non constat fundatam fuisse saltem eo tempore ullam fidelium communitatem. Adfuisse tamen Athenis nobilem christianorum coetum iam ab exordiis Evangelii ex Origene constat (2).

Athenis reperit Paulus celeberrimam inscriptionem de qua Act. 17, 23. De substantiali eventus veritate cum suo fundamento, i. e. exsistentia inscriptionis, vix est qui dubitet; et quae contra Lucae auctoritatem historicam Norden hac occasione disputat, merito habentur tamquam exigui valoris. Controversia est solum num Paulus inscriptionem in numero singulari an plurali (ἀγνώστοις θεοῖς) legerit, quem parumper pro suo scopo in singularem mutaverit, prout iam suo tempore admisit Hieronymus (3). At non videtur adesse ratio negandi vel addubitandi formam singularem qualis apud Lucam legitur. Laërtius in vita Epimenidis narrat Athenas per hunc a lue fuisse liberatas, demissis ex Areo-

(1) Tribunal in Martis colle cogi solitum, erat antiquissimum, institutum ad iudicia ferenda de gravioribus in iure, in rebus politicis, maxime vero in religiosis, et hoc praesertim titulo defertur illuc Apostolus. Num Tribunal ipsum a loco conventuum appellaretur " Areopagus „ disputatur: Blass (p. 190) nonnisi de loco nomen potuisse adhiberi putat, miraturque esse quosdam (Curtius et alii) qui de coetu ipso vocem intelligant. Sed cum Lucas Paulum " in medio „ Areopagi (ἐν μέσῳ τοῦ Ἀρείου πάγου) statuat, congruentius vocabulum de coetu quam de loco intelligere videtur, quamquam de loco etiam possit intelligi. Cum de iudiciis fit sermo, " stare in medio, in medium prosilire „, " adstantium corona cingi „ solemne est: quae proin expressiones non de loco, sed de coetu dicuntur.

(2) Contr. Cels. 3, 30 (M. 11, 957).

(3) *Comment. in Epist. ad Tit.* 1, 12 (M. 26, 572): " diis Asiae et Europae et Africae; diis ignotis et peregrinis „. Similiter Oecumenius et Theophylactus (non vero Chrysostomus). Nimirum aderat quoque Athenis ara quaedam sic inscripta; at non de hac loquitur Paulus, sed de diversa praeter hanc. Nec mirandum quod in urbe adeo superstitiosa multiplex huius generis ara reperiretur. Quod si cui id parum verisimile videtur, relinquat Hieronymi notitiam.

pago pecoribus proprioque instinctui permissis, ut ubicumque singula sponte propria sisterent, deo loci custodi immolarentur. Inde, ait Laërtius, cernuntur per pagos Athenis vicinos arae anonymis inscriptionibus munitae, quia nimirum nomina deorum custodum ignorabantur (1). Sed *anonymae* dicuntur inscriptiones tum a Laërtio, tum etiam a Pausania et Philostrato non quia omnino nulli deo dedicarentur arae, fuisset enim manifesta in terminis contradictio ; sed quia inscribebantur : " ignoto Deo „ vel " ignotis diis „. Porro si ad singula loca ubi pecora sisterent erigenda erat ara, congruentius singulari numero inscribenda erat, cum singula loca unum deum tutelarem haberent. Et Deissmann (Paulus 178-181) nullum aut in eventu et oratione Pauli, aut in titulo arae offendiculum reperit.

Excursus in orationem Act. 17, 22-33. — I. Factum ipsum commorationis atheniensis Pauli, saltem prout cum praedicatione connexae, negant ut innuimus, plures : Bauer, Zeller, Overbeck, Weizsäcker, Pfleiderer, Holtzmann. Hi omnes in fragmento Act. 17, 16-34 aliud non vident quam artificiosam scriptoris Actuum compositionem in qua capita fundamentalia congessit praedicationis Pauli ad gentiles atque forma quasi academica digessit, dum in scena apud Athenarum areopagitas theatrum confinxit orationi consentaneum. — At praeter fundamenta historica pro valore historico narrationis in tota antiquitate, ipsa improportio inter orationis sublimitatem cum tali auditorum apparatu ex una parte, et fructus exiguitatem quam Lucas minime dissimulat, ex altera, authentiam oppido confirmat. Si fragmentum foret libera compositio scriptoris, aut fructum uberiorem confinxisset, aut orationem alibi collocasset v. gr. Corinthi, ubi de facto Paulus uberrimos fructus collegit. Praeterea cum Paulus Beroea Corinthum descenderet, transitus per Athenarum urbem obvius, si non necessarius erat ; quid igitur mirum quod aliquo tempore in hac urbe commoratus sit ac praedicaverit, cum in urbibus longe exiguioribus idem constanter fecerit ab ingressu in Macedoniam ? Demum, quod caput est, ipse Apostolus expressis verbis de sua ibi non solum in transitu, sed per aliquale tempus mora loquitur 1 Thess. 3, 1. Quod si commoratio per aliquod tempus certa est, Paulum a ministerio exercendo cohiberi non potuisse in tali urbe (Act. 17, 16) facile apparet (2).

(1) *Diog. Laërt.* ed. Meibom. (Amstelaed. 1692) : 1, 110.

(2) Ad animadversionem Blassii ex Mahaffy (*Acta Apost.* ed. philol. p. 191) quod pertinet, de usu Epistolarum Pauli ad orationis confectionem si a recentiori falsario foret, qui tamen usus in nostro fragmento non apparet, non videtur ef-

II. Ad orationem vero ipsam coram Areopago quod spectat, eam novissime impugnat, ut diximus, Norden in suo libro Ἄγνωστος θεός, qui partim recoctis veteribus, ex duplici capite fundamenta desumit : ex argumento ipso orationis et ex analogia episodii cum Apollonii tyanaei historia. Ex argumento : collata nostra oratione cum iis quae in eodem genere reperiuntur in collectione diatribarum « Poimandres » inscripta, in Ode 33 inter salomonicas et in Kerygmatis Petri ac Barnabae, in omnibus deprehenditur mira argumenti cognatio, quae explicari aliter non potest quam ex praeexsistentia typi cuiusdam orationum in usu apud praecones sive religionum hellenisticarum sive iudaismi (inclusa scil. ultima eius forma in christianismo primitivo). Hic autem typus, ut ex catalogo tam conceptuum singularium, quam, maxime, formularum de sufficientia deitatis sine ullius indigentia, de inquisitione atque attrectatione eiusdem per homines, de proximitate Numinis ad hominum mentem, de immersione creatorum in eo constat, nonnisi ex stoicis fontibus derivari potuit, cum singula passim apud stoicos reperire sit. Oratio igitur Actuum non paulinae historiae eventus narratio, sed praechristiani typi imitatio est. Ex analogia cum historia Apollonii. In pericope Act. 17, 14-34 oratio Paulo attributa prae se fert eamdem « formam » idemque « fundamentale argumenti caput » quae in simili Apollonii episodio apparent. *Forma :* forma documenti fundamentalis Actuum (sectiones in 1. p. pl. *Wirstücke*) ubi nostrum fragmentum reperitur, illa est quam constanter in historia viatorum iam inde ab Ulysse, nominatim vero in Apollonii historia primitiva servatur : forma diarii ducta narratione per primam pluralis personam. *Argumenti fundamentali capite :* Apollonius qui teste Suida a Caio usque ad Nervam floruit, juxta Philostratum Athenas invisit (procul dubio circa medium saeculi I) ibique disputationem de divinitatis cultu habuit contra hierophantem qui deos blasphemaverat : huic vero disputationi habendae Apollonius occasionem arripuit ex inscriptione altaris quod « ignotis diis » consecrabatur. Etsi enim hanc circumstantiam Philostratus non memoret, memorabat Apollonius ipse in libro « de sacrificiis », nam in episodio ad ripam Nili ubi Apollonius iuvenem quemdam laudat ob cultum Aphroditi impensum, Philostratus vituperationem addit impii Hippolyti per Apollonium, dialogumque sic claudit : « satius est pie de omnibus diis loqui, maxime Athenis ubi etiam ignotis numinibus arae eriguntur ». Haec clausula in tali Dialogo evidenter extra locum est, et ex alio Apollonii vitae passu desumpta, nimirum ex disputatione atheniensi contra hierophantem. Hinc alterutra scena Actuum vel Phi-

---

ficax quia oratio nostra in pluribus epistolam ad Rom. redolet. Efficacius videtur dicere talem analogiam parum urgere, quia agitur de conceptuum repertorio quod Paulo semper in promptu erat, ut ex eius historia et scriptis apparet.

lostrati ex altera dependet ; indubie autem scena Actuum ex apollonica, ut mutatio pluralis (ignotis diis) in singularem (ignoto deo) et Actuum aetas recentior ostendit. Revera disputatio Apollonii, teste Philostrato, magnopere atheniensium attentionem excitavit : nihil igitur mirum quod scriptor Actuum etsi christianus, iudaeis tamen adhuc notionibus retentus, quique plura in neopythagoricis congenera sibi reperiebat, capitale suum thema ex eis desumpserit cum Acta recentiora memoriis Apollonii sint (1).

En argumentatio protestantici Professoris. Quem vero dialecticum et criticum valorem habeat, videamus. Argumentationem inchoat Norden ab analogia inter orationem ad Areopagum et hermeticas diatribas, Psalmum 33 Salomonis, Kerygma Petri ac Barnabae, ut typum communem eliciat stoicum ac praechristianum. At certe non est optima methodus ad talem scopum documenta seligere quorum fere omnia, excepta forsan oda salomonica 33, christianismo recentiora sunt, imo pleraque a quovis stoicismi influxu penitus aliena. Ad notiones vero quod attinet quae in medium afferuntur ut stoicus influxus in nostram sectionem demonstretur, rursus parum aptae sunt. " Independentia divinitatis a quavis re a se distincta „, late atque elegantissime iam in Psalmis et apud Prophetas, imo in Pentateucho, effertur ; et populus israëliticus ac post eum christianus qui libros Veteris Testamenti ut sacros recepit, non indiguit umquam ad Stoam recurrere ut talem Numinis prae creatis quibuscumque exaltationem disceret. Imo Paulus frequenter, sed nominatim Rom. 1, 19-24 hunc locum ample evolvit. Tantumdem dicatur de proximitate notitiae Dei per creaturas, deque eius " attrectatione „ earum subsidio : haec rursus duplex notio genuine paulina est et recurrit in eodem loco ad Rom., nisi quod pro " attrectatione „ ponitur " conspectus „ qui tamen sensu idem exprimit, cum " attrectatio „ per mentis manus intelligenda sit (2). De omnium " immersione „ in Deo, non est hic sensus verborum Pauli. Utique stoici, suo Logo σπερματικῷ, omnia cogitabant quasi immersa in Verbo, quod vicissim veluti substantiam divinam, vel eius " ideas „ in materiam ex esse divino transfusas quasi totidem

(1) *Agnostos Theos* pp. 31-50.

(2) Facile est ut in praeeligenda metaphora ex tactu Paulus alludat ad formulam aliquam hoc in argumento usitatam vel a poëtis vel a philosophis gentilibus : id valde consentaneum est et eximio Pauli sensui practico et eius eruditioni profanae.

divina rerum creatarum intranea sustentacula, earum substantiam absorbentia, statuebant. At Paulus in sua oratione non loquitur de tali rerum creatarum in Deo " continentia „, sed de absoluta dependentia ob creationem et conservationem (1). Imo omnes hae notiones recte intellectae et quales a Paulo proponuntur, etsi utique omnes et singulae in Scripturis reperiantur, ex se tamen possunt communi rationis lumine penetrari, nec sunt patrimonium aut stoicorum aut pithagoraeorum.

Ad parallelismum quod spectat cum historia Apollonii, nec sectio nostra pertinet ad fragmenta in prima persona, nec analogia per varia membra in argumenti summa et eius adiunctis cum episodio Apollonii statuitur nisi arbitrariis ratiociniis et neglecto testimonio historiae. Arbitraria plane sunt quae de analogia occasionis orationis Pauli cum illa Apollonii dicuntur ex arae conspectu. In historia Apollonii per Philostratum cum de Athenarum visitatione, nihil de tali occasione dicitur ; et quae ad hanc occasionem adstruendam congeruntur sive ex disputatione contra hierophantem, sive ex libro de sacrificiis gratuita sunt et per artificium conquisita ex sola causae necessitate. Nam nec Philostratus nec liber de sacrificiis innuit quidquam de occasione disputationis quasi ex arae conspectu. Translatio vero sententiae episodium aethiopicum claudentis ad Athenarum urbem, ut veluti ex machina provocetur arae diis consecratae contemplatio cum qua dein disputatio contra hierophantem connectatur, non solum sine ullo testimonio fit, sed sine ulla vel artificii laude confingitur. Idem iudicium merentur quae de aetate chronologica respectiva Actuum et scriptorum Apollonii adduntur. Actus constat certo conscriptos fuisse a Luca circa ann. 62 vel 63 ut non solum ex perpetua ecclesiae christianae traditione, sed ex praestantissimorum criticorum testimonio compertum est ; dum Apollonii scripta, ipso fatente Norden, recentiora sunt (2). Mutatio numeri pluralis in singularem nihil probat : eodem modo alius dicere

(1) ἐν nimirum non *in* continentiae, sed *per* (ἐν – ב ex hebr. ut crebro apud Paulum) causalitatis efficientis notionem prae se fert. Praeter hunc frequentem usum apud Paulum, apparet id ex contextu : " immersio „ in Deo non est factum rationi obvium ; " dependentia „ vero ob creationem facile apparet.

(2) Si Apollonius, admittente id Norden ex Suida, a Caio ad Nervam (37–96) floruit, certe satis recentior Paulo est, et eius libri proin recentiores Actibus. Tota ratiocinatio Norden redolet declamatorem ex eorum genere qui ingenium exercent in thema'e quovis per argutias demonstrando coram imperitis auditoribus.

posset in historia Apollonii mutatum fuisse ex Luca singularem in pluralem. De facto autem, nec Philostratus, nec scriptum Apollonii loquuntur de *ara* singulari ignotis diis consecrata ut supponit Norden, sed de *aris* quae etiam diis ignotis consecrabantur: hinc huius expressionis sensus obvius est quem Lucas et Laërtius produnt, exstitisse Athenis aras quasdam quarum unaquaeque proprio ac singularis ignoto deo consecrabatur.

II. Non contentus Norden suis conclusionibus contra authentiam orationis (1), impugnat inscriptionem : " ignoto Deo „ ἀγνώστῳ θεῷ in numero singulari tamquam confictam et quae numquam super ullam aram Athenis exstiterit. Et 1°) impugnat testimonium Laërtii quod in confirmationem lucani tituli afferunt interpretes Actuum et attulimus nos. En argumentum Norden : *a*) cum Laërtius narrato facto pecorum subdit : " unde adhuc nunc cernere est per vicos Athenis vicinos aras anonymas (βωμοὺς ἀνωνύμους), non est confundenda locutio : " altaria anonyma „, cum hac : " altaria cum inscriptione : ignoto Deo „ ; *b*) etiam posita identitate utriusque locutionis, nondum explicatum est id quod in controversia est capitale : quod apud athenienses haberetur notio cuiusdam Ignoti Dei cui esset consecrata Athenis ara aliqua ; *c*) Verba Laërtii : τῷ προσήκοντι θεῷ non significant, ut vult Deissmann, inscriptionem altaris : verba illa pertinent ad narrationem et dicunt : ubicumque sistat pecus, immoletur *deo ad quem locus pertinet* (2).

At bene dici potest Norden, qui interpretes et Deissmannium carpit quasi Laërtium non intellexerint, ipsum revera Laërtii locum non intellexisse. Verum est locutionem : τῷ προσήκοντι θεῷ non exprimere ipsam altarium inscriptionem, id quod nemo umquam cogitavit, sed esse ipsius Laërtii verba. Verum item est, si de materialitate sonorum agitur, aliud esse " altaria anonyma „ et " altaria cum inscriptione : ignoto Deo „ ; at in contextu Laërtii atque in eius mente evidenter haec duo synonyma sunt. Anonymia in descriptione Laërtii non cadit in

(1) Non multum differt ab hoc argumento illud quod Overbeck (p. 278) urget : Overbeck dicit 1) nullum in oratione paulinum conceptum reperiri 2) imo apparere conceptum contrarium (v. 30) 3) nimium laxa sonat pro Pauli criterio dissimulatio Dei cum paganismo 4) clausula inverosimilis. At 1) et 2) ad modum conformia sunt cum Rom. 1, 19. 20 ; 3) et si contra se prima specie habeat Rom. 1. 18-32, habet pro se Rom. 3, 25 et Act. 14, 16. 4) cur non potuit ita claudi scena ?

(2) Pp. 56-57.

aras, sed in *deos* quibus arae consecrantur. Non dicuntur arae " anonymae „ quia inscriptione absolute carerent, cum apud graecos nulla extaret ara sine inscriptione ; ut evidenter apparet ex aris quae " ignotis diis „ consecrabantur, quasque exstitisse Athenis nemo, neque ipse Norden, negat. Cur scilicet etiam hae arae opportuna inscriptione instruebantur nisi quia ex usu nulla poterat inscriptione carere ? Anonymia igitur, ut vox ipsa sonat, quae non est carentia *inscriptionis*, sed *nominis*, cadit in numen cui ara consecrabatur, quaeque dicebatur " anonyma „ quia nulli deo sub proprio et concreto nomine Iovis, Mercurii, Martis, Veneris, sed sub vaga appellatione " ignoto deo „ vel " ignotis deis „ inscribebatur. Hoc posito, cum Laërtius in illo contextu de aris anonymis loquitur, aliter non potest intelligi nisi *quia* " *deo ignoto* „, in singulari numero, inscribebantur ; nam arae illae, utpote erectae ubicumque pecora sibi permissa, sisterent, de loci respectivo, qui unus erat licet ignotus consecrandae erant. Cum aliunde, ex dictis, ara inscriptione munienda esset, adiecta insuper numinis indicatione cui consecrabatur, si numen ignotum erat, inscriptio apprime obvia haec erat " ignoto Deo „ (1). Difficultas de definiendo conceptu quem athenienses deo ignoto alligarent, facile expeditur. Aut enim revera athenienses sub ignoto illo deo cui concrete ara illa, de qua Lucas, dicata erat, ac forsan apparebat reliquis augustior, numen altius ceteris ac summum concipiebant, etsi de illo ulterius definiendo non magnopere curarent ; aut ara illa erat sicut illae de quibus Laërtius loquitur. Si primum, id quod absurdum esse nemo potest demonstrare, Paulus illum Deum merito identificavit cum vero Deo. Si secundum, Apostolus, ut non raro alias, ludit voce et conceptu per vocem significato ; atque arrepta significatione directa inscriptionis quae sine ulla difficultate ad verum Deum idololatris ignotum applicari potest, fecit hanc applicationem neglecto vel correcto conceptu quem athenienses expressioni alligabant. Ex dictis etiam apparet non recte Frid. Blass asserere : " quamcumque (inscriptionem)

(1) Non negamus " potuisse „, absolute loquendo aliam adhiberi v. g. : " huius loci deo „ ; sed cum de facto concreto agatur per idoneum testem narrato, et quaestio solum " in numero „ plurali vel singulari inscriptionis versetur, demonstrata necessitate numeri singularis, nulla restat solida contra testimonium difficultas.

Paulus viderat, profecto inscriptio et genitivum habebat et pluralem „ (1).

Plura alia congerit praeterea Norden ex historia litteraria graeca praesertim classica contra exstantiam tituli ἄγνωστος θεός: sed omnia sunt perfecte inconducentia ad scopum. Quidquid enim sit de infrequentia aut etiam absentia talis tituli cum de divinitate apud classicos, si ob quamcumque causam sub medium saeculi primi aderat Athenis ara tali titulo munita, et si hoc factum idoneis testimoniis constat, factum argumentatione illa non evertitur. Causa vero exstantiae altaris cum illa inscriptione poterat esse aut quia revera aliqua secta religiosa vel philosophica profitebatur v. gr. agnosticismum et summum Ens appellabat sicut hodie illud appellant agnostici; aut residuum ex historia Epimenidis a Laërtio narrata (2).

Athenas deductus fuerat Paulus a fidelibus beroeensibus, per quos, in propriam urbem reduces, mandatum miserat Silae ac Timotheo qui ibi remanserant, ut quam primum venirent ad se (Act. 17, 14. 15) eo consilio ut, perpensis rerum adiunctis, vel Paulus ipse, si posset (1 Thess. 2, 18) (3) vel unus ex sociis Thessalonicam rediret neophytos confirmaturus (1 Thess. 3, 1. 2. 6).

(1) *Acta Apost. philol.*, p. 191. In tituli illustratione minime opus est ad (Ps)Lucianum confugere (*Philopatris* 9 et 29), ubi atheniensium ἄγνωστον θεόν bis memorat: veteres utique hoc testimonio utuntur, sed ex internis indiciis agitur de ficta Luciani imitatione. (Cfr. Iwan Müller: *Gesch. der byzant. Liter.* pp. 459-461, vol. IX, operis: *Handbuch der klass. Altertumwissench.*

(2) Novissime potuimus Wikenhauserum consulere (*Die Apostelgesch. und ihr Geschichtswert*, 1921) qui fuse quaestionem pertractat congestis pluribus antiquitatis testimoniis pro exsistentia altarium quae Athenis ignotis numinibus consecrata erant, et quorum inscriptiones tam singulari (Ἀγνώστῳ θεῷ) quam plurali (Ἀγνώστοις θεοῖς) numero exarabantur. Amplam argumenti tractationem sic claudit; " aus diesen Darlegungen ergibt sich dass bis jetzt eine zweifellose positive Lösung des vorliegenden Problems nich gefunden ist, aber kein Grund vorliegt an der Zuverlässigkeit der Angabe der Apostelgeschichte zu zweifeln „ (p. 389). Analysi subiicit argumentationem Norden quam refutat iisdem fere argumentis quibus nos. Etsi Norden asseclas repererit, reperit etiam strenuos adversarios ut Böhlig et Dölger.

(3) Ex Thess. 2, 18 videtur Paulus qua erat animi celsitudine, iam Beroea ipsa Thessalonicam redire voluisse, spreto quovis periculo ut Ephesi postea (Act. 19, 30), sed a sociis vel neophytis a tali proposito dimotus fuisse. Postea Athenis idem tentasse cum socio (Timotheo) vel sociis, apparet (remanere *solis*). Reditus igitur sociorum ad Paulum fuit duplex: primum dum adhuc Athenis versaretur, alter cum iam Corinthum venerat.

De facto Pauli socii venerunt Athenas unde rursum Paulus Timotheum Thessalonicam misit, Silam alio, forsan Philippos (1 Thess. 3, 1); non enim aliter explicari potest nec missio " Timothei „ nec Pauli " solitudo „. Ex eadem epistola (3, 6) discimus Timotheum expleta sua apud thessalonicenses missione, ad Paulum Corinthi iam degentem, rediisse, laetissima de thessalonicensibus afferentem ; etenim Paulus, dum Timotheus thessalonicenses visitabat, relicta Athenarum urbe Corinthum descenderat. Erat Corinthus ea aetate metropolis Thessalonica nihilo ignobilior ; imo eam pluribus rebus superabat, cum et caput esset proconsulatus Achajae, et ob commercium quod per duplicem portum (1) cum Oriente et Occidente activissimum exercebat, divitiis affluere, breviorem expeditioremque viam ex Italia in Orientem ex eoque in Italiam redderet, ac demum cum fanum Aphroditis toto orbe celeberrimum, eam hospitum frequentissimam redderet.

Quamvis Corinthi quoque incommoda et aerumnae Apostolo non defuerint, potuit nihilominus 18 continuos menses ibi manere, quibus florentissimum coetum et condidit et provexit. Quatuor in corinthiaca Pauli commoratione periodos distinguit Lucas : praedicationem ad iudaeos in Synagoga, praedicationem ad gentiles in aula Titi Iusti ; gesta coram Gallione et ministerium post hunc eventum. In prima, dum per hebdomadam victui comparando apud Aquilae domum operam dabat, sabbatis praedicabat in Synagoga ubi tamdiu permansit quamdiu per iudaeos ei licuit ; id quod si non forsan tam cito quam Thessalonicae, demum, ut constanter inter iudaeos, Corinthi quoque advenit. Pulsus e Synagoga, Paulus vel gratis, si Titus Iustus christianus et dives erat, vel iusta locatione si secus, aulam capacem sibi comparavit ad conventus neophytorum cogendos. E iudaeis crediderat Crispus archisynagogus cum familia ; e corinthia vero plebe plurimi. Iudaeorum autem odium Synagogae ereptione minime satiatum, cum fidem christianam ad valvas ipsas Synagogae propagari propriis oculis cerneret, variis modis Paulo difficultates suscitavit, ita ut de relinquenda urbe, ut videtur, cogitaret. Dominus autem suum Apostolum nocturna visione confortavit. Nec Corinthi

(1) Cenchreae (Κεγχρεαί) ad Orientem et Lechaeum (Λέχαιον) ad Occidentem. Hinc Corinthus *biportus* ac " super duo maria equitans „ appellata est. His quas recensuimus praerogativis aucta, nova Corinthus a Iulio Caesare saeculo circiter restituta (Colonia Iulia Corinthus ann. 44 a. Chr.) postquam a Mummio (146) eversa erat, vix non gloriam superavit quam antiqua comparaverat.

defuit solita contra Apostolum iudaeorum accusatio quod illicitam superstitionem divulgaret ; et Lucas insinuat iudaeos opportunius ad scopum reputasse tempus proconsulatus Gallionis, quem propitium sibi futurum sperabant. Gallio vero qui in christianismo, ut passim romanis magistratibus accidebat, aliud non perspiciebat quam sectam iudaicam, accusatores a se reiecit quia " non de facinore ullo, sed de verbis et nominibus mosaicae legis quaestio erat „. *Verba et nomina* Gallio, sicut Pilatus, " regnum Dei „ et " Messiam „ procul dubio intelligebat, sub quibus Paulus apud iudaeos Evangelium proponebat utpote creberrimis in V. Testamento denominationibus ad Christum et Ecclesiam olim futura praedicenda (Act. 18, 5) (1). Labore personali certe indefesso (1 Cor. 9, 15-18), et adiutorio Silae ac Timothei qui ex Macedonia ab eo revocati advenerant (Act. 18, 5) quosque in baptizandis ac praeparandis ad baptismum accedentibus ad Evangelium maxime adhibebat, Paulus uberrimam segetem Corinthi, cum exinde proficiscebatur, collegerat (Act. 18, 9-18).

Relicta demum Corintho, Apostolus non per Macedoniam, sed via maritima Antiochiam reversus est, quia nimirum minime ab animo abiecerat primordiale propositum de Evangelio in Asiam inferendo. Quare Corintho solvens, Ephesum devenit ubi iam nunc ministerium apud iudaeos in Synagoga inchoavit, et veluti apertum reliquit, continuandum in tertio itinere ut ephesinis promisit cum in Syriam proficisceretur (Act. 18, 18-20). Epheso Apo-

(1) Responsum et ratio agendi quam Gallio cum accusatoribus tenet, egregie ostendit notionem quam romani magistratus et excultae inter eos classes, saltem in Oriente, de religione christiana cum iudaismo collata sibi confinxerant. Putabant agi de duplici eiusdem religionis, mosaismi scilicet, forma, quae solum differret in minutiis interpretationis. Gallio frater erat Senecae philosophi (Tac. Ann. 15, 73 ; 16, 17), cui frater dedicaverat libros " de ira „. Cognomen " Gallio „ vel " Gallion „ a Iunio Gallione qui eum a servitute manumissum adoptaverat, accepit. Bene autem notandum quaenam causa apud Gallionem ageretur. Cum factum de quo sermo est ad tempus pertineat quo Apostolus non iam in Synagoga, sed in aula Titi Iusti disserebat, i. e. de praedicatione ad ethnicos, accusatio non erat quod avocaret iudaeos a mosaismo, sed quod " religionem illicitam „ praedicaret quae non habebat pro se privilegium sicut iudaica. Accusationem hoc argumento probabant : quod Iesum diceret Messiam quem iudaei in patria repulerant, quemque Paulus ceu Numen venditabat. Paulus suam defensionem fundabat testimoniis V. Testamenti quibus Messias ac Dei Filius promittitur. Hinc Gallio concludebat quaestionem in hoc stare num revera Iesus ille esset quem Vetus Lex praedicit ; sicque " in verbis et interpretatione Legis „ totam versari.

stolus non recta Antiochiam, per ora scilicet Lyciae, Pamphyliae et Ciliciae sicut postea in tertio itinere, sed Caesaream contendit; quia nimirum hierosolymitanam ecclesiam visitare, votumque in Templo solvere decreverat (Act. 18, 18, 22ª) antequam Antiochiam pertingeret (Act. 18, 22ᵇ) (1).

Reditum via maritima cum turma iudaeo-christianorum ex Diaspora a Paulo confectum fuisse vix non certum est. Iudaeis usitatum erat ut per turmas ex variis Diasporae provinciis Ierusalem adirent identidem saltem, annuas in Templo solemnitates celebraturi; et Paulus votum temporale nazareatus pronuntiaverat cuius tempus persolverat cum Corintho egrederetur, voti oblationes exsoluturus (Num. 6, 9. 10) in hierosolymitano Sanctuario occasione Pentecostes. Ephesina proin commoratio brevissima fuit, dum navis partem oneris in urbe deponeret.

4. Pauli tertium apostolicum iter

Post aliqualem a laboribus praecedentibus requiem, Paulus tertium iter aggressus est in quo eamdem methodum et ordinem tenuit quem in secundo. Sicut in hoc communitates in primo itinere constitutas perlustravit ac confirmavit, atque ulterius novas condidit; sic in tertio, constitutas in secundo invisit; partim initio itineris, illas quae inter Pisidiam et Asiam; partim in fine, macedonicas et quae in Achaja sitae erant. Praeterea, in regione quae inter utrasque media interiacebat, Asia nimirum, diuturno tempore commoratus est ut ephesinam et alias finitimas sive per se, sive per suos discipulos conderet (2). Profectus itaque Antiochia,

(1) Caesaream Epheso recta videtur Paulus petiisse, non Tyrum ac dein via terrestri Caesaream sicut in reditu ex tertio itinere (Act. 21, 2. 3. 7. 8). Prima quidem specie Act. 18, 22 aliqualem difficultatem suscitat, possetque videri Apostolus Hierosolymam hoc reditu non attigisse. At in primis, si immediate Antiochiam, neglecta Hierosolyma, contendere vult, cur Caesaream appellit, i. e. cur tantopere descendit, iterum ascensurus, et non potius Epheso per oras Lyciae ac Pamphyliae recta Antiochiam petit? Deinde, verba Lucae Act. 18, 22 si accurate expendantur, perspicue ostendunt "ecclesiam„ salutatam non caesareensem, sed hierosolymitanam esse. Certe cum ex mari in Caesareae portum Apostolus descendit, non ei opus erat "ascensu„ (ἀναβάς) ut illam ecclesiam visitaret in qua iam versabatur: "ascendit„ proin Caesarea Hierosolymam. Deinde nec Caesarea "descendendum erat„ (καταβῆ) ut Antiochiam veniret sive mari sive per litus iter ageret: contra "descensus„ necessarius erat si ecclesia visitata unde discedebat, erat hierosolymitana.

(2) "Per discipulos„, sicut colossensium coetum per Epaphram, cum colossenses, pluribus annis postea Paulum de facie non agnoscant (Coloss. 2, 1).

STUDIO ADDICTUS
Province of Holy Cross

per Ciliciam, Lycaoniam et montana Pisidiae (Act. 18, 23 ; 19, 1), Ephesum advenit promissum impleturus quod ephesinis iudaeis in reditu ex secundo itinere fecerat (1). Sicut Thessalonica Macedoniae, et Corinthus Achajae, sic Ephesus Asiae (provinciae romanae huius nominis quae Mysiam Lydiam et Cariam complectebatur) primatum tenebat in litteris, vitae cultu et commercio, licet primatus politicus penes Pergamum permaneret ob pristinum huius urbis momentum sub attalidis. Eminebat praeterea Ephesus, sicut Corinthus ob Aphroditis, ob Artemidis sive Dianae cultum, cuius fanum, ab Herostrato combustum in nocte qua natus est Alexan-

(1) Ecclesiae ephesinae exordia aliqualem difficultatem, saltem prima specie ingerunt. Quantum ex Actuum historia colligere licet, christiana fides non penetraverat Ephesum donec advenit illuc Paulus in 3° itinere. Cogitarat quidem Apostolus Evangelium Asiae inferre per urbem ephesinam iam in 2° itinere, sed prohibitus a proposito est per Spiritum (Act. 16, 6). Biennio circiter postea, redux ex 2° itinere rediit Paulus in urbem, sed nulla memoria aut insinuatio fit de coetu aut familia vel persona christiana illic eo tempore, et Paulus iudaeos tantum alloquitur, e quibus etsi bene dispositis, nullum tamen baptizat (Act. 18, 19. 20). Imo, adveniens rursus brevi postea in 3° itinere non reperit nisi 12 illos " discipulos „ qui christianam fidem admodum imperfecte noverant cum vel ipsum baptisma christianum ignorarent (Act. 19, 1-3). Revera mens Lucae ea est procul dubio ut Paulum nobis exhibeat tamquam ephesinae ecclesiae conditorem. A quonam illi 12 discipuli notitiam quam de Christo habebant acceperint, ex praecedenti pericope de Apollo (18, 24-28) apparet. Erant nimirum eruditi ab Apollo qui Iesum quidem eis nuntiaverat (Act. 18, 25) sed altiores de Iesu notiones largiri non potuerat quam quas ipse attigerat. Hac occasione brevem nobis Lucas sed magni pretii historiam de Apollo tradit. Erat patria vel origine alexandrinus, eloquentia pollens et doctus in Scripturis. Habebat fidem in Iesum imo et eam eximio zelo praedicabat, sed admodum incompletam, cum solum nosset Ioannis baptisma. Erat videlicet vel discipulus iudaei alicuius qui Baptistae conciones de Iesu audierat, e Iudaea tamen migraverat antequam Iesus in vitam publicam prodiret, nec quidquam postea de eo percepérat, ita ut suos altiora de Iesu edocere non posset, vel alterius qui fundamentalem saltem articulum de baptismo in Spiritu Sancto ignorabat. Apollo igitur sic comparatus, cum Ephesum advenisset brevi postquam inde digressus erat Paulus, coepit suum ibi ministerium, sicut alias, obire et 12 illos ad suam doctrinam pertraxit. Aquila vero et Priscilla qui in ephesina Synagoga Apollon audierunt, cito eius imperitiam animadverterunt ; cum autem alias eum egregium virum agnoscerent optimeque dispositum " diligentius ei exposuerunt viam Domini „ quam ex commercio cum Paulo apprime percallebant. Apollo, qui ut videtur, erraticam vitam adamabat, festinavit adire Corinthum. Hinc, etsi Apostolus cito Ephesum rediret, Apollon ibi non reperit ita ut de facie illum non agnosceret usque ad eius in Asiam reditum (1 Cor. 16, 12). " Fratres „ qui Act. 18, 27 commendatitias Apollo litteras pro Corinthiis tradunt, non sunt fideles ephesini qui nulli erant, sed ut Aquila et Priscilla, sporadici discipuli qui commercium v. gr. exercebant.

der (352 circ. a. Chr.), magnificentius restitutum erat. Haec ephesinae urbis fama iam ab antiquo Paulum impellebat ut ex ea per Asiam Evangelium propagaret (1). Praevenerat Pauli adventum alexandrinus Apollo a quo initiati erant duodecim illi " discipuli „ quos Apostolus reperit in secundo suo adventu quique baptizati tantum erant in Ioannis baptismate quia non ultra progressa adhuc erat notitia quam eo tempore de Evangelio sibi Apollo comparaverat. (Act. 18, 24-19, 3). Completa proin ab Apostolo horum institutione, inchoabatur hoc nucleo celeberrima ephesinorum ecclesia (Act. 19, 8-7).

Quoniam Paulus in suo regressu ex secundo itinere ab ephesinis iudaeis benevole exceptus erat, non solum facilem aditum ad eorum Synagogam nunc obtinuit, sed per totos tres menses tranquille, secus ac Thessalonicae et Corinthi acciderat, iudaeis atque gentilibus in ea praedicavit. Imo, quantum ex Lucae narratione colligere licet, maxima iudaeorum ephesinorum pars christianam fidem amplexa est ; et solum " quidam „ (2) indurati fidem respuerunt, apud quos tamen aedes Synagogae remanserunt, (3) dum Paulus cum conversis, sicut Corinthi ad domum Titi Iusti, sic Ephesi ad " scholam „ i. e. aulam quamdam amplam Tyranni cuiusdam divertit, ubi per vices, ad certas horas, diversi diversa-

(1) " Asia „ de qua hic est sermo, non est illa totius orbis pars ingens quae iam saltem ab Herodoti aetate hoc nomine appellabatur, neque " Asia Minor „ sive Anatolia quae sub Diadochis praecipuam efficiebat imperii seleucidarum partem, sed extrema huius ipsius occidentalis zona, quae Mysia, Lydia et Caria cum Phrygiae occidentalis segmento constabat, quaeque a romanis, devicto Antiocho III (189), ex huius ditione, data erat Eumeno II regi Pergami (1 Macch. 8, 8) et vicissim iisdem postea testamento restituta (sicut Galatia per Amyntam) ab Attalo III ann. 133. Hinc caput " politicum „ provinciae Asiae remansit Pergamum ; dum in litteris, commercio artibus et cultu vitae emineret Ephesus. Ex hac urbe late fuisse propagatum Evangelium per Asiam et Phrygiam apparet ex Act. 19, 10 ; 1 Cor. 16, 9 ; Col. 1, 7 ; 2, 1 ; Philem. 1-25.

(2) Act. 19, 8. 9. Non sequitur exinde communitatem iudaeo-christianam fuisse : post tres menses laborum cum iudaeis venit fere triennium ministerii in quo plurimi ethnici fidem amplexi sunt : unde proportio ethnico-christianorum ad iudaeo-christianos semper praeponderavit.

(3) Nec mirum, nam Synagoga utpote sedes iudaici cultus, semper, quamdiu non omnes iudaei converterentur, qui eam frequentabant, apud eos iuxta leges romanas mansura erat qui illum cultum retinerent. Nec rursus etsi iudaei non magno numero essent, sequitur eos non potuisse creare Apostolo molestias multas et graves (Act. 20, 19).

rum sectarum rhetores vel philosophi (1) suas lectiones explanabant. Conventus suos et instructiones in hac aula Paulus per biennium, tranquille satis, continuare perrexit ita ut " omnes qui habitabant in Asia „ " audirent Dei verbum „ (Act. 19, 8-10). Certe non est existimandum Apostolum eiusque socios caruisse omni molestia: Paulus in oratione Mileti habita, cum redux ex hoc itinere in Palaestinam pergeret, expressis verbis nos edocet de gravibus aerumnis quas praesertim ob iudaeorum insidias perpessus est; quod vero praeter tumultum Demetrii alia quoque durissima subire coactus sit, ex 1ª Cor. 4, 9-13 et 18, 30-32 quorum pleraque ad commorationem ephesinam ante tumultum pertinent, oppido constat. Ephesi quoque, sicut in primo et secundo itinere, Deus Pauli praedicationem saepe portentis confirmavit (2).

Expleto ministerii biennio ad aulam Tyranni cumque iam Paulus iter macedonicum et in Achajam cogitaret (1ª Cor. 16, 1-9; Act. 19, 21-22) supervenit inopinato Demetrii tumultus quo Apostolus aliquo tempore Ephesi remanere coactus est, donec sedata

(1) Τύραννος Tyrannus nomen erat proprium (cfr. 2 Macch. 4, 40; Ios. Fl. Ant. 16, 10): quaenam vero sit persona designata, num rabbinus privatus, an ethnicus rhetor, an dominus domus ubi aula erat, ignoramus. In altera Actuum recensione dicitur Paulum docuisse ab hora 5ª ad 10am (11ª antem. ad 4am pomerid. nostri computus). Num aula gratis an soluto locationis pretio commodaretur, incertum. Cum Ephesus incolarum frequentissima esset (cfr. Act. 19, 19) multique lectiones Pauli frequentarent, aula admodum capax necessaria erat. Usus lectiones habendi in magnis aulis aut etiam sub dio, antiquissimus erat ut ex historia sectarum philosophicarum inter graecos constat.

(2) Non quomodocumque ephesinum Pauli ministerium divinis portentis confirmabatur, sed ephesina commoratio eminet, in tota Pauli historia, virtutis thaumaturgicae manifestatione, quam ample describit Lucas Act. 19, 11-20. Primum enim per applicationem eorum quae eius personam tetigerant, atque circumferri hac illac poterant ut sudaria et semicinctia quibus dum opificio vacabat utebatur, et morbi ab aegris fugabantur et daemonia a possessis expellebantur (Act. 19, 11. 12). Deinde hoc in genere celeberrimum est episodium filiorum Scevae. Erat is nobilis iudaeus qui in Iudaea aut summus Sacerdos, aut Princeps familiae sacerdotalis fuerat, habebatque septem filios qui, sicut in patria, (Mt. 12, 27), ministerium exorcizandi, quod pars sacerdotii levitici erat, patris nomine et auctoritate obibant. Hi igitur, cum perspicerent daemones, in applicatione linteorum Pauli ad obsessos adiecta adiuratione per Iesum et eius praeconem Paulum, adiurantium imperio obedire, tentarunt ipsi quoque in suo ministerio eamdem adiurationem adhibere, non tamen recta in Christum fide animati. At daemones audita adiuratione, nedum possessos relinquerent, per eos in adiurantes irruerunt tali impetu ut vix, relictis tunicis ac superiori veste per quas a daemoniaco apprehensi erant, indumentis tantum internis, aufugere valerent.

demum feliciter perturbatione, potuit propositum exsequi adeundi Corinthum traiecta Macedonia, iuxta praxin visitandi iterum ac saepius, si liceret, (1) ecclesias etsi bene constitutas (Act. 20, 1-3). At praeter generalem hanc rationem, iter in Achajam erat tunc speciali modo necessarium ob turbulentias fidelium quae durante Apostoli absentia fere per quadriennium, post eius egressum ab urbe corinthia subortae fuerant. Et quamvis nonnullis remedium per primam ad illos fideles epistolam afferre conatus erat, aliae remanserant quae personalem Apostoli praesentiam omnino requirebant. Rebus itaque in Asia compositis, Paulus per Macedoniam Corinthum petiit, ubi per tres menses, tota nimirum hieme, commoratus, sequenti vere, non via maritima ut cogitaverat, ita ut sicut in secundo itinere Corintho solvens, recta cursu in Palaestinam pergeret, sed terrestri, relicta Macedonia usque Philippos reditum confecit. Relicta igitur Macedonia atque Philippis Troadem delapsus, Troade per mare Aegeum, Miletum advenit, ubi celebrem ad asianos praesules eius monitu congregatos orationem habuit quam Lucas 20° capite Actuum nobis conservavit. Mileto, per Coum et Rhodum, in urbem Patarae in Lycia profectus, inde Tyrum ; Tyro terrestri via Ptolemaidem et Caesaream, donec iuxta consilium iampridem susceptum (Act. 20, 16) diebus Pentecostes Hierosolymam pervenit (2).

Quatuor in Pauli itineribus hactenus descriptis aliqualem nec praetermittendam, difficultatem provocant. 1um est iter in Illyricum. In Epistola ad Rom. 15, 19 expressis verbis ait Paulus se, ante illud tempus, « usque ad Illyricum » christianam fidem propagasse, i. e. ultra septemtrionales Macedoniae fines ubi Illyricum iacebat. Quando illuc advenit ? Certo non cum primo Macedoniam ingressus est in secundo itinere : seriem enim locorum a Paulo tunc peragratorum donec Corinthum attigit, perspicue ac definite tradit Lucas : Neapoli venit Paulus Philippos ; Philippis Thessalonicam ; inde Beroeam, Beroea in vicinam maris Aegei oram qua Athenas contendit, inde Corinthum : nullus expeditioni in Illyricum vel in extremos Macedoniae ad septentrionem occidentalem

(1) Primum nihilominus Pauli propositum fuerat iter navigio peregisse et Corintho in Macedoniam adire (2 Cor. 1, 1. 15. 16). Quare autem consilium mutaverit, explicat Apostolus initio 2 Cor.

(2) Quibusdam (Cfr. B. Weiss *Einl.*[3] 237 nota 1) videtur Paulus consilium de attingenda Hierosolyma ad festum Pentecostes exsequi non potuisse ; at confluxus iudaeorum in urbem sanctam ex Diaspora cum Paulus caperetur potius contrarium suadet. Hinc captura Pauli collocanda est brevi post festum Pentecostes vel in ipso Pentecostes octiduo anni 57 vel 58.

fines, adest locus. Rursus nec redux Corintho ex tertio itinere per Macedoniam ; nam iter in Illyricum eo tempore antiquius est et iam confectum cum Corinthi ante reditum ex tertio itinere epistolam ad Romanos exararet. Non restat nisi vel mansio prima corinthiaca qua durante aut terra aut per mare ionium expeditionem aggressus esset ; vel transitus per Macedoniam cum, relicta Epheso, per illam provinciam Corinthum secundo adiit (1 Cor. 16, 5 ; 2 Cor. 7, 5 ; 8, 1 ; 9, 2) sub finem tertii itineris. Pro tempore primae commorationis in metropoli Achajae vix adest ratio probabilis, cum nullum in narratione Actuum vestigium appareat talis itineris, et omnia potius suadeant commorationem corinthiam nullatenus intermissam fuisse ; vicissim pro transitu per Macedoniam plura militant. In primis, Lucas hoc iter concisa admodum et parum definita narratione perstringit (19, 21 ; 20, 1). Deinde Paulus in 2 Cor. pluries insinuat se in hoc per Macedoniam transitu quasi de industria adventum suum in urbem corinthiam procrastinare ne corinthios non satis paratos inveniat (2, 1-3 ; 12, 14 ; 13, 2-10). Nisi igitur verba Rom. 15, 19 intelligamus aut negative : usque ad Illyricum » i. e. « usque ad eius limites externos in Macedonia », aut de praedicatione non personali, sed ob diffusionem ex ipsa Macedonia, quae tamen verborum interpretatio nimis laxa est, vix dubium esse potest quin eo tempore excursus in Illyricum reponendus sit quo relicta Epheso per Macedoniam in Achajam venit (1).

2um, de numero itinerum Apostoli in urbem corinthiam singulorumque praecisa definitione. Paulus 2 Cor. 2, 1 ait se nolle " rursus in tristitia „ i. e. abalienato a corinthiis animo ob quorumdam haud dignam agendi rationem, Corinthum venire : quibus ex verbis sponte fluit consectarium, quod antequam Epistolam scriberet i. e. ante adventum de quo Act. 20, 2. 3 iam alias " in tristitia „ ad eos venerat : cum autem de primo suo in urbem corinthiam adventu, ante ullum corinthiorum cum Paulo commercium, id vix ullo modo dici posse videatur, restat ut inter illum primum, et eum qui adhuc, cum scribit, futurus est, adventum, alius praeterea admittendus sit sive durante prima commoratione, cum, facta brevi absentia, nonnullos, in reditu, abusus reperit qui eum contristaverant ; sive durante commoratione ephesina ante primam Epistolam (2). Et quod iam ex 2 Cor. 2, 1 recte videtur concludi, ulterius confirmatur ex 12, 14 et praesertim ex

(1) Hanc opinionem sequitur Guthe, qui Epheso Thessalonicam, inde prope Dyrrhachium, hinc, per littus occidentale, Corinthum deducit Paulum.

(2) Primam opinionem praefert Cornely ; alteram Theod. Zahn (cfr. Corn., Intr. spec.[3] p. 369 ; Zahn, Einl.[3] 1, 187. 194. 229 sq.).

13, 1 ubi futuram suam apud corinthios praesentiam quam in 1ª Epistola nuntiaverat (16, 5. 6) et in 2ª confirmat, " tertiam „ appellat: intelligi autem " tertiam „ non praeparatione tantum ut ex 12, 14 posset exsistimari, sed omnino in factis, constat ex 13, 1 ubi non dicit se " tertio paratum esse „, sed " tertio iamiam venturum „ τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς: " iam tertio venio, in eo sum ut propediem veniam, ad vos „. Cum haec Paulus in 2 Cor. i. e. brevi tempore ante eius adventum in urbem corinthiam scribat, dici non potest talem adventum fuisse frustratum.

Negari nequit quaestionem difficilem esse (1): quocirca ante omnia, omnino concedendum est Paulum iam ante adventum adhuc futurum cum 1. et 2. ad Cor. scribit, " semel in tristitia „ Corinthum advenisse. At quare id de primo suo Athenis in urbem corinthiam adventu dici nequeat, minime apparet, cum Paulus non dicat causam tristitiae in utroque casu esse corinthiorum culpam. Vinculum quod in Apostoli animo utramque tristitiam copulat est " locus „, urbs corinthia, non corinthiorum culpa; et mens Pauli haec est: satis fuit quod iam semel cum vos primum visitavi, ingenti moestitia afficerer; nolo rursus moestus apud vos me sistere, praesertim cum in vobis ac de vobis possim nunc, id quod tunc non poteram, adventu meo laetari. Profecto, in suo primo adventu Paulum gravi moerore affectum huiusque moeroris memoriam alte in suo animo repositam fuisse, apparet ex 1 Cor. 2, 3. Vera difficultas adest solum in numero commorationum corinthiacarum, qui nimirum iuxta 2 Cor. 12, 14 et praesertim 13, 1 ternarius videtur admittendus. At ubi et quando collocanda secunda commoratio quam quaerimus, et quam rursus, sicut iam semel alias, futuram in moerore Paulus timet? Inter 1. et 2. Epistolam omnino non; quia plenissima notitia quam habemus tum ex utraque Epistola, tum ex Actibus, de hoc tempore, quemvis Pauli adventum in urbem corinthiam penitus prohibet. Sed neque ante 1. post egressum de quo Act. 18, 18 finito secundo itinere; nam quae in 1 Cor. de factionibus aliisque abusibus apud corinthios Paulus ibi disserit, aegre admodum aut nullo modo explicari possunt admissa intermedia corinthiorum per Apostolum visitatione (2). Restat proin ut secundus hic ad-

(1) Revera plures recentiores (novissime P. Lattey *The N. Test.* vol. III, p. III, p. IX-XII) novum iter novamque Epistolam (deperditam) adstruunt.

(2) Certe quae Paulus 1 Cor. 1, 18-3, 3 de sua praedicatione apud corinthios dicit, prohibent omnino omnem Apostoli commorationem apud corin-

ventus collocandus sit post brevem aliquam absentiam, qualibet ex causa, durante prima commoratione ; quae tamen temporalis absentia, etsi permittat plus minusve violenter, non necessario postulat expeditionem ad Illyricum : aliud est enim brevis et ad brevem distantiam per regiones ipsius Achaiae, absentia ; aliud usque ad Illyricum excursus evangelizationis gratia : prima potuit a Luca omitti utpote nullam novam missionem inducens ; non ita altera.

3um est de tempore antiocheni conflictus inter Petrum et Paulum. Certo conflictus collocandus est ante Epistolam ad Gal. Propius vero et concretius perpensa quaestione, duplex hac in re datur sententia extrema, et tertia media quam nos sequimur. Iam suo tempore Augustinus putabat non tam bene explicari conflictum post conventum hierosolymitanum ac proin probabilius existimabat conflictum antiquiorem apostolico Concilio. Augustinum sequuntur nostra aetate Zahn (Gal. p. 111), Belser (Einl. p. 159) et alii. E contra, qui Epistolam ad Gal. in tertio itinere scriptam tenent, plures conflictum ponunt inter secundum et tertium iter, in antiochena nimirum Pauli commoratione de qua Act. 18, 22. 23. Praecipua primae sententiae ratio est difficultas explicandi conflictum si decretum apostolicum praecesserat ; cum vero difficultas haec vere nulla sit ut suo loco videbimus, nulla etiam subest ratio quare ordinem chronologicum quem in sectione autobiographica Gal. 1, 11–2, 21 Paulus accuratissime sequitur usque ad 2, 10 dicamus violatum et abruptum 2, 11-21. Hinc conflictus certo posterior conventu hierosolymitano est (1). Num vero in-

---

thios inter Act. 18, 1-17 et 1am ad Cor. Nam purgaturus se a stili simplicitate qua in sua apud eos praedicatione usus erat quaeque fundamentum dederat ut eum quidam aliis praeconibus evangelicis postponerent, dicit illam simplicitatem necessariam eo tempore fuisse non quia altioribus careret quae posset proponere si vellet, sed quia non poterant ea percipere quae provectiorum propria erant. Certe si tempore intermedio visitasset Paulus Corinthum, cum iam non subsisteret illa ratio, usus fuisset stilo altiori et sic facto ipso dissipasset obtrectationum fundamentum. Paulus evidenter non visitaverat Corinthum a prima sua praedicatione.

(1) Antiqui potius conflictum cogitabant eo tempore contigisse quo Petrus, " dum pertransiret universos „ (Act. 9, 32) in cursu suae visitationis quae ex Act. 9, 32–10, 24) a meridie in septemtrionem ferebatur (Lydda, Ioppe, Caesarea) et post gesta 10, 1–11, 18 continuabatur, traiecta Galilaea et Phoenice, Antiochiam pervenit ubi Paulus suum ministerium inchoaverat. Et certe chronologicae rationes non obstarent, cum visitatio coetuum per Samariam, Galilaeam, Phoenicen et inferiorem Syriam bene potuerit tantum temporis insumere ut interea Paulus, peracto brevi suo secessu in patria, inde Antiochiam a Barnaba adductus sit,

mediate collocandus an, ut vult cum suis Sabaterius, ad regressum ex altero itinere differendus sit, ex momentis pendet quibus controversia de tempore Epistolae ad Gal. expendi et solvi solet. Nos suo loco demonstrabimus Epistolam probabilissime durante commoratione scriptam esse qua Paulus Antiochiae post conventum hierosolymitanum mansit. Aliunde nulla ratio adest ut conflictum ad tempus differamus post alterum iter apostolicum, sed potius tenor ipse contextus paulini suadet ut brevi post hierosolymitana comitia episodium statuamus. Cur vero Lucas illud omiserit arduum explicatu non est. Tempore quo Actus scribebantur noverant apprime fideles conflictum non habuisse illam gravitatem quam multi nostra aetate ei affingunt. Ut suo loco videbimus, applicatio practica normarum pro ratione agendi secundum varia nonnullarum ecclesiarum adiuncta, nonnumquam ipsos primarios duces perplexos reddebat.

Restat 4um caput de synchronismo aerumnarum et vexationum in ministerio toleratarum quas enumerat Apostolus tum 2 Cor. 11, 24-27 ; tum 1 Cor. 4, 9-13 et Act. 20, 19. Aerumnas tertio loco enumeratas collocandas esse in tertio itinere ac durante commoratione ephesina evidens est : explicari vero commode possunt de tricis omnis generis quas iudaei contra Apostolum toto illo triennio, maxime autem occasione tumultus Demetrii, suscitarunt (Act. 20, 19). Quas vero recenset 1 Cor. 4, 9-13 ubi inter alia, " instabilitatis „ meminit sedis et habitationis, eaedem cum praecedentibus sunt, ac non tam de expulsionibus et exiliis ex provincia in provinciam vel ex urbe in urbem, quam ex domo in domum aut de insecuritate in eodem loco v. gr. in aula Tyranni, intelligi debent. Quamvis enim in ea per biennium perseveravit, bene potuit fieri ut saepe pretium locationis v. gr. per fraudes augeretur etc. Demum enumeratio 2 Cor. 11, 24-27 utique ante macedonicam commorationem alteram in tertio itinere (Act. 20, 3) quo tempore scribebantur litterae, ponenda est. Et mem-

---

coeperitque ibi suum ministerium. Sed obstat omnino historia. Secundum Gal. 2, 11-14 apparet iam diversitas criterii circa modum agendi iudaeo-christianorum pro diversis coetibus iudaeo vel ethnico-christianis in quibus versarentur, id quod rursus supponit bene constitutos ab aliquo tempore coetus utriusque generis. Iam vero id utpote recentius controversia de mosaismi valore, nullo modo admitti potest in hypothesi quam examinamus. Nec rursus Paulus adhuc attigerat eo tempore illum auctoritatis gradum quem conflictus supponit. Demum non est ratio cur ordo chronologicus Gal. 1, 18–2, 21 perturbetur.

brum de " quadragenis „ in Synagoga quinquies iteratis haud difficile explicatur, cum iam Damasci in Synagoga verba fecerit, ac postea constanter consuetudinem praedicandi in Synagogis retinuerit, rursusque toties in ipsis Synagogis contra Paulum commotos fuisse iudaeos legamus (Act. 13, 45 ; 18, 6 ; 19, 9). Alterum membrum de virgarum supplicio ter tolerato, quod evidenter veluti diversum a praecedenti, ac romanis proprium proponit, haud aegre explicatur : quod Philippis contigisse Act. 16, 23. 37 cernimus, facile potuit alias quoque v. gr. Thessalonicae accidere, eo vel magis quod inter romanos hoc supplicium iis qui romani non erant facillime tamquam in causae inchoationem, potius quam veluti poena ex sententia applicaretur (Act. 16, 22-38 ; 22, 23. 24. 25 ; Lc. 23, 16 ; Ioann. 18, 39–19, 1). Lapidatio expresse narratur a Luca Act. 14, 19. Naufragia pati potuit cum Seleucia Cyprum vel a Cypro Pamphyliae ora appulit : aut cum iterato vel saepius mare traiecit redux ex primo ac secundo itinere et alias. Pericula fluminum, scilicet traiiciendorum, pluries potuit Paulus incurrere : in Cilicia, in Pisidia, in Macedonia, in Asia ; vel etiam exundantium ubivis fluviorum, et se per planities effundentium. Latronum incursiones, in saltibus montanarum regionum Ciliciae ac Pisidiae quae celeberrimae erant hoc nomine in antiquitate (1), facile explicantur. Descriptio haec non ad breve ac definitum tempus refertur, sed universum ministerii cursum respicit hactenus evolutum.

5. Pauli a iudaeis comprehensio

Cum pervenisset Paulus Hierosolyma redux ex tertio itinere, prima eius cura haec fuit ut Iacobum ac seniores hierosolymitanae ecclesiae visitaret, et novarum communitatum ethnico-christianarum Macedoniae, Galatiae et Asiae deputatos eis sisteret (Act. 20, 4 ; 21, 18) tradita per eorum manus collecta ab ecclesiis illarum regionum Apostoli zelo corrogata (21, 18. 19). Sed in illo conventu

(1) In descriptione periculorum, inter alia Paulus memorat νυχθήμερον ἐν τῷ βυθῷ transactum. Vulg. vertit : " nocte ac die in *profundo maris* fui „. Sententiam multi ita explicant ut non de " alto mari „, sed de " maris profundo „ sermo sit, ita ut vere Paulus per miraculum infra maris undas toto illo tempore submersus fuerit et conservatus incolumis ; melius Chrys. et Theodor. de iactatione in undis in " alto mari „, procul a littore donec a transeunte, per casum, navigio liberatus sit. Cfr. Corn., 2 *Cor.* p. 306.

potuit Paulus rerum conditionem, saepe iam sibi durante reditus itinere nuntiatam (Act. 20, 22. 23; 21, 11) propius experiri. Iacobi enim presbyteri, etsi, audita Dei in Apostolum eiusque labores effusa benedictione, divinam largitatem sincere magnificarent, tamen de iudaeorum ac iudaeo-christianorum dispositionibus parum aequis in Paulum, eum admonendum censuerunt, utque sese adversus eas opportune praemuniret, amice suaserunt. Rerum conditio haec erat: multa quidem iudaeorum millia christianam fidem Hierosolymis amplexa fuerant; at omnes "aemulatores legis„ sese profitebantur, i. e. mosaismo admodum addictos. Ex hac dispositione fiebat ut tametsi nec, ut iudaei, legem veluti unicum iustitiae fontem, denegata penitus fide in Christum; nec, ut iudaizantes, mente iudaica mosaismum observarent, sed et crederent in Iesum et eum unicum iustitiae et salutis fontem faterentur; facile aures praeberent iudaeorum ac iudaizantium calumniis quod Paulus in Diaspora iudaeo-christianos a mosaismo etiam mente christiana exercito, passim avocaret. Iacobus et presbyteri, ut pessimum hunc iudaicarum calumniarum effectum in animis fidelium efficacibus rationibus dissiparent (1), hortati sunt Paulum ut quatuor iudaeo-christianorum expensas pro capillorum rasura ex voto nazareatus in templo solvendas ipse faceret, qua demonstratione falsum esse constitisset quod de aliorum iudaeorum a mosaismo avocatione contra Apostolum propalabatur, cum ipse mosaicas observantias retineret atque in aliis approbaret (Act. 21, 20-24). Cum vero ethnico-christianarum ecclesiarum procuratores qui Paulum comitabantur, quos inter Lucas (Act. 21, 18), haec audissent, perturbati nonnihil sunt, talisque perturbationis externa signa dederunt. Quod cum Iacobus et presbyteri animadvertissent, ut procuratores tranquillos redderent, addiderunt: ad ethnico-christianos vero quod spectat, probe recordaris nos (Apostolos et presbyteros) edixisse ut liberi penitus a mosaismo essent, solumque quatuor illa servarent quae ad mosaismum proprie non per-

(1) τί οὖν ἐστιν; dicunt presbyteri Paulo: "quid ergo est? (videlicet, faciendum ut calumnia dissipetur?) Hoc fac: sunt nobis... „. Hunc esse posse sententiae sensum, et non necessario dubitantium aut diffidentium: "quid ergo est veritatis in his quae de te dicuntur „, ostendit eadem locutio 1 Cor. 14, 15. Quod si sensus hic esse potest, non alius fingendus contra sectionis et totius libri contextum. Peracto Iacobi et presbyterorum consilio (21, 26) nemo iam ex fidelibus Paulum inquietat: si dein comprehenditur, id a iudaeis fit.

tinent (1). Paulus incunctanter auscultavit consilium ac sine difficultate quamprimum exsecutus est (Act. 21, 25. 26).

Septem dies ab Apostoli in urbem adventu decurrerant (2), cum ecce iudaei quidam ex asianorum turmis, videntes Paulum in templo, concitarunt adstantem multitudinem, apprehensumque per vim Apostolum occidere tentabant quasi mosaismi eversorem, ac Sanctuarii profanatorem ob inductos, ut putabant, socios suos ethnicos in atrium iudaeis reservatum ; viderant enim eum per urbem cum Trophimo ethnico-cristiano, putaverantque eum inductum e Paulo in Sanctuarium fuisse. Interea, cum tribunus romanus qui prope, in arce Antonia aderat de tumultu monitus esset, potuit mature accurrere et Paulum e perturbatorum manibus eripere. Tribunus ereptum Apostolum ducebat secum in arcem Antoniam ; cum autem turbae magnis eum clamoribus insequerentur eius mortem postulantes, Paulus, obtenta a tribuno venia, conversaque repente ad populum facie magnificam illam orationem habuit quam narrat Lucas Act. 22 (3). Turbae Pauli tranquillitate et eloquentia perculsae, atque sermone patrio quo Apostolum eas alloquentem

(1) Communiter acatholici Iacobi et presbyterorum verba ad Paulum veluti primam de hierosolymitano decreto notitiam Apostolo nunc per eos communicatam traducunt; unde concludunt auctorem sive redactorem Actuum in apertam contradictionem cum narratis cap. 15 incurrere (sic novissime Weissknopf, *Urchrist.* 194. 195). At quo pacto sive auctor sive redactor, si vel minima ei boni sensus particula concedatur, in tam crassam contradictionem incurrere poterat? Nonne satius est explicationem dare quam dedimus? nam certum est cum Paulo scenae adfuisse procuratores ethnico-christianos. Et revera si ita non est, ad quem scopum recordatio ethnico-christianorum in tali colloquio? Si autem intuitu adstantium procuratorum fit, res optime intelligitur: hierosolymitani praesules prudenter explicant discrimen inter iudaeo- et ethnico-christianos ut hi ob dicta ad Paulum non perturbentur quasi ipsi quoque ad mosaismum cogendi essent. Non ita erat cum in eis non adesset ratio quae in Paulo qui iudaeus erat.

(2) Act. 21, 27.

(3) Anno 58 quo haec gerebantur, iudaei sub procuratorum regimine continuabant, restabilito per romanos post mortem Agrippae ann. 44. Procuratores tamen hoc tempore sicut iam antea non Hierosolymis, cui urbi facile a romanis " physionomia „ propria relinquebatur, sed Caesareae suam sedem delegerant, seque in metropoli per tribunum cum cohorte repraesentare faciebant. Erat hoc anno 58 Procurator Felix. Ad arcem Antoniam quod attinet, illa ipsa erat quam Hircanus I ad aquilonarem Templi plagam in Sanctuarii munitionem extruxerat, Bari appellata, quamque Herodes ampliaverat et Antonii Triumviri sui protectoris nomine vocaverat. Ad illam, utpote in colliculo sitam, ex Templi planitie per scalas identidem in clivi serie distributas ascendebatur. In una ex diversis his partialibus per seriem scalarum planitiebus suam orationem habuit Paulus.

audiebant vehementer allectae, eius verba benevolo animo auscultabant; cum vero Apostolus ad illam Christi intimationem pervenisset qua se in gentilium apostolum, posthabitis iudaeis, designabat, tamquam si in his verbis confirmationem calumniae de secessione a mosaismo deprehendissent, pristinos clamores rursus renovarunt, hominis necem inconditis vocibus a tribuno flagitantes. Tribunus qui multitudinis clamores utpote aramaice expressos non satis percipiebat, furia tamen plebis commotus, iussit virgas expediri ad verberandum Apostolum, id quod peractum illico fuisset nisi Paulus civitatis romanae ius invocasset. Quoniam tribunus Lysias ob sermonis ac multo magis ob rerum ipsarum de quibus agebatur ignorantiam, non satis perspicue causam quae agitabatur, attingebat, voluit per Synedrium illustrari, ad cuius proin tribunal reum et causam examinandam detulit, retento tamen sub sua tutela Paulo, assumptaque in proprium tribunal processus directione (Act. 22, 30).

6. Pauli processus. 1ª pars: Ierusalem et Caesarea

A temporis puncto quo in favorem Pauli intervenit Lysias (Act. 21, 32-34) Apostolus constituebatur sub romanorum potestate et tota eius causa in posterum in romanis tribunalibus ac sub romanis iudicibus agebatur, ita ut iudaei accusatores essent, incluso synedrio, non iudices. " Factum „ ipsum ex simplici eventuum analysi constat. Act. 21, 34 Lysias iubet Paulum afferri ad arcem Antoniam, atque inchoata eius causa, eum per Synedrium interrogari facit, sed se iudice, et Synedrio assessorias tantum partes agente (22, 30–23, 10). Deinde Lysias Paulum ad Felicem mittit ut per hunc ceu Praesidem atque ad eius tribunal Pauli causa continuetur, iudaeis minime refragantibus (Act. 23, 27-30), et eodem conceptu suscipit eum Felix, causamque continuat (Act. 23, 35 ; 24, 1-27). Idem post Felicem facit Festus, apud quem adstant quidem Synedristae sed ut accusatores ; imo cum hi Paulum ad propria tribunalia vindicare conantur, Festus id non concedit, sed ipse Caesareae ut iudex agit (25, 1-6. 7. 8). Quod si Festus postea Paulum Synedristis tradere paratus apparet, id tamen perficere non audet nisi Paulo consentiente (Act. 25, 9) : qui omnino renuit suamque causam sub imperii tribunalibus peragi asserit (Act. 25, 10) appellationemque interponit quae non

solum a Festo, verum a iudaeis quoque, vellent, nollent, acceptatur (Act. 25, 11. 12).

At enim gerebanturne haec omnia secundum legitimas iuris normas? Certe Lucas id supponit; nam inducit saepius, durante causa, Deum ipsum Pauli agendi rationem approbantem (Act. 23, 11; 27, 24); et Paulus ipse se legitime agere putat. Nec immerito; Paulus erat innocens; quare iure potuit tam Lysiae protectionem acceptare quam postea ius civitatis invocare ut a iudaeis eriperetur; et romanae civitatis titulo a Lysia primum, deinde a Felice ac Festo in tutelam suscipi. Certe, Tertullus nomine Synedrii (Act. 24, 5-9) cui acquiescunt synedristae a Synedrio deputati (ibid., cfr. 24, 1) protestatur de Lysiae interventu, sed immerito; et quam parum Synedrio iustitia cordi esset apparet ex duplici conspiratione inita ad Paulum insidiis interficiendum, conscio Synedrio (Act. 23, 12–14. 15; 24, 3).

Ut superius innuebamus, accusatio contra Paulum ab eius comprehensoribus invocata, duplici capite constabat: « avocatione iudaeorum a mosaismo in Diaspora » et « profanatione Sanctuarii (Act. 21, 28); et eamdem penitus instaurat Tertullus nomine Synedrii coram Felice confirmantibus deputatis ex Synedrio (Act. 24, 5. 6); nihil enim aliud vult causidicus per « seditiones » (1) in universo orbe significare quam avocationem iudaeorum a mosaismo in Diaspora. « Secta » (αἵρεσις) nazarenorum de qua Tertullus nomine Synedrii (Act. 24, 5) potius quam explanatio membri praecedentis quae propius definiat indolem avocationis a mosaismo, quasi nimirum discessio a mosaismo per Paulum praedicata in natura ipsa Evangelii reponatur quod essentialiter circumcisionem et legem ab efficacia iustificativa excludat, est novum caput « de Iesu rege », ut ex 26, 19 (de Iesu defuncto quem affirmabat Paulus vivere) apparet. Revera, avocationem a mosaismo quam Paulo attribuebant iudaei, fideles quoque hierosolymitani improbant, qui tamen, etsi profecto cum suis ducibus presbyteris ac Iacobo mosaismum exercerent, in eo tamen nullo modo agnoscunt iustificationis fontem, cum ab eius exercitio ethnico-christianos liberent (Act. 21, 20-26). Tale autem caput quam falsum sit, ex tota vita Pauli, et novissime ex Act. 21, 26 perspicue apparet. Non minus infirma erat altera accusatio de inductis in Sanctuarium ethnicis; nam Paulus minime,

(1) " Seditio „ στάσις idem est atque " avocatio „ i. e. discessio a coetu. Avocatio haec factum solum externum significat independenter a mente christiana vel iudaica, non " avocationem a mosaismo ut necessario ad salutem „: talis enim accusatio calumniosa non fuisset ut est ea quam contra Paulum movent iudaei; nec apud romanos recepta esset, ut ex casu Gallionis apparet.

ut eius adversarii dicebant, Tychicum vel ullum alium gentilem intra templi septa, iudaeis reservata, induxerat. Synedristae, ut ex Tertulli accusatione (Act. 24, 5) apparet, adiunxerant novum caput: de Evangelio, sive regno Christi proclamato et pro viribus propagato. Haec accusatio urgebatur nominatim in Paulum quia expressius quam reliqui apostoli completam Evangelii a mosaismo independentiam praedicabat (1).

Mirum sane primo aspectu videtur quomodo ex tumultuaria Apostoli per manipulum privatorum captura processus adeo gravis contra eum inchoatus sit qui per tribunum Lysian, Synedrium, Procuratorem romanum, imo et imperatoris tribunal ultra quadriennium protractus est. Accusatio per Synedristas contra eum invocata alia non fuit quam quae a tumultuantibus, cum caperetur, pronuntiata est: " hic est homo qui adversus populum et legem et locum hunc (templum) omnes ubique docens, insuper et gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum „ (Act. 21, 28). Sed fanatici illi, etsi pauci, omnium iudaeorum odium in Paulum repraesentabant; ideoque primum universa populi multitudo quae tunc in templo adstabat (Act. 21, 31. 36); deinde Synedrium ipsum (22, 30–23, 10. 13–15); demum Caesareae coram Felice Tertullus, causidicus et accusator Pauli nomine Synedrii (Act. 24, 5. 6), eamdem penitus accusationem totidemque verbis renovarunt. Quibus vero gradibus et orta sit et evoluta paulatim talis accusatio et consequens inde odium, attenta historiae consideratio nos edocet. Iudaei conversionem Pauli aegerrime tulerant, eumque semper veluti transfugam e mosaismo considerarunt. Haec animorum inter iudaeos in Paulum aversa dispositio iam Damasci et Hierosolymae violentis conatibus manifestata (Act. 9, 23. 29), mirum in modum excrevit ac propagata est cum, inchoata eius inter gentiles praedicatione, praecipuus evasit libertatis Evangelii et evangelicae a mosaismo immunitatis propugnator. Cum vi huius principii Paulus ethnicos qui ad Synagogas accedebant, ab illa subiectione liberaret qua iudaei ubique per Diasporam detinebant suos proselytos, negata eis paritate cum israelitica stirpe (2); cumque eos pares omnino iudaeis in

(1) Exinde non sequi diversitatem conceptionis de Evangelio in Paulo et Duodecim suo loco explicabitur.

(2) Cfr. Weber, *Jüdische Theologie*[2] pp. 74, 75. Quamquam doctrinae quae in hoc libro tamquam " Synagogae „ proponuntur, pertinent ad aetatem apostolica satis recentiorem; nihilominus in multis antiquiorem traditionem produnt.

Evangelio et benedictionum messianicarum participatione proclamaret (Gal. 3, 27-29; Eph. 2, 19-22); iudaei eum veluti infensissimum iudaicarum praerogativarum adversarium declararunt, atque exinde tumultus ubique per Diasporam a iudaeis contra Paulum concitati (Act. 13, 45. 50; 14, 5. 19; 17, 5. 13; 18, 6. 12; 20, 19). Quamdiu vero de solis ethnicis agebatur, non poterant magnopere invalescere contra Paulum iudaei, romanis magistratibus cohibiti, ut Corinthi apud Gallionem accidisse vidimus (Act. 18, 12-16). Atque haec controversiae conditio explicat quomodo per satis diuturnum tempus potuit Apostolus sine periculo Hierosolyma saepius visitare post primum ac secundum iter (Act. 15, 1-29; 18, 22).

Hinc iudaei his non contenti ac veris falsa admiscentes, calumniosam contra Paulum accusationem addiderunt, asserentes eum non ethnicos tantum, sed iudaeos ipsos a mosaismo per Diasporam avocare. Haec nova accusatio duplici ex capite multo aptius ad optatam metam perducebat: primo, quia iudaeis Pauli adversariis multorum iudaeo-christianorum animos conciliabat, qui, etsi mente non iudaica, tamen ob pietatem (utique perperam intellectam) in Moysen et in patria instituta, atque ob animi aversionem in romanos, mosaicarum observantiarum iusto studiosiores erant (Act. 21, 20); deinde, quia, etsi etiam cum res inter iudaeos et iudaeo-christianos agebatur, facile non erat christianos vexare, siquidem romani, externis tantum observantiis attendentes, doctrinales differentias parvipendebant aut non intelligebant; res omnino aliter se habebat quamprimum de avocandis a mosaismo iudaeis in ipsis ritibus externis agebatur: tunc enim, iudaeus qui id attentaret, veluti religionis et patriae proditor censebatur, et deferri ad magistratus iuxta iudaeorum privilegia (1) poterat etiam in Diaspora, nedum ad Synedrium in patria.

Quamvis autem ultima accusatio contra Paulum mota calumniosa esset ut ex tota Apostoli historia constat, iudaei sperabant se haud difficulter causam evicturos si Paulus ad Synedrii tribunal posset deferri, id quod, etsi facto non facile, haud tamen impossibile erat, occasione festorum quibus Paulus Hierosolymam accedebat. Dum opportunitatem id efficiendi quaererent, casu

(1) Praecipue vigebat illa aetate privilegium a Claudio recens confirmatum et amplificatum de profitenda libere religione iudaica, cui accedebat vera autonomia religiosa etiam in Diaspora (Cfr. Ios. Fl., *Antiq.* 19, 5).

accidit ut iudaei quidam ex Asia viderent per urbem Paulum cum Trophimo gentili; cumque ex quibusdam indiciis iudicassent hunc a Paulo introductum in templum fuisse, id quod ut gravissimum scelus habebatur graviterque etiam in ipsis romanis puniebatur, impetu in eum facto, optatam iam pridem eius capturam consummare valuerunt (1). Exinde apparet litem quae postea subsecuta est inter iudaeos et romanos Paulum receptantes, non tam de Synedrii competentia quam de accusationis veritate ac subsistentia fuisse. Competentiam Synedrii quam iudaei constanter supponunt, Praeses aut Paulus numquam negant (Act. 25, 9-11); sed Paulus constanter negat accusationis subsistentiam; quod si etiam iudices declinat, id non ob incompetentiam, sed ob hostiles dispositiones erga se facit (Act. 24, 10-13). Caesariana ergo tribunalia apud quae Pauli causa agitur, legitima sunt ratione tutelae quam erga Paulum exercent quae in hoc stat ut Synedrii iuridicam actionem in foro religioso non auferant, sed in suo exercitio temperent.

7. Pauli 4um iter apostolicum, iter romanum: altera processus pars, ac novissima Apostoli fata

Romanum iter non tam apte inter Pauli apostolica itinera numerari videri posset: ex dicendis tamen patebit non ita esse: non enim via tantum fuit ad remotas Hispaniae plagas, sed ipsa quoque romana commoratio activa et fecundissima fuit. Paulus iam pridem ut ex Act. 19, 21 constat, et ipse propriis verbis confirmat (Rom. 1, 10-13; 15, 24), propositum conceperat Romam visitandi praesertim cum iam in Oriente vix ulla sibi regio evangelizanda relicta esset (Rom. 15, 23), eo potissimum consilio ut per fideles romanos aditum sibi in Hispaniam pararet. Qua autem via

(1) Gentiles admittebantur quidem ad atrium exterius quod hac de causa "gentilium atrium„ appellabatur; sed prohibebantur ingressu in septa interiora, appensis hac illac ad columnas per atrium titulis ubi crassis characteribus poena mortis transgressoribus intimabatur. (Cfr. Ios. Fl., *De bell. iud.* 6, 2). Tituli hi saxis insculpti erant prout cernere est in exemplo ad nostram aetatem usque conservato. (Cfr. Deissmann, *Paulus* 61. 62; *Licht vom Osten* 51 sq.). De applicatione harum poenarum ob talia scelera etiam romanis, illustre exemplum affert Ios. Fl. (Bell. iud. 6, 2) cum verba Titi affert declarantis romanos concessisse iudaeis ut transgressores praedictorum monitorum morte multarent etiamsi romani essent: et de facto ob similem casum Cumanus extremum supplicium de milite romano sumpsit (Ios. Fl., *Bell. iud.* 2, 12).

Paulus iter romanum conficiendum meditaretur ignoramus : quidquid vero ille cogitaret, divina Providentia quae ei propositum inspiraverat, certissimam eius executionem, praeter omnium ipsiusque Apostoli opinionem ordinavit, mediante processu contra eum a iudaeis intentato. Navigatio diuturna fuit et molesta ; nam etsi, iuxta morem, ineunte autumno suscepta esset (1), nimium tamen per oras Phoenicis, Cypri ac Lyciae antequam in mare apertum perveniretur, protracta est, ita ut " ieiunium „ i. e. medius October (2) cum a Creta movere vellent, transiisset, sicque maris traiectio, etsi non desperata, qualis a medio Novembri censebatur, parum tuta reputaretur ut de facto evenit. Licuit nihilominus Paulo conceptum pridem propositum explere anno 61. Romam tamen appulsus, non potuit pro suo more, cum captivus detineretur, in Synagogam adire ut ibi iudaeis et paganis Evangelium offerret ; at convocavit ad se praecipuos ex iudaeis. Exposita sui adventus causa, non omisit iam in primo illo conventu Iesum eis nuntiare etsi ampliore ad alium reservato sermone (Act. 28, 17-22). Statuto die, plurimi convenerunt iudaei Paulum audituri ; quorum quidam docili animo verba exceperunt, dum maior pars ea repudiavit (Act. 28, 24). Apostolus detentus fuit Romae in vinculis per biennium : quid autem eo expleto evenerit, Lucas reticet imposito fine Actuum narrationi. Lucas id solum dicit : ab eius in urbem adventu Paulum, toto biennio, licet certo habitaculo adstrictum et sub custode milite, visitantes suscepisse et Evangelium vicissim praedicasse sine impedimento (ἀκωλύτως) cum plena libertate (μετὰ πάσης παρρησίας). Quid finito biennio accidit ? Holtzmann scribit : finito biennio rerum conditio commutata est, libertas cessavit abs dubio Pauli supplicio, quod Lucas reticuit ne rectores romanos hactenus Paulo benevolos, contraria crudelitatis macula aspersos exhiberet (3). Alii contra, ex Lucae de-

(1) Navigatio per mare apertum ex Oriente in Italiam bis in anno, vere scilicet et ineunte autumno fiebat propter ventorum regimen quod periculosam aliis temporibus traiectionem reddebat. (Cfr. Act. 27, 7. 9. 14). Itineris narratio (27, 1-28, 16) utpote in 1ª pers. plurali constanter decurrens, testem immediatum prodit, eum scilicet qui reliqua fragmenta eiusdem formae et totum librum conscripsit, Lucam. Est autem iudicio D. Breusing, bremensis scholae nauticae moderatoris (ann. 1886) " omnium quae de re nautica ex antiquitate ad nos pervenerunt, descriptionum praestantissima „. (Cfr. Zahn, *Einl.*³ 2, 428).

(2) " Ieiunium „ antonomastice a iudaeis appellabatur ieiunium festi expiationis (Lev. 16, 29 ; 23, 27).

(3) Handcomm., *Apostelg.* p. 157.

scriptione concludunt, non quidem directe, sed indirecte, explosa nimirum praecipua contra testimonium antiquitatis ratione, Pauli processum prospere cessisse ac nullo modo eius morte terminatum. Si finito biennio, aut occisus fuisset Paulus, aut in peius eius causa deflexisset, Lucas qui per tota octo capita lectorem Pauli processus exspectatione detinet, nequaquam librum nulla talis mutationis significatione clausisset. Cum ergo aliunde ex praecedentibus nullo modo exspectari fatalis exitus possit ob informationes nimirum sive Felicis aut Festi, sive per Agrippam aut centurionem Iulium, quae sine dubio favebant Apostolo, omnia omnino eo conspirant ut historicum testimonium confirmatum perspiciamus. Et certe id quod Holtzmann ex Lucae verbis concludit, nullatenus ex eis elicitur (1).

Non contabuit otio Paulus durante captivitate romana. Non solum enim Romae, quantum ei per captivitatem licebat, ministerium exercuit, sed coetuum quoque per Orientem a se constitutorum curam sedulo scriptis continuavit. Ministerium quidem

(1) Quo loco substitit primo cum Romam pervenit Paulus? Mommsen et Harnack (*Sitzungsbericht der Kgl. Preuss. Akad. der Wissensch.* 1895, n. 27, 491 sq.) nixi lectione codd. H L M P Gig et Flor.: " et centurio tradidit custodias praefecto peregrinorum „ (cfr. Zahn, *Die Urausg. der Apostelg.* p. 124) atque " peregrinos „ interpretati " milites ex provinciis advenientes „, putant Paulum substitisse ad " Castra Praetoria „ in Coelio, ubi teste Plinio (Ep. 57) aderat praesidium quo se praedicti milites recipiebant, traditis Praefecto castrorum vinctis quos secum ex provinciis afferebant. Hinc procul dubio derivata traditio quae Pauli primam commorationem in urbe collocat prope S. Mariam in Navicella. At quamvis annis circiter 106 ex Plinii testimonio (epist. cit.) quo nituntur hi scriptores, vere exstarent illa castra sive praesidium in Coelio, non continuo sequitur exstitisse etiam iam ann. 61 cum Paulus Romam perveniebat. Sed alterum quoque fundamentum electione nimirum allegatorum codd. nutat, cum talis lectio incerta sit. Ceterum admodum probabile est exstitisse iam eo tempore simile receptaculum ad extremas urbis partes et quidem vicinas portae " Capenae „, quo se reciperent hi milites qui ex provinciis advenirent, itemque deposuisse ibidem in aptis conclavibus vinctos quos forte secum in urbem asportabant. Id ipsa lectio communis v. 16 suadet; sic enim se habet: " cum autem venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet (καθ' ἑαυτόν) cum custodiente se milite „. Verba haec habitaculum in domo privata cum custode milite concedunt Paulo veluti exceptionem a regula secundum quam traditus fuisset in communem custodiam sub quodam vinctorum praefecto. Quod si ita est, commorationem in qua Lucas nobis exhibet Apostolum 28, 26 sq. praecesserat alia ad extremas Urbis partes, in praesidio nimirum sub proprio loci praefecto. Ante adventum in Urbem fideles romani exierant obviam Apostolo quidam usque ad " Apii forum „ (oppidum ab urbe distans XLIII mill. pass.), quidam ad " Tres Tabernas „ (XXXIII) utrumque in via Appia quae ad Campaniam ducebat.

in urbe non potuit tam activum esse tamque fructuosum quantum fuisset si a vinculis solutus esset, sed nec plane nullum fuit, nec satis amplo fructu caruit. Lucas profecto huius ministerii historiam duplici versu absolvit; at praeterquamquod ipse Lucae laconismus satis innuit Apostoli operositatem et fructus (Act. 28, 30); ex epistolis captivitatis discimus eum illo tempore strenuam operam scripto navasse. In urbe ob Apostoli zelum et industriam Evangelium usque ad Caesarum aedes et in universum Praetorium penetravit (Philipp. 1, 13. 14), (1) ita ut in epilogo epistolae ad Philipp. Paulus huius Ecclesiae fidelibus salutem " ab his qui de Caesaris domo erant „ mittere posset. Ex romanis nimirum fidelibus qui iampridem Apostolum fama noverant (Rom. 16, 3-16), frequentes accedebant ad eum salutandum, et fervore Pauli incensi, atque eius nomine ac fama, quae per Iulium centurionem et alios ad nobiliora quoque in urbe strata pervenerat, excitati, audacter ubique Christi nomen propagabant (Philipp. 1, 14). Operosius vero fuit et ampliores fructus collegit eius ministerium per scripta. Hoc tempore epistolas exaravit, praeter philippensium, ad Eph. Col. Hebr. et Philem. in quibus copiose divinae suae doctrinae thesauros et monita profundit. Epistolae ad Eph. et ad Col. altissima Christologiae capita pertractant, quae in paulina conceptione insignem admodum locum tenent (2), atque novam post conflictus cum iudaeis ac iudaizantibus periodum signant, in qua profanae iudaici hellenismi gnosi gnosin christianam opposuit. In epistola autem ad Hebr. figuratam et transitoriam indolem mosaismi ritualis profundissime exponit, completa sic per extensionem ad ritus, doctrina quam de lege mosaica in epistolis ad Gal. et Rom. tradiderat.

Ad cursum vero processus eiusque in hac secunda parte exitum quod attinet, omnia testimonia quae Pauli liberationem quoquomodo testantur, testantur etiam absolutionem. Revera ipse Apostolus 2 Tim. 4, 16 expresse distinguit inter " primam „ sui defensionem et alteram sub qua versatur dum scribit: defensiones autem hae non duplex " stadium „ in eadem causa, sed duplicem " causam „ produnt; secus enim improprie diceret se a

(1) Procul dubio per militem custodem qui statis temporibus mutabatur quippe et convertebatur ipse et alios ad fidem pertrahebat.

(2) Ut de divinitate ac praeexistentia Christi in Epist. ad Philipp.; de supremo eius primatu et creatrice potentia (Col. 1, 15. 16), de Christi Sacerdotio ac sacrificio (Hebr. 5-10) etc.

faucibus Leonis (Nero) ereptum. Et pars prima liberationem, non damnationem parabat ; pro Paulo informarunt procul dubio Felix Festus, Agrippa, Centurio. (Act. 23, 26) (1). De reliquo Apostoli vitae cursu etsi Actus sileant utpote ante liberationem conscripti, non silent reliqui fontes. In primis Pastorales Paulum a vinculis liberatum et, per Asiae et Graeciae theatrum toties iam antea tritum, denuo itinera conficientem nobis exhibent. Novam hanc scenam infert 1ª Tim. in sui initio (1, 3) ubi Paulus profectus in Macedoniam, relinquit Ephesi Timotheum ut durante sua absentia quosdam novatores coërceat. Iter hoc Pauli ex Asia in Macedoniam non est illud de quo Act. 19 et 1 ac 2 Cor. post triennalem ephesinam commorationem in 3ª expeditione apostolica. Nam in illo itinere Paulus in Macedoniam profecturus Timotheum praemittit ante se, non relinquit Ephesi (Act. 19, 22 ; 1 Cor. 16, 10). Ne autem dicatur Timotheum reversum fuisse iam ante Pauli discessum quia nimium protracta est ephesina commoratio ob Demetrii tumultum inopinato supervenientem (Act. 19, 23 ; 20, 1 ; 2 Cor. 1, 8-11), prohibet 2 Cor. 1, 1 ubi Timotheus in Macedonia cum Paulo sistitur. Si vero adhuc morosus aliquis reponat Timotheum relictum quidem Ephesi, Paulo moras per Macedoniam et Illyricum trahenti, adhuc adiunctum esse in illis regionibus, effugium excludunt verba 1 Tim. 2, 15 ubi Apostolus regressurus dicitur Ephesum ante Timothei egressum. Vel igitur rerum conditio 1 Tim. 1, 3 descripta conficta est a pseudapostolo Epistolae auctore, id quod dici non potest ; vel Paulus solutus a vinculis primae captivitatis reversus est denuo in Orientem et pristinum Asiae et Graeciae agrum adhuc semel, utique praeter propriam olim opinionem, (Act. 20, 25) excolere valuit.

At praeter canonicos fontes, alii quoque ex antiquitate ecclesiastica uberem nobis de Pauli vita ac ministerio notitiam post primam captivitatem romanam suppeditant. Apostolum supervixisse post biennium romanae captivitatis et novas expeditiones aggressum esse certum est ; nec de hac re dubitari prudenter potest,

(1) Cum Festus scripto informaturus Imperatorem esset, cumque ideo Paulum coram Agrippa adstare iussisset, planum fit eum, Agrippa innocentiam pronuntiante (Act. 25, 32), id per Centurionem Iulium romanis de Apostoli causa renuntiasse. Omnia, proin, quae ex causae centro Ierusalem et Caesarea, ad suprema tribunalia deferebantur, eius liberationem, non supplicium suadent. Verum est potuisse Synedristas aliis viis contraria apud Caesarem urgere ; sed verisimile non est contra Festum, Agrippam et ipsum Iulium Centurionem praevaluisse.

etsi, cum ad singularia descenditur, non omnia aequa fide admittere liceat. De itinere in Hispaniam his temporibus confecto ac de visitatis denuo Ecclesiis Orientis exstat testimoniorum series ab Isidoro hispalensi usque ad fragmentum muratorianum, imo usque ad Clementem Romanum, decurrens per Hieronymum, Chrysostomum, Athanasium, Eusebium, Origenem, Dionysium corinthium, Iustinum Martyrem, i. e. historica traditio quae in ipso Pauli familiarium coetu exordium habet. Quod von Soden (1) late conatur ostendere "ex clausula Actuum, nedum superviventiam Apostoli post romanam captivitatem, sed potius eius necem veluti processus exitum demonstrari „, merito veluti fere paradoxum a nobilioribus criticis etiam protestantibus exploditur. Et Harnack inter alios expressis verbis ait itineri hispanico Pauli nihil solidum opponi posse ex rationibus chronologicis (2). Nexum inter utramque paulinae vitae partem, ante et post liberationem a romana captivitate suppeditant Philipp. 1, 25. 26 ; Philem. 22 et Hebr. 13, 23. Hae litterae cum in captivitate non caesaraeensi sed romana scriptae sint, eo ipso quod de proximo Pauli ad illas ecclesias reditu loquuntur, imo de parando sibi iam nunc hospitio, perspicue produnt spem firmam de proxima liberatione : dilatio haud aegre explicatur partim ex numero appellationum a toto imperio, quae ordine expediendae erant ; partim ex eo quod per iudices romanos nonnulla forsan postulata sunt vel a Festo vel a iudaeis illustrationis gratia quae facile rei expeditionem retardabant. Certe Lucas in omnibus quae per totum causae discursum suggerit de eius statu, felicem eius exitum omnino praeparat.

De ordine fortasse quo sese exceperunt iter hispanicum et visitatio ecclesiarum in Oriente maior difficultas est : locutiones citatae ex epistolis haud commode explicari posse videntur si ante reditum in Orientem, hispanicum iter confectum fuit. At ex alia parte etiam vix probabile apparet quomodo postquam tanto ardore iter hispanicum a diuturno tempore decreverat atque adventum in urbem ad hunc ipsum itineris scopum ordinaverat, brevissimo iam spatio a meta seiunctus, iterum in Orientem, meta derelicta, reverteretur. Potius expressiones ad amicos explicari

(1) Comment. *in Pastoral.* Introd. p. 163, 176.

(2) *Chronol. der altchrist. Liter.* 1, 239 J. Weiss, *Urchrist.* 292-300 late de hoc argumento disserit, sed quamvis non audet Pauli superviventiam negare, conatur nihilominus extenuare valorem historicum huius testimonii.

debent veluti familiares assentatiunculae, quae amicorum animos forsan deiectos recrearent proposito reditu veluti iamiam complendo, quamvis de facto nonnisi confecto primum itinere hispanico, i. e. nonnihil serius quam verba sonarent, foret exequendus (1).

Nec verba Act. 20, 25 quae " aut non scribi aut deleri debuerint a Luca si Paulus revera in Orientem rediit „, rem conficiunt, quasi persuasionem Lucae significarent de novissimo per illas regiones Pauli transitu. Quae enim ibi de proxima Apostoli morte proferuntur, omnia hierosolymam crisin respiciunt ; iamvero Lucas et interposita Dei promissione (Act. 23, 11) Paulum ab illa crisi eripiendum pronuntiat, et serie historica narrationis vanos fuisse illos timores docet. Ad Paulum ipsum quod attinet, certe Apostolus Act. 20, 22-25 ostendit valide se proximae mortis opinione percelli ; haec tamen ex humanis coniecturis ob denuntiata Hierosolymis pericula, non ex divino ullo instinctu promanasse perspicue ex ipsis Pauli verbis apparet : ex divina revelatione id tantum sibi certo constabat : " vincula et tribulationes Hierosolymis se manere „.

Quamquam res sit notissima, omittere non possumus analysin duplicis testimonii quod immediate nos ducit ad illa sensa quae de Pauli fortuna post captivitatem romanam a Luca in Actibus narratam passim ferebantur inter fideles romanos qui aut de visu aut de auditu a testibus idoneis Apostoli novissima gesta noverant. Testimonia sunt : fragmentum muratorianum et Epistola Clementis Romani ad Corinthios. Fragmentista lineis 34-39 haec scribit : « Acta autem omnium apostolorum sub uno libro scripta, Lucas optimo Theophilo comprehendit, quae sub praesentia eius singula gerebantur, sicut et semota passione Petri evidenter declarat, sed et profectione Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis ». Quaecumque sit nonnullorum minutorum ambiguitas, haec duo perspicue ex verbis fragmentistae apparent, alterum directe, alterum indirecte. « Directe » : Lucam intendisse scribere in Actibus Pauli gesta sub eius conspectu consummata, non alia (2) ; ut apparet

(1) Alii epistolas " captivitatis „ (eph. col. philipp. Philem.) non omnes in romana captivitate, sed nonnullas in caesareensi conscriptas statuunt. (Cfr. B. Weiss, *Einl.*[3] 236 seqq.).

(2) Forsan aliquem scrupulus tangat quod multa non sub Lucae oculis gerebantur etiam quae in secunda Actuum parte describuntur. Verum fragmentista non de materiali Lucae autopsia sed de morali loquitur ; quo sensu revera tota Actorum secunda pars Luca teste gerebatur. Iter vero Pauli hispanicum et Petri supplicium neque hoc sensu perspexit Lucas. Hanc fuisse antiquitatis sententiam de fragmentistae sensu docet Hieronymus, *Vir. ill.* 7 sic de Luca pronuntians :

ex omissione tum martyrii Petri tum itineris Pauli in Hispaniam. Hinc « indirecte » sequitur, secundum fragmentistam causam omissionis hispanici itineris non fuisse quod Lucas illud ignoraret, sed quod eius testis non fuit. Fragmentistae igitur persuasum erat de itineris veritate historica. Si enim putat se teneri ad vindicandum Lucam ab hac omissione et quidem allato illo argumento : quod itineris memoria contra propositum eius fuisset in conscribendo libro Actuum, ratio alia esse non potuit nisi quia aliunde factum putabat indubium. Medio igitur saec. II Romae, i. e. in urbe ubi Paulus novissimos suae vitae dies transegerat et ubi martyrium obierat, regnabat passim apud fideles certa persuasio de hispanico Pauli itinere, atque eo tempore quo recens ac certissima erat gestorum Apostoli memoria, utpote cum haud pauci adhuc eo tempore in vivis agerent qui cum immediatis Pauli discipulis conversati erant.

Clemens autem cap. 5 Epistolae sic ait : « Paulus postquam universum orbem de iustitia erudierat, et postquam ad extremum Occidentis venerat (ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθών...), sic (οὕτως) ad locum sanctum perrexit ». Immediate ante verba allegata, Clemens scripserat Paulum fuisse « verbi evangelici praeconem in Oriente et Occidente : si Clemens post haec verba nihil addidisset, praedicatio in Occidente Paulo a Clemente tributa, explicari optime posset de suo apostolatu Romae et in Italia, dubiumque remaneret num ulterius progressus esset ; sed cum Clemens in uno eodemque brevissimo contextu, post dicta verba addat pervenisse ad extremum Occidentem, verba haec in ore et sub calamo romani scriptoris non possunt esse mere explanativa praecedentium per locutionem synonymam : « extremus occidens » pro romanis non erat nec poterat esse Italia, sed terra inter Italiam et mare Atlanticum, ac maxime vel melius unice, Hispania.

8. Pauli sub Nerone martyrium ob fidem

Indubium pariter est et ex cordatioribus criticis nemo infitiatur Paulum tandem delatum secundo ad romana tribunalia fuisse ob fidei causam, et capite truncatum mortem oppetiisse, supplicii videlicet genere civibus romanis applicari solito (1). Nec de vera eius necis causa, religionis scilicet, et ob testimonium

---

" Evangelium sicut audierat scripsit : Acta vero Apostolorum sicut viderat ipse composuit „ : Hieronymus non ignorabat Lucam non omnium quae in 2ª Actuum parte narrantur testem immediatum fuisse.

(1) " Man bei der genügend verbürgten Nachricht stehen bleiben muss, Paulus sei unter Nero enthaupten worden „ (Spitta, *Die zweimal. röm. Gefang. des Paulus* (Zur Geschichte und Liter. des Urchrist. 1, 107).

fidei, ambigere licet. Testimonium Clementis Romani, quem tota dein antiquitas christiana (1), tam quoad locum quam quoad causam mortis secuta est, nullum perplexitati locum relinquit. In sua ad Corinthios Epistola (2), postquam dixerat in genere " propter zelum et invidiam passos fuisse atque usque ad mortem certasse viros iustissimos „, allaturus huius assertionis exempla, subdit " Petrum, qui propter zelum iniquum, non unum aut alterum, sed plures labores sustulit, atque ita testimonio perhibito, in debitum gloriae locum discessisse „. Cum iuxta generalem sententiam superius enuntiatam, de exemplis agatur sanctorum virorum qui " persecutionem passi sunt et usque ad mortem certaverunt „, testimonium Petri quod in exemplum affertur, est testimonium fidei per mortem ; ac revera hoc testimonio " transit Petrus, iuxta Clementem, ad locum gloriae illi debitum „. Allato autem Petri exemplo, pergit Clemens : " propter zelum et contentionem (3) Paulus patientiae praemium exhibuit... Postquam coram praefectis testimonium perhibuit (μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων), sic e mundo migravit „. Pauli testimonium et constantia additur exemplo Petri veluti in eodem genere. Locum mortis Pauli a Clemente insinuatum non alium esse quam Romam, contextus verborum docet ; nam de his agit Clemens qui " apud nos „ i. e. romanos, fortitudinis exempla dederunt quique " bonos apostolos „ " apostolos nostros „ qui nimirum Romae praedicarunt, secuti sunt. Spitta nihilominus putat " praefectos „ coram quibus Paulus testimonium reddidisse a Clemente dicitur, non esse urbis magistratus, sed in genere illos apud quos Apostolus saepius durante suo ministerio se sisti compulsus est. At qui semel concedit Paulum " in secunda captivitate romana „, " sub Nerone „ ac " Romae „ proin passum fuisse, non potest ambigere quin Clemens Urbis praefectos cogitet. Nam certe Paulus sub Nerone, et nonnisi propter religionem christianam, ac praeeunte processu, capite plexus est ; nec in contextu Clementis testimonium coram praefectis aliter aut de alio testimonio intelligi potest quam de illo quod immediata

(1) Ipse Spitta (ibid. p. 96) negat contra Hilgenfeld exstitisse ullam in primis saeculis traditionem illi contrariam quae testimonio Clementis inchoatur.

(2) Num. 5. Cfr. Funk, *PP. apostol.* I, 106.

(3) " Zelus et contentio „ de quibus loquitur Clemens invidia videtur fuisse iudaeorum contra apostolos ob Evangelii progressus quod tot iudaismo proselytos abripiebat quot sibi comparabat.

via fuit ad coeli requiem. Si igitur *Romae* obiit et testimonium *immediata* martyrii via fuit, testimonium Romae prolatum est (1).

De anno martyrii Pauli est hodie multiplex sententia. Inter catholicos usque ad nostra fere tempora communis erat opinio quam Gelasius Papa in Decreto " de libris recip. et non recip. „, veluti unice in Ecclesia admissam proponit: quod Paulus " non diverso sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans (pugnans) coronatus est „ (2); quae sententiam Clementis, fere per singula adiuncta renovat. Annum eadem traditio designabat 67. Hanc hodie adhuc retinet Cornely, Hagen, Belser, alii. Protestantes generatim diversos annos assignant, maturius i. e. satis ante ann. 67 utriusque apostoli martyrium statuunt, praeponuntque mortem Petri morti Pauli. Communiter martyrium Petri collocant anno 64; illud Pauli 65 (3). Harnack tamen non habet difficultatem in copulando utriusque apostoli martyrio, etsi annum 67 non admittat, sed inclinet potius in 64 (4). Prima specie descriptio Clementis in Epistola ad Corinthios capp. 5 et 6 videtur huic opinioni favere, cum persecutio Neronis saevierit annis 64-67 et martyrium apostolorum ante martyrium " multitudinis „ de qua cap. 6, videatur collocari. At verbum συνηθροίσθη = " consociata est „ potest ita intelligi ut adiunctio ad apostolos dicatur ratione dignitatis, non temporis.

Cum ad nostrum scopum non magnopere faciat annus martyrii Pauli, rem interim in medio relinquimus. Notamus tamen fatente Harnack, opinionem de anno 67 pro morte utriusque apostoli niti auctoritate non Hieronymi solum sed Eusebii et Iulii Africani, ac proin ascendere saltem ad saec. II et inter primae

(1) Subtilitates Weizsäckeri contra Clementis testimonium nullius roboris sunt et sola lectione refelluntur. Vult Weizsäckerus nimirum colligare descriptionem Clementis cum Pauli processu per iudaeos (*Apostol. Zeitalt.* 456-468). Cum Clemens et de persecutione Neronis, et de persecutione directe contra christianos ob religionem manifeste loquatur, id quod ante ann. 64 non contigit, Neronis persecutio cum biennio 61-63 paulinae captivitatis copulari non potest; sed interponendus hiatus inter finem illius biennii et novam seriem eventuum.

(2) Traditio hoc Gelasii Decreto transmissa non exigui ponderis est; nec enim in centro ipso Ecclesiae atque ab eius Capite, Apostolorum successore, tanta asseveratione veluti universalis persuasio proponi poterat sententia quae solido fundamento careret.

(3) Zahn, *Einl.* 2, 655. 656.

(4) *Chronol.* 1, 240-243.

notae chronologos (1). Nec obiectiones Harnack sunt magni momenti: nituntur potissimum incertis, imo arbitrariis coniecturis de fundamento quo veteres ducti sunt in adornanda chronologia Petri et romanorum Pontificum.

IV. — Pauli chronologia

1. Vita et ministerium Apostoli per ordinem chronologicum digesta

Accurata vitae Pauli chronologia necessaria est non solum ad facta ipsa vitae Apostoli singula proprio loco assignanda, sed ad alia plura speculationem spectantia v. gr. paulinae conceptionis evolutionem, persuasionem de proximitate Parusiae, christologiam etc. quae capita ex vera et recta Apostoli chronologia miro modo illustrantur. Aliunde chronologiam vitae Pauli digerere saltem quoad praecipua lineamenta, arduum non est; cum in Actibus et Epistolis possideamus abunde subsidia apta ad scopum. Ante omnia notandum est Lucam in Actibus narrationem suam post 7, 58 constanter digerere habita prae oculis a 15, 36 " exclusive „, a 13, 1 " fere exclusive „, a 7, 58 certo " praecipue „, Pauli vita. Aliunde indubium quoque est Lucam in Actibus, multo certius quam in Evangelio, strictum ordinem chronologicum tenere. Id perspicue apparet si narrationis analysin instituamus ordine inverso, i. e. inchoato examine ab ultimis libri partibus. A cap. 21, 15 usque ad libri finem talis ordo evidens est: nec minus perspicue apparet a 15, 36 ad 21, 4; itemque a 13, 1 ad 15, 35. Non solum enim singularum harum sectionum initia chronologice excipiunt finem immediate praecedentis, sed eventus quoque in singulis sectionibus narrati evidenter successivi sunt. Quae autem narrantur cap. 12 antiquiora chronologice esse sectione quae 13, 1 inchoatur, saltem ita ut, etsi huius sectionis initia possint synchrona esse cum quibusdam eorum quae cap. 12 narrantur, corpus tamen sectionis utriusque certo successivum sit, ex eo perspicuum red-

(1) Iulius Africanus, etsi coaevus Origenis, certe illo haud parum senior erat, cum iam anno 195 sub A. Severo militasset (Bardenh., *Gesch. der altchrist. Liter.* ² II, 263. Certe in sua Chronographia non adoptabat computus vel traditiones se iam maturo exortas, sed quas receptas repererat cum publicam vitam iniret nondum aut vix inchoato saec. III.

ditur quod reditus ex collecta qui certissime praecessit gesta 13, 1-14, 28, proponatur cap. 12 veluti unus ex eventibus ad triennium a 41 ad 44 pertinentibus. Quae vero 11, 19-28 describit Lucas, certo antiquiora sunt itinere hierosolymitano ad collectam ; nec minus, vicissim, 9, 32–11, 18 iis quae 11, 19 inchoantur. Pari ratione ostenditur 6, 1–9, 31 anteire iis quae 9, 32–11, 18 traduntur ; nam 6, 1–9, 31 complectuntur triennium a conversione Pauli usque ad eius regressum Hierosolyma post ministerium damascenum (cf. Act. 9, 26. 27 coll. cum Gal. 1, 18), et aliunde 9, 32–11, 18 quae evidenter serie continua et brevi tempore complentur, non inchoantur nisi post regressum Pauli in urbem sanctam (Act. 9, 27 ; Gal. 1, 18. 19). Demum similiter 1, 1–5, 42 antiquiora sunt ut ex simplici textus lectione constat, 6, 1–9, 31. Hoc autem posito, cum ex Gal. 2, 1 et 1, 18 possimus ope parallelismi ceteroquin evidentis inter Act. 15, 1-31 et Gal. 2, 1-10 quosdam eventus vitae Pauli, ut controversiam de mosaismo et conventum hierosolymitanum, cum tempore conversionis certo connectere, habemus eo ipso seriem vitae Apostoli tam quae praecedit quam quae subsequitur illos eventus, narratam in Actibus ordine indubie chronologico.

Parallelismus inter Gal. 1-10 et Act. 15, 1-29 manifestus est : 1) utrobique ascendit Paulus Hierosolymam cum Barnaba (Gal. 2, 1 ; Act. 15, 2); utrobique locus unde ascendunt est Antiochia (Gal. 1, 22-2, 1 ; Act. 14, 26-15, 1. 2) ; causa ascensus eadem est : lis de mosaismo ob iudaizantium conamina (Gal. 2, 4 ; Act. 15, 2, 5) ; perturbatores Hierosolymis sive ex Iudaea descendunt (Gal. 2, 4 ; subintroductos, subintroierunt, παρεισάκτους, παρεισῆλθον : « subintrat » qui aliunde clam et subreptitie venit, plane ut de novatoribus Act. 15, 1. 5. 24 dicitur). A Paulo Evangelium proponitur considerandum Apostolis (Gal. 2, 2 ; Act. 15, 2. 6) ; speciali modo quidam ex praecipuis Apostolis nominatim Petrus, in expedienda controversia interveniunt (Gal. 2, 2. 6-9 ; Act. 15, 7-11. 13-20) ; Pauli Evangelium ab iisdem approbatur (Gal. 2, 3-5. 6. 7-9 ; Act. 15, 7-11 ; 13. 20. 23-29) idque ob portenta per Deum in missionis confirmationem patrata (Gal. 2, 7. 9 ; Act. 15, 12. 26), id quod de historia Pauli iter transmarinum praecedente dicere neuter apte poterat, cum ante hoc tempus nullum ab eo aut pro eo patratum legatur miraculum in Actibus vel Epistolis. 3) Quod Gal. 2, 1 Paulus ait « ascendisse secum Titum » de quo nihil in Act. ; et ascendisse « ex revelatione » ; 2, 2 contulisse Evangelium « seorsim » (κατ'ἰδίαν) cum Petro Iacobo et Ioanne, dum in Actibus nihil dicitur de revelatione nec de privatis colloquiis, sed omnia publice geruntur, haec paralle-

lismo minime officiunt. Titus a Luca non nominatur quia non ascendit ut deputatus, sed ut « adiunctus » (1) : revelatio (per Antiochiae prophetas) potuit omitti a Luca, sed minime negatur : colloquia item privata a Luca non numerantur expresse, quia eius propositum ibi erat historiam tradere externam et publicam Concilii : quod si in hoc approbabatur Evangelium Pauli, evidens est etiam in privatis colloquiis approbandum fuisse. Ceterum Paulus eo ipso quod sensu copulativo de duplici collationum genere cum ducibus hierosolymitanis loquitur : « contuli cum illis Evangelium, seorsim vero cum his qui videbantur aliquid esse » (Gal. 2, 2), perspicue insinuat ultra colloquia privata, publicas collationes, in Concilio nimirum, celebratas esse si κατ'ἰδίαν significat « privatim » ; si vero « nominatim », colloquia Pauli cum « columnis » publica sunt et non distinguuntur a Concilii sessionibus : tales collationes habebantur seorsim quidem inter Paulum et tres apostolos, sed durante cursu sessionum. Hinc, cum iter ad Concilium ex Gal. 2, 1 collocandum sit anno 14 vel a Pauli conversione vel, quod probabilius est, a reditu Hierosolymam post damascenam commorationem (Gal. 1, 18) vita publica Pauli, ut describitur a Luca in Actibus, ita distribuitur ut Act. 7, 58-14, 28 chronologice pertineant ad (14 vel multo probabilius) 17 primos eius annos ab anno conversionis (2) atque ante conventum ; 15, 1-28, 31 collocanda sint post 17 annum ab eadem et post conventum hierosolymitanum.

Novimus ex dictis quo pacto vita Pauli distribuenda sit per ordinem ad suam conversionem itemque per ordinem ad Concilium apostolicum : novimus pariter durationem paulini ministerii a conversione usque ad Concilium apostolicum : at ignoramus adhuc tria quae prorsus scitu necessaria sunt ad gestorum vitae Pauli seriem cum generali chronologia ac mundi historia ita connectendam ut appareat quisnam sit locus apostolatui Pauli assi-

(1) Quod dici solet Titum contineri inter " quosdam alios „, non recte dicitur; nam hi sunt ex adversariis Pauli : Titus " assumitur „ a Paulo, ut proprius adiutor scilicet vel socius, non designatur ut deputatus ex neutra parte.

(2) Annos 14 de quibus Gal 2, 1 numerandos esse non a conversione, sed a regressu Hierosolymam, a conversione vero usque ad conventum hierosolymitanum fluxisse annos 17, manifestum satis fit ex Act. 11, 28. Tempore praedictionis Agabi, i. e. cum Paulus iam annum Antiochiae peregerat, sumus sub Caligula, nam imperium Claudii est adhuc futurum. Cum ergo Claudius thronum ascenderit ianuar. 41, praedictio fiebat anno ad summum 40, probabilius 39. Igitur adventus Pauli Antiochiam collocandus est anno 38 ac proin conversio quadriennio circiter antiquior, anno 34. Cum vero Concilium ex Act. 18, 2. 12 ponendum, ut videbimus, sit anno 51 vel 50, conversio evenit non 14 sed 17 annis ante ipsum.

gnandus in historiae universalis complexu: ignoramus nempe annum conventus apostolici, durationem ministerii Pauli usque ad finem biennii primae captivitatis, et durationem totalem eiusdem. Haec autem tria difficilia non sunt ope nonnullorum synchronismorum singularium qui in historia Actuum identidem recurrunt, quique suppeditant totidem fulcra in generali chronologia quae initia ac terminos signant minorum periodorum quae vitae Pauli complexum successive distribuunt. Hi singulares synchronismi sunt: occursus Pauli cum Aquila et Priscilla (Act. 18, 2); destitutio Felicis (Act. 24, 27); regnum Agrippae (12, 1-25) et praedictio Agabi (11, 27) cum initiis historiae (1, 1-2, 1).

I. Occursus Pauli cum Aquila et Priscilla (Act. 18, 2) vix post annum 51 collocari potest ob synchronismum cum proconsulatu Gallionis et edicto Claudii contra iudaeos. Iuxta inscriptionem delphicam (1) proconsulatus Gallionis in Achaja inchoabatur anno 52;

(1) Inscriptio delphica de qua agitur, litteras continet Claudii ad Delphorum urbem. Documentum 12 ductibus constat quorum in 2° memoratur acclamatio 26ª Claudii itemque anni tribunitiae eius potestatis, quorum tamen numerus corruptus est sicque de tribunatus annis non constat. In 6° ductu occurrit nomen Gallionis tamquam Provinciae eo tempore Proconsulis. Cum proconsulatus ordinarie annuus esset, si numerus annorum tribunitiae potestatis Claudii conservatus esset in inscriptione, difficultas soluta erat: tribunitia potestas concedebatur imperatoribus postridie proclamationis et sic anni tribunatus iidem erant qui anni imperii; semel igitur noto anno imperii Claudii, nosceretur annus aerae vulgaris proconsulatus Gallionis, cum Claudius thronum conscenderit 25 ianuarii anni 41. De acclamationis anno idem dici non potest, cum acclamationes non recurrerent ad certas periodos: erant enim acclamationes obsequia occasionalia in quibus populus rustico suffragio confirmabat Principi titulum praesertim "Imperatoris„ At quod ex inscriptione ipsa nequit, potest ex aliis monumentis definiri. Secundum inscriptionem arcus in aquaeductu Aquae Claudiae in urbe, aquaeductus dedicabatur anno 12 tribunatus Claudii, currente eius acclamatione 27. Cum ex Frontino (de aquis 1, 13) constet dedicationem aquaeductus factam fuisse 1ª Augusti, atque ex inscriptione arcus sciamus decurrisse tunc annum 12 tribunitiae potestatis Claudii i. e. annum 52 aerae vulgaris, acclamatio 26 de qua inscriptio delphica, et qua currente decurrebat simul annus proconsulatus Gallionis, collocanda erit ante 1am Augusti anni 52. Habemus terminum *ad quem* i. e. terminum ultra quem non potest inchoari annus proconsulatus Gallionis. Restat determinandus terminus *a quo:* hic autem determinabitur quamprimum definiatur duratio periodi 26ae acclamationis: quando haec periodus inchoata fuit? Constat acclamationes 22-25, contigisse omnes intra annum 11 tribunatus vel imperii Claudii, prout demonstrant Gaheis (Paul Wisowa, *Real. Encycl. der Klass Altert.* 3, 2812) i. e. inter 25 ian. 51 et 25 ian. 52. Igitur acclamatio 26 contigit vel sub finem eiusdem anni, vel, cum omnino improbabile sit quinque acclamationes intra eumdem annum iteratas fuisse, acclamatio 26ª et

cum vero iuxta Lucae narrationem Act. 18, 1-18 Paulus haud multo tempore post suum adventum in urbem corinthiam ad Gallionis tribunal delatus sit (nam finita hac causa adhuc remanet Corinthi " dies multos „ ἡμέρας ἱκανάς Act. 18, 18 et totalis mansio fuit 18 mensium Act. 18, 11), eius adventus collocandus erit aut eodem anno 52 aut praecedenti 51. Cum hoc tempore mire concordat illud de Aquilae adventu Corinthum. Teste Orosio (1) edictum Claudii contra iudaeos cuius etiam meminit Suetonius (Hist. Claud. 25) anno nono eius imperii i. e. anno 50 vel 49 latum est. Aquila igitur qui iam ante Paulum advenerat Corinthum (Act. 18, 2) eodem circiter anno 51 in eam urbem adveniebat. Cum vero Paulus secundum iter brevi post conventum hierosolymitanum aggressus sit, atque viam interpositam inter Antiochiam et Corinthum celerrime, ut vidimus, confecerit, inter Concilium et Pauli adventum in Achaiam vix annus interiiciendus erit; unde Concilium collocandum erit anno 51 vel 50.

II. Felicis depositio solet anno 60 collocari (2). Difficultas

---

proconsulatus Gallionis respondent anno 12 Claudii, certe ante Augustum, cum 1° Augusti inchoata iam esset 27ª. (Cfr. Deissmann, *Paulus* p. 159-167). Ordo tamen eventuum a Deissmann propositus tantisper mutandus est. Annus cum 1/2 signat totalem commorationem Apostoli in urbe corinthia, non tempus ante Gallionis adventum.

(1) Licet Orosius (Hist. 7, 6; M. 31, 1075) memoria labitur in citando Iosepho Flavio pro confirmatione suae assertionis de tempore edicti, cum apud Iosephum nihil tale reperire sit, admittitur tamen passim testimonium Orosii; quia ceteroquin synchronismus concordat cum historiae complexu et Orosius ordinarie diligens deprehenditur.

(2) Negari nequit adesse hac in re haud levem difficultatem; atque opiniones chronologorum satis diversas esse. Consuli possunt pro anno 60: Cornely-Hagen, *Comp. Introd. in S. Script.:* Append.: Schema chronol. aetatis apostol. pp. 719-721 (ed. 1911); Schürer, *Gesch. des jüd Volk.* 1, 577-579 ubi breviter ac perspicue elementa controversiae colliguntur. Pro anno 55-56 Harnack, *Chronol. der altchr. Liter.* 1, 233-239; eruditus Pagani, *Il Cristianesimo in Roma* (1906) passim. Praecipuum Harnackii praesidium est Eusebius in Chronicis, qui vicissim non tam Fl. Ios. ut vult Schürer, quam Iul. africanum sequitur. Pagani urget verba Act. 24, 27 ubi *biennum* (praeeunte Wellhausen) interpretatur de administratione Felicis cuius destitutionem copulat cum illa Pallantis fratris. Contra, Schürer vim facit in aegyptii tumultu, qui ex una parte ad Neronis tempora et quidem non in initiis (Octob. 54); sed potius ad ann. 56 vel 57 pertinet, quique ex altera erat praeteritus cum Felici restabat adhuc biennium administrationis (Act. 24, 27). Omnibus expensis, licet directe arduum sit ad certam conclusionem pervenire, attento tamen historiae Actuum complexu, multo probabilior videtur annus 60. Sane, Concilium apostolicum ex omnibus indiciis collocandum

quae huic synchronismo opponitur ex indulgentia quam apud Neronem reperit Felix per plures annos ob favorem Pallantis sui fratris, qui tamen a Neronis gratia exciderat sub initiis huius imperatoris (55 circiter) (1) unde sequeretur Felicem nonnisi longo tempore postquam Pallas e potentia excidisset, a provincia revocatum esse, non multum urget ; nam aut nimium probaret, scilicet, Felicem vix Nerone in solium adveniente depositum esse, id quod conciliari nequit cum iis quae de Felicis administratione sub Nerone narrat Iosephus Flavius (*Ant.* 20, 8 ; *Bell. iud.* 2, 12. 13) ; aut explicari posset ex eo quod, ut saepe fit, Pallas, etiam privatus, aliquali Neronis favore frueretur, id quod eo facilius admitti potest quo Pallas non ipsi Neroni sed Claudio familiaris fuerat ; ac proin, non adest illa ratio quae adesset si post Neronis familiaritatem, ab eiusdem gratia excidisset.

III. De regno Agrippae in Iudaea (2) certo constat initia sumpsisse anno 41 et finem 44 ; nam regnavit triennio in ea provincia atque regnum inchoavit anno quo Claudius (Ios. Fl. *Ant.* 19, 8 ; *Bell. iud.* 2, 11). Synchronismus vaticinii Agabi facile ex contextu definitur : cum fames praedicta dicatur supervenisse " sub Claudio „, vaticinium fit sub Caligula ; ac proin ante annum 41.

IV. Initia autem Actuum in annum 29 recidere, ut certum habetur.

Hisce semel constitutis, facile est 1°) durationem universi ministerii Pauli ; 2°) eiusque divisionem in duplicem partem ; 3°) singularumque spatium determinare. Cum ex dictis de synchronismo cum Gallionis proconsulatu et Aquilae occursu, conventus hierosolymitanus collocandus sit anno 51 vel 50, a Pauli conversione ad conventum fluxerunt anni non 14 sed 17 ; nam anno 37 14 ante conventum iam Paulus aut venerat Antiochiam, aut versabatur Tarsi, sed post triennium damascenae mansionis. Hinc apparet conversionem ponendam anno 34. Cum Felix depositus sit biennio et sex mensibus ante finem Actuum et depositio contigerit anno 60, ministerium Pauli in Actibus finitur currente anno 63 et sic durat 29 annis : 17 ante, et 12 post conventum.

---

videtur ann. 51 vel 50, minime ann. 47 ut vult Harnack (*Chron.* 1, 717); quo posito fieri nequit ut historia 15, 36-24, 27 triennio vel etiam quadriennio expleatur, Cfr. Belser, *Einleit. in das N. Test.* pp. 80, 130. 174 ; Zahn, *Einl.* 2, 639-652.

(1) Pallas proprie fruitus erat favore Claudii : adveniente autem Nerone (oct. 54) etsi aliquo tempore in favore mansit, decidit tamen ab eo ante ortum Germanici (febr. 55).

(2) " In Iudaea „ ; notum enim est Agrippam iam ante ann. 41 alibi regnasse.

Conversio Pauli, etiam attenta Lucae narratione 1-8 melius quam anno 30 ut vult Harnack, (1) ponitur anno 34. Nam Lucas 2, 42-46 ; 4, 32-35 ; 5, 12-16 ; 6, 1. 7 facit in sua narratione quasdam veluti pausas in quarum singulis brevi compendio conspectum nobis exhibet totidem periodorum in quas historiam distribuit. Iamvero vix credi potest Lucam ad singula bimestria tales pausas et compendiarium conspectum ob oculos renovasse, ut in hypothesi Harnack dicendum esset. Praeterea natura ipsa et cumulus rerum narratarum ante Stephani adventum, fidei propagatio postea Damascum usque, alternatio pacis et persecutionum, quibus addenda esset persecutio qualis 6, 8-8, 1-3 ; 9, 1 describitur, tam brevi temporis spatio explicari vix potest.

Digesta semel hoc modo, per summa et maiora lineamenta, totalitate historiae Pauli per ordinem ad chronologiam generalis historiae, possumus ulterius, ope chronologicarum indicationum quae praeter memoratas occurrunt identidem in libro Actuum, accuratius et per minora spatia, paulinae historiae seriem definire ; id quod aliunde haud levis momenti est ad recte expedienda gravissima controversiae capita, quale est v. gr. num vere Paulus sit primus et verus universalitatis Evangelii inductor. Et ut a secunda parte (15, 36-28, 31) inchoemus analysin, perspicuum est ea quae Actus narrant a fine tertii itineris (21, 28), ubi capitur Apostolus, imo a 21, 15 ubi describitur eius visitatio ad Iacobum, usque ad libri finem, facile ac distincte distribui per quatuor ultimos cum dimidio annos vitae Pauli a Luca descriptae quique respondent annis 58-63 ordinarii computus. Nam secundum Act. 24, 11 Paulus capiebatur 12 diebus post adventum Hierosolymam, captus vero detinebatur Caesareae in vinculis per biennium (24, 27), quo circiter tempore, i. e. brevi post Felicis destitutionem et Festi successoris adventum, interposita per Paulum et acceptata appellatione ad Caesarem, romanum iter inchoabatur (25, 1-27, 1). Iter perduravit sex circiter mensibus (28, 11 coll. 27, 1-28, 16) et Romam appulsus Paulus, adhuc denuo per biennium in vinculis detinetur (28, 17-30). A captura proin (Act. 21, 30) ad finem Actuum fluunt quatuor circiter cum dimidio anni, qui respondent quinquennio 58-63 vulgaris supputationis ;

(1) Harnack, *Chronol. der altchristl. Liter.* 1, 237 : *Mission und Ausbreitung*[3] (1915) 1, 151. Harnack devenit in hanc sententiam ex sua opinione de Felicis revocatione anno 55/56 ; hinc compellitur Concilium collocare anno 47, unde demptis 17 annis, conversio concurrit cum anno 30. Haec tamen supputatio gravibus premitur incommodis ut ex dictis constat.

nam cum expiraret biennium eius captivitatis caesareensis destituebatur Felix anno 60 (Act. 24, 27). Venientes vero ad sectionem quae partem hanc praecedit (Act. 15, 36-21, 17), tertium iter (18, 23-21, 16) facile sibi vindicat quadriennium. Nam sola ephesina commoratio (19, 1-20, 1) durat triennio (20, 31), (1) cui addendum erit spatium temporis impensum in peragranda Cilicia, Pisidia et Phrygia (Act. 18, 23; 19, 1) (2) non quidem diuturnum, at vicissim nec negligendum: ac postea adhuc trimestre corinthiacae demorationis (20, 3) cum reditu utique celerrimo (Act. 20, 4-22, 14). Tertium iter proin quod anno 58 expirabat, inchoabatur anno 54. Restat definienda duratio secundi itineris (15, 36-18, 22; quod, si in praecedentibus non erramus, vindicabit sibi triennium, sane vix plenum, quod intercipitur inter Concilium (51) et initium tertii itineris (54). Vix plenum, inquam, nam demenda utrinque (15, 33 et 18, 23ª) duplex antiochena requies ante et post ipsum. Huius triennii sic decurtati (51-54) dimidium concedendum est commorationi corinthiae (Act. 18, 11 ubi " dies multi „ ἡμέρας ἱκανάς 18, 18 includendi sunt in 18 mensibus) (3): aliis 18 circiter mensibus qui restant dimetienda peragratio asiaticarum provinciarum (15, 41-16, 9) et europaicarum urbium ab ingressu in Macedoniam usque ad adventum in Achaiae caput, cum reditu Antiochiam usque. Certe attenta celeritate ad quam compulsus est Paulus propter obstacula et tumultus a iudaeis suscitatos in omnibus fere urbibus europaicis, excepta Corintho et Athenis, et qua asiaticas provincias perlustravit, cum in eis aut nihil omnino ut in Asia, aut visitando solum praedicaverit, sexdecim menses sufficiunt ad gesta 2. itineris extra Corinthum, sed aliunde necessarii sunt.

Similis accuratior distributio fieri potest in 1ª parte 9, 20-15,35. Cum annum conversionis Pauli iam noverimus, possumus analysin ab ea inchoare. Iuxta Act. 9, 20 Paulus ministerium suum incepit Damasci haud multo post conversionem, id quod minime

(1) Si habeatur prae oculis Act. 19, 8. 10 forsan triennium satis incompletum; at cum Paulus in oratione Mileti (Act. 20, 31) de " triennio „ loquatur idque Lucas approbet, biennio illi et tribus mensibus addendum adhuc est certum spatium temporis vel ob tumultum Demetrii vel ob alias causas.

(2) 19, 1 dicit Lucas idem quod 18, 23 hoc solo discrimine quod 18, 23 describat factum cum evolvitur; 19, 1 iam peractum. " Excelsae regiones „ τὰ ἀνωτερικά (superiora loca) non " latitudine „ sed " altitudine „ sunt intelligenda: agitur de montanis ante Pisidiam et in hac provincia.

(3) Nam 18, 11 sine dubio de totali commoratione fit sermo.

evertitur testimonio Gal. 1, 17 de arabico itinere ; nam Lucas eo ipso quod 9, 19. 23 sedulo distinguit inter " aliqualem moram „ apud discipulos ante inchoatum ministerium (9, 19) et " dies multos „ quibus memorat durationem eiusdem, satis innuit aliquid interea mediasse quod Paulus nobis in epistola sua revelat. Quod de duratione ministerii indefinitum relinquit Lucas, id Paulus accuratius declarat Gal. 1, 18 ubi ait se Damasco Hierosolymam regressum esse, post triennium absentiae (1). Cum conversio concurrat cum anno 34 ; reditus Hierosolymam collocandus anno circiter 37. Quoto a conversione anno aut quoto aerae vulgaris Antiochiam petiit Paulus a Barnaba invitatus post commorationem tarsensem ? Act. 11, 27 Agabus praenuntiabat famem quae postea " sub Claudio „ advenit. Praedictio fiebat ante annum 41 ; i. e. vel 39 vel 40 ad summum. Cum vero Lucas dicat tempore quo Agabus famem praenuntiabat, Paulum laborasse iam per annum Antiochiae (Act. 11, 26), Pauli ministerium antiochenum inchoabatur anno circiter 38, et commoratio tarsensis ultra annum non protrahebatur, cum inchoata sit triennio post conversionem, et sic anno 37 (2).

Ad Agabi praenuntium de fame sequebatur statim collecta et eius per Paulum et Barnabam delatio ad presbyteros Hierosolymam (Act. 11, 29. 30).

De tempore itineris ad eleemosynas est haud levis divergentia, atque ex solutione huius quaestionis pendet vicissim unum ex gravioribus controversiae punctis historiae primitivae christianismi (3) Theodorus Zahn (4) scribit triplex temporis punctum posse huic itineri designari : *a*) ante ea quae 12, 1-23 narrantur : *b*) simul cum iis i. e. ita ut Paulus et Barnabas Hierosolymis versarentur cum persecutio Agrippae contra Apostolos saeviebat : *c*) post eventus cap. 12. Primum extremum excluditur, ait, quia, in tali hypothesi intelligi non posset quare non narraretur factum statim post 11, 30 sed differretur, ut fit, ad 12, 25 ; prae-

(1) Triennium completur duplici commoratione damascena cum interposito arabico secessu : de praecisa singularum partium duratione Paulus directe nihil dicit : habeantur prae oculis superius dicta.

(2) Id quod ex Lucae silentio de Pauli activitate per hoc tempus, confirmatur : si enim diuturno tempore perdurasset, Paulus quietus esse non poterat, nec Lucas eius labores silentio premere.

(3) Tota scilicet traditio christiana aliunde solide fundata, ut ipse Harnack fatetur sicut videbimus, de Petri primo itinere in Italiam.

(4) *Einleit.*[3] 2, 641. 642.

sertim cum 12, 25 narrationis circuitum claudant, et 13, 1 nova historiae Pauli pars aperiatur. Secundum admitti nequit, quia deberet aliquo modo eventuum concursus significari ; et tamen narratio cap. 12 decurrit veluti prorsus independens a Pauli fatis. Accedit quod collecta veluti ad presbyterorum manus deposita describitur ; id quod absentiam Apostolorum supponit, contra intimam naturam argumenti capitis 12. Restat proin tertium extremum : collecta delata fuit autumno anni 44 post mortem Herodis Agrippae ; et Paulus advenerat Antiochiam vocatus a Barnaba anno 43, cum iam sextum annum expleret commorationis tarsensis (1).

Etsi ceteroquin plura quae Zahn in hoc loco disserit aequa sint, quae tamen de synchronismo itineris ad eleemosynas, de Pauli commoratione tarsensi ac de eventuum connexione in contextu tradit, non videntur posse admitti. Ante omnia contextus Lucae non patitur moram Pauli in patria usque ad annum 43 retardari, cum manifeste praedictio Agabi quae fatente Zahn fiebat regnante adhuc Caligula (p. 643), dicatur pronuntiari (Act. 11, 27) ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις « in iisdem diebus » quibus Paulus explebat annum praedicationis apud antiochenos (11, 26). Deinde eo ipso quod 11, 30[b] ponitur executio et expeditio collectae immediate post praenuntium, insinuat haud obscure Lucas inter praedictionem et executionem illud solum temporis spatium interpositum fuisse quod necessarium erat ; id autem certe non fuit quinquennium. Argumentum quo maxime nititur Zahn ad excludendum iter ante annum 44 est quia « historia executionis non narratur usque ad 12, 25 » post Agrippae obitum, quae verba nullum nexum cum sequentibus habent (2).

At executio narratur 11, 30[b] ; 12, 25 proprie non narratur factum sed « renovatur » memoria facti idque indirecte, memorato « reditu » ex itinere. Reditus vero, ut ex « Marci » mentione elucet, memoratur non tam ob nexum cum praecedentibus quam ut praeparetur sectio subsequens 13, 1-13 ita ut 12, 25 non iam 12, 1-23 sed sequentem sectionem respiciat. Id perspicuum redditur ex 12, 24 ubi Lucas descripto Agrippae regno usque ad eius mortem (12, 1-23) scribit : « Verbum autem Domini crescebat et multiplicabatur ». Verba haec clausam supponunt narrationem praecedentem et viam ad sequentia tanquam novam sectionem inaugurantia pandunt. De facto 12, 25 novam personam in scenam inducit, Marcum, quia in itinere transmarino sequentibus descripto, Paulum et Barnabam comitaturus est. Ceterum 12, 25 chronologice nectitur cum 12, 1-23 si non tamquam eventus qui subsequatur Agrippae mortem, utique tamquam eventus qui intra triennium 41-44 consum-

(1) Ibid. p. 642. 643.

(2) Ibid. 641 : " an 12, 25 nichts Weiteres sich anschliesst, die Erzählung 13, 1 vielmehr einen neuen Anfang nimmt „.

matur : et ideo Lucas notam de Marco distulit ad 12, 25 tum ob unitatem historiae Herodis, tum ob nexum cum 13, 1-13.

Quod forsan fames, praesertim gravis, non tam cito venerit, (1) non impedit quominus collecta et eius ad presbyteros delatio iam anno 41 vel 42 perficeretur : imo ideo mature praedicebatur ut illico fieret collecta deferreturque Hierosolymam, quo nimirum hierosolymitanae arcae praepositi moderato pretio et sufficienti copia possent necessaria coëmere ut adveniente rerum caritate pauperibus providere valerent.

Ad caput 12 quod attinet, etsi a Luca inseratur non solius Pauli intuitu, sed ad integritatem historiae Actuum, nectitur tamen cum historia Apostoli exhibetque seriem eventuum quae inchoatur post susceptum iter ad collectam ; dein ita decurrit ut eorum quaedam pars synchrona esse possit cum primo itinere transmarino : 11, 30 et 12, 25 brevi distantia chronologica separantur. De argumento capitum 13 et 14 atque Concilio apostolico quod sequenti cap. 15 narratur, illud est indubium : si pro Concilio statuitur annus 51, iter illis capitibus descriptum non multo ante hunc annum finiri potuisse cum gesta in illo itinere Concilio occasionem dederint.

Restat definiendum accuratius spatium inter finem primi itineris et initia controversiae de mosaismo, itemque tempus insumptum in conventu atque in nova antiochena commoratione, ante secundum iter : uno verbo, restat definiendum tempus inter primi itineris terminum et initium secundi. Cum res non sedulo expenduntur, sponte fertur animus ad exsistimandum tempus hoc breve fuisse : rebus vero attente perpensis aliter iudicatur. Iam ipsa controversiae natura cum de re gravissima sit, oppido suadet non statim ad terminos deventum fuisse ut res ad apostolos deferretur ; deinde Lucas Act. 14, 28 insinuat conmorationem antiochenam Apostoli post primum iter et ante controversiae ad apostolos delationem haud exiguam fuisse (non modicum tempus χρόνον οὐκ ὀλίγον). Post conventum rursus 15, 36 de Pauli et Barnabae antiochena commoratione fit sermo veluti de stabili per aliquod tempus. Conventus autem ipse postulat quoque quamdam moram dum venirent convocati dum disceptaretur res, dum decretum redigeretur. Hinc absonum non est inter prioris itineris

(1) Communiter provocatur ad Iosephi. Flavii testimonium (Ant. 20, 3. 5) ubi famem Hierosolyma valide vexasse ait sub Cuspio Fado et Tiberio Alexandro (circa 45-48). Sed annonae caritatem iam antea invaluisse ostendunt testimonia romanorum historicorum (Suet. Claud. 18) de " assiduis sterilitatibus „ iam ab initio Claudii, et insinuant quaestiones annonariae de quibus Act. 12, 20.

terminum et secundi susceptionem triennium admittere (1). Quo posito, cum Paulus reperiat Corinthi anno 51 vel 52 Aquilam, pulsum Roma per edictum Claudii, et se ibidem conmorante adveniat Gallio Achajae Proconsul (52), secundum iter inchoaretur autumno anni 50 vel 51 et primum terminaretur 47 vel 48. Sed itineris huius initia quo tempore reponenda? Ex narrationis complexu apparet itineris durationem non ad plures annos protrahi posse; ex serie enim rerum gestarum satis proditur non diuturnam fuisse apostolorum moram per singulas urbes. Rursus tamen non potest nimium contrahi duratio: iam Cyprus, ubi praeter totius insulae excursum, in ipsa metropoli Papho favor Sergii Pauli et renitentia Barjesu arduum nec brevem Paulo et Barnabae laborem pepererunt, spatium haud breve postulat. Aliunde in praxi Apostoli id observamus, si tranquilla tempora nanciscerentur, eum minime festinasse: Corinthi manet 18 mensibus: Damasci et Ephesi per triennium. Reliquae regiones in continente ob suam haud exiguam extensionem non potuerunt tam celeri cursu ultro citroque peragrari. Hinc haud absurde initia itineris anno 43 poterunt collocari. Concilium autem ipsum certe non longo tempore perduravit.

2. Singularia quaedam Pauli chronologiam illustrantia

Lector procul dubio facile animadvertet totius chronologiae paulinae cardinem a nobis in Concilio apostolico quaesitum fuisse, idque ex hypothesi parallelismi inter Gal. 2, 1-9 et Act. 15, 1-29. At enim hic ipse parallelismus in quaestionem vocatur, suntque plures tam inter catholicos quam inter protestantes qui iter de quo Gal. 2 cum illo identificant de quo Act. 11, 30 et 12, 25. Inter protestanticos criticos et interpretes antesignanus sententiae contrariae est potissimum Ramsay (2); longe tamen maior criticorum pars fatente ipso Ramsay tenet parallelismum. Inter catholicos post Weber (3), magna contentione, postquam diuturno tempore communem sententiam tenuerat, oppositam propugnat Belser (4). Argumenta contra parallelismum cum Act. 15 et pro

(1) Haec facile admittentur si animadvertatur evangelizationem Samariae et provinciarum inter Galilaeam et Antiochiam triennium insumpsisse.

(2) *S. Paul the traveller and the roman citizen* 154-155.

(3) *Katholik* 1899: 45 sq.

(4) *Einleit.* 150. 168-170; *Die Apostelg.* 196-199.

identitate itineris de quo Gal. 2 cum illo de quo Act. 11, 30 praecipue sunt haec : 1) iter de quo Gal. 2, 1 suscipitur " praeeunte revelatione „ ; illud de quo Act. 15, rationibus humanis ; 2) conflictus antiochenus (Gal. 2, 11-21) qui posterior est itinere de quo 2, 1-9, explicari nequit post Act. 15 ; 3) Paulus in fragmento autobiographico Gal. 1, 11–2, 10, non potuit omittere iter ad collectam ante Concilium, cum in sectione illa id velit ostendere se, ante delatam controversiam de mosaismo ad apostolos, non habuisse ullum cum iis commercium quo posset ab iisdem suum Evangelium ediscere : si autem iter de quo Gal. 2, 1 est iter ad Concilium, omittitur in argumentatione iter ad collectam ; 4) Gal. 2, 10 rogatur a Petro Apostolus ut *id ipsum* quod *tunc*, i. e. quando hac de re colloquebantur, fecerat, faceret quoque in posterum, collectam scilicet pro pauperibus : iter igitur de quo Gal. 1-10 est iter ad collectam de quo Act. 11, 30 ; nam Act. 15 nulla collecta a Paulo affertur.

Diximus iam communem tam inter catholicos quam inter protestantes sententiam parallelismum statuere inter Gal. 2, 1-10 et Act. 15, 1-29. Inter protestantes possumus citare Theodorum Zahn (1), Ioannem Weiss (2), Fridericum Blass (3), Holtzmann (4), Preuschen (5) qui parallelismum ob oculos obiicit adiuncta synoptica tabella. Inter catholicos, ut notat Hückelheim (6) iam a primis saeculis Irenaeus et Tertullianus eam tenuerunt, quibus dein praestantissimi adiuncti sunt : nostris diebus Cornely, Knabenb., Felten, Hückelheim etc. Praeter adiunctorum congeriem quae statim oculos percellit ob perfectam identitatem in utraque descriptione, parallelismum persuadet chronologia. In itinere ad collectam (quod unice dubia suscitare posset, nullo autem modo aut illud de quo Act. 18, 22 aut rursus in cap. 21 quippe recentiora Litteris ad Gal.), nondum apparent vel germina controversiae de mosaismo, dum illud de quo Gal. 2, 1 suscipitur ad extinguendum incendium quod late grassatur (7).

(1) *Der Brief des Paul. an die Gal.* 107-118 ; *Einleit.* 2, 642.
(2) *Urchristentum* p. 193.
(3) *Acta apostol. ed. philol.* 165.
(4) *Theolog. Literaturzeitung* 1906, 431.
(5) *Die Apostelg.* 92. 93.
(6) *Zweck der Apostelg.* 42.
(7) Usque adeo verum est nihil commune deprehendi apud Lucam inter utriusque itineris (cap. 11 et cap. 15) narrationes, ut critici radicales (Schwartz,

Argumenta vero ab adversariis allata pro sua sententia parum urgent. Praecipuum et quod tamquam invictum solet proponi de silentio super itinere ad collectam, nititur praepostera sectionis Gal. 1, 11–2, 10 intelligentia. Verum est Apostolum a 1, 12 velle ostendere se minime ab Apostolis Evangelium suum didicisse; itemque, ut hunc scopum attingat, per multos annos nulla cum Apostolis colloquia habuisse, quibus notitiam Evangelii ex eis comparasset. At ut id plene evincat sufficit Paulo annos a sua conversione percurrere usque ad illud tempus quo suum ad gentes Evangelium notorium omnibus etiam in Iudaea et Hierosolymis evasit. Hoc enim semel demonstrato, cum praedicatio sua inter gentes eadem semper ab eo tempore perseveraverit, si Paulus Evangelium suum non potuit ab apostolis discere usque ad tempus quo omnibus notorium evasit, penes omnes constat se Evangelium, quod apud gentes praedicat, nullo modo ab apostolis didicisse. Porro huc tendunt ea quae Paulus Gal. 1, 12-24 tradit; in summam enim redacta id efferunt: eum, post conversionem, primum in Arabiam et damascenam urbem; deinde, traiecta utique Ierusalem sed cursim, et ita ut fatentibus suis adversariis non potuerit eo tempore Evangelium ibi discere (1), in patriam

---

Norden, alii) statuant, id quod in fontibus solum erat eiusdem itineris duplicata narratio, reputatum inepte a redactore fuisse duplicis itineris historiam. At solutio haec infelicior et absurdior est quavis redactoris ineptitudine; primo, quia *duplicem* narrationem statuit *eiusdem eventus*, ubi tamen talis identitatis nec remotum vestigium apparet: quis umquam ullam potuit deprehendere identitatis umbram inter eventus qui Act. 11, 30 et Act. 15, 1-29 narrantur? secundo, quia redactorem obtrudit usque adeo imperitum et ineptum, ut cum, utpote eventibus saltem suppar et patria antiochenus, Pauli veram historiam ignorare non potuerit, incapax tamen fuerit ad iudicandum de identitate vel distinctione notissimorum eventuum vitae Apostoli. Ad omissionem omnis insinuationis de controversia iudaizante quod attinet, Belser (*Einl.* p. 169) ait explicari ex " tendentia sectionis Act. 11, 27–12, 25 quae est ut ostendat Ecclesiae unitatem „. Sed nec unitas Ecclesiae tollitur ex nonnullorum perturbatorum dissensu, nec apparet quomodo res tam gravis omitti a Luca potuerit quocumque praetextu cum tam accurate Apostoli historiam persequatur, cumque postea de facto controversiam narret: annon etiam tempore quo evolvebantur eventus de quibus Act. 15 eadem consideratio Lucam movisset? Demum, si Gal. 2, 1-10 geruntur in hierosolymitana Pauli commoratione de qua Act. 11, 30 dicendum erit bis eadem eodem modo in vita Pauli gesta fuisse. Hoc argumentum est ultra modum ineluctabile pro his qui et Lucae et Pauli historicam auctoritatem admittunt, qui sunt fere omnes.

(1) Quae Paulus Gal. 1, 18-20 de visitatione Petri ac mansione hierosolymitana tradit per 15 dies evidenter proponit tamquam insufficientia ex adversa-

Tarsum et demum Antiochiam advenisse, ubi inchoavit et per diuturnum tempus (1), continuavit eam ad gentiles praedicationem quam invariatam semper retinuit, idque minime ignorantibus ecclesiis Palaestinae, quae nedum quidquam eo tempore in suo Evangelio reperirent quod ab apostolico et genuino abhorreret, e contra, etsi Paulum de facie minime nossent, ob ea tamen quae de eo audiebant, Deum effuso corde laudabant quod " praedicaret eam fidem quam antea saevus insectabatur „. Paulus igitur Gal. 1, 24 claudit suam argumentationem de fontibus sui Evangelii, memorata solum prima periodo ministerii antiocheni (Act. 11, 25-26), quia quae deinde subsecuta sunt ad argumentum non pertinent. Reliqua (Gal. 2, 1-10) novum argumentum pertractant, de " conformitate positiva „ sui Evangelii cum Evangelio Duodecim, quae scilicet nonnisi in conventu hierosolymitano discussa et declarata est.

Ad conflictum antiochenum quod attinet in quo magnam vim facit Belser, nulla est seria difficultas, nec cogimur ullo modo ut putat Zahn (2), quocum concordant etiam, tametsi ex aliis rationibus, Wellhausen et I. Weiss (3) ut praeeunte Augustino (4), eventum ante Concilium transferamus. Ratio agendi quam Petrus tenet, potest facile explicari etiam post decretum Concilii; nam cum iudaeo-christiani non vetarentur per decretum mosaicas observantias exercere, atque de facto eas continuarent in coetibus iudaeo christianis, poterant quidam nimium timorati aut quomo-

---

riorum concessione ad plenam de Evangelio notitiam ab apostolis hauriendam: quae vero subdit dein 1, 22 de fidelium palaestinensium ignorantia sui de visu, non eo animo profert aut proferre potest post dicta 1, 18 ut a nullo ex fidelibus palaestinensibus notus de visu esset. Eorum sensus proin is est ut, postquam in praecedentibus ostenderat se ab apostolis suum Evangelium ediscere non potuisse ob temporis penuriam, id nunc ulterius confirmet ex carentia cuiusvis communicationis etiam per breve tempus cum aliis fidelibus palaestinensibus quibuscumque " extra Ierusalem „, quippe cum neminem eo tempore convenerit per Iudaeae oppida; fuga enim de qua Act. 9, 29. 30 fuit celerrima et occulta: ideo effert " Iudaeam „, quae nimirum passim a Ierusalem capite separari solet. (Cfr. Ioann. 3, 22; Mt. 4, 25; Lc. 6, 17 etc.).

(1) Iam vidimus, antequam collecta indiceretur, imo ante vaticinium Agabi, Paulum iam per annum Antiochiae praedicasse: hoc temporis spatium sufficientissimum erat ut ante iter hierosolymitanum ad collectam, eius praedicationis thema perfecte cognosceretur Hierosolymis et in Iudaea, a quo tempore passim a plurimis de facie cognoscebatur.

(2) *Der Brief des Paulus an die Galater* p. 110. 111 (1907).

(3) *Urchrist.* p. 194.

(4) *Epist.* 82, n. 11 (M. 33, 280).

documque nimium anxie mosaismo adhaerentes existimare se, tametsi extra proprium coetum versarentur, si tamen certum quemdam numerum efficerent in urbe et coetu non iudaeo-christiano, teneri nihilominus ad agendum inter se sicut in proprio coetu. Id accidit Antiochiae : subditi Iacobi videntur ita putasse, eisque morem gessit Petrus quia tandem hierosolymitanus, ac dein plures incluso Barnaba. Agebatur videlicet de ratione vivendi practica pro diversitate communitatum, quae etiam posito decreto, varia esse poterat. Numerus iudaeo-christianorum in Antiochiae coetu initio non magnus, postea crevit : inde anxietates.

Quae de diversis motivis itineris apud Lucam et Paulum enumerantur talia non sunt ut mutuo se excludant. Collecta demum de qua Gal. 2, 10 Paulus tamquam a se iam peracta loquitur, est collecta peracta quidem cum Epistola scribitur, sed non cum a Petro durante conventu postulatur, quippe quae dicitur a Paulo " sollicite procurata iuxta Petri petitionem „. Nimirum facta est ut videtur, post Concilium, durante commoratione antiochena Pauli ante secundum iter.

Inter catholicos qui sententiam de parallelismo inter Gal. 2, 1-10 et Act. 11, 30 ; 12, 25 propugnant eminet etiam, ut diximus, V. Weber qui suam theoriam duplici schematis forma proponit (cfr. Wikenhauser, p. 195). In utraque haec potissimum, nostro iudicio, peccat : in 1ª *a*) quod Pauli conversionem ad ann. 31 anticipet ; *b*) quod commorationem tarsensem Apostoli nimium, ad quinque vel sex annos protrahat ; *c*) quod eo ipso nimium retardet antiochenum Pauli ministerium ; *d*) quod initia controversiae de mosaismi valore contra Act. 15, 1. 5 anticipet cum Loisy ad ministerium antiochenum ante primum iter apostolicum. In 2ª etsi nonnulla feliciter corrigat ut conversionem Pauli et initia ministerii antiocheni, alia relinquit intacta ut controversiae de mosaismo anticipationem, quae evidenter nequit anticipari (1). Certe nequit asseri traditionalem sententiam de parallelismo inter Gal. 2, 1-10 et Act. 15 omni difficultate esse immunem ; sed simul agnoscendum alteram quae parallelismum ad Act. 11 et 12 transfert, multo gravioribus et vere inextricabilibus implicari. Wikenhauser, etsi Weberum refutet, ministerium Pauli in urbe antiochena retardat nihilominus cum Prat et Theod. Zahn ad annum 43

(1) Ratio plane apodictica est quam superius innuimus : hac hypothesi bis in vita Pauli eadem penitus gesta fuissent.

(p. 199). Fundamentum horum scriptorum est Act. 12, 25 ; sed iam sufficienter soluta est difficultas quae ex hoc loco petitur.

Inter varias sententias de Pauli chronologia omitti nequit illa quam post Nolden et Schwartz proponit Loisy tam in suo Commentario ad Gal. quam postea in volumine « Les Actes des Apôtres » : nam maximopere differt ab omnibus quae communiter hactenus propositae sunt, et merum quantogere omnia perturbet quae de Pauli gestis in variis fontibus transmissa nobis sunt. En conspectus Loisyanae chronologiae :

Ascensio Domini . . .	**ann. 29**
Pauli conversio	**31**
Adventus Antiochiam	**33**
Conventus hierosolymitanus .	**ante 44**
Conflictus antiochenus . . .	**44**
Itinera Pauli apostolica . . .	**45-54**

Illud iam animum primo intuitu in hoc conspectu percellit : quam negligenter et inaccurate confecta sit annorum supputatio. 1°) Praeterquam quod annos 17 a conversione ad Conventum hierosolymitanum ad solos 14 ex Gal. 2, 1 contrahantur, si conventus anticipandus est « ante » annum 44 i. e. saltem ad annum 43, quomodo ab anno 31 in suo ponitur conversio ad 43 fluunt anni 14 ? Dicet Loisy annos esse utrinque incompletos et annum 31 sumendum esse initio, v. gr. ianuario, et 43 in extremo fine, Decembri. At neque hoc modo fluunt plus quam 13 anni, computu ordinario soli. 12. 2°) Idem dicatur de distantia inter conversionem et adventum Antiochiam. Paulus expressis verbis ait Gal. 1, 18 se per « triennium » a Palaestina post conversionem abfuisse ; si igitur conversio ponitur anno 31 quo pacto adventus Antiochiam potuit collocari anno 33 cum praeterea triennio damascenae commorationis addenda sit commoratio tarsensis ?

Ceterum duplici potissimum argumento fulcit Loisy suam explicationem : 1°) de itinere hierosolymitano cuius meminit Paulus Gal. 2, 1 quodque « secundum » (ad collectam), non tertium (ad conventum) fuit. 2°) Ex Mc. 10, 39 Ioannes martyrium obiit cum suo fratre Iacobo sub Agrippa ; hoc sensu constat intellexisse Papiam testimonium Marci ; ait enim Ioannem a Iudaeis occisum fuisse ut refert Georgius Hamartolus (1).

Sed chronologia loisyana non hoc solum capite peccat : longe graviora sunt sequentia. Ante omnia notandum est centrum loisyanae chronologiae cui cetera subordinantur esse hierosolymitanum conventum quem putat celebratum fuisse multo maturius quam ordinarie admittitur, eo quod controversia de mosaismo eruperit, eius opinione, durante antiocheno Pauli ministerio ante itinera transmarina ob continuitatem chro-

(1) Cfr. Funk, *PP. apostol.* 1, 316. 370. Papiae fragm., fragm. XII.

nologicam inter Gal. 1, 24 et 2, 1 iuxta quam iter ad conventum fuit « secundum » inter hierosolymitana post conversionem, et sic illud de quo Act. 11, 30 et 12, 25 ; nullo modo « tertium » ut redactor Actuum somniat, sub Agrippa : cum vero is mortuus sit currente anno 44, conventus collocandus est anno 43. At si conventus praevertendus est ante Agrippae mortem, collocari debet non iam utcumque ante 44 i. e. anno 43 sub eius finem, ita ut inter « extremos » huius anni dies et « primos » anni 31 possint 14 anni inter conversionem et conventum (Gal. 2, 1) plus minusve contracti contineri, sed omnino saltem ad initia anni 42 retrotrahendus est. Agrippa moriebatur sub initia anni 44 ; nam, teste Ios. Flavio, eius regnum in Iudaea triennio perduravit ; ascenderat autem huius provinciae thronum brevi post elevationem sui amici ac protectoris Claudii (25 ian. 41). Aliunde post liberationem Petri adhuc vita Agrippae aliquo temporis spatio protrahebatur (Act. 12, 19-23) ; cum autem nulla sit ratio in dubium revocandi notitiam Lucae Act. 12, 3 de tempore quo Petrus comprehendebatur, « sub diebus azymorum », persecutionis Agrippae initia anticipanda sunt saltem ad primos menses anni 43 (1). Porro evidens est conventum haberi non potuisse tempore quo saeviebat aut ingruebat persecutio ; unde consequitur, si conventus morti Agrippae antevertendus sit, haberi non potuisse post annum 42. Quo posito ubi collocamus annos 14 inter 31 et 42 ?

Ceterum fundamenta quibus nititur Loisy ad conventum morti Agrippae anticipandum nulla sunt. Non est verum controversiam de mosaismo, etsi utique Antiochiae eruperit, ante Pauli itinera apostolica omnia erupisse : nexus enim inter Gal. 2, 1 et 1, 12-24 non est continuitatis « chronologicae » ita ut Paulus omnia sua hierosolymitana itinera recensere cogeretur in descriptione 1, 12-2, 1. Duo vult Paulus ostendere Gal. 1. 12-2, 10 ut iam vidimus : vidimus quoque ei, ut demonstret se Evangelium ab apostolis non didicisse, satis fuisse demonstrare se ante tempus quo in ministerio antiocheno notorium reddebatur eius Evangelium, idonea ad hunc scopum colloquia cum Apostolis non celebrasse.

Ad alterum argumentum Loisy de morte Ioannis sub Agrippa, non est opus respondere, cum Loisy optime sciat suam assertionem nullo fundamento fulciri (2).

(1) Nuntius de Claudii elevatione haud dubium quin statim per imperium etiam in Palaestina propagatus sit ; nam etsi navigatio per amplum mare esset parum secura, supplebant defectum tabellarii aut per littora, aut Brundusio Corinthum et Corintho Ephesum. Tabellarii autem per terram velocissimi erant. Itaque mors Caligulae et Claudii elevatio pervulgabantur in Oriente iam mense Februario : hinc regnum Agrippae in Iudaea inchoabatur hoc tempore eiusque mors proin versus Febr. anni 44 : hinc eius persecutio nequit Paschate anni 44 collocari.

(2) Scilicet novit optime Loisy argumenta ex Philippo Sidete et Georgio

Usque adeo ordo eventuum quem Loisy post Schwartz et Norden proponit est omni historico et rationali fundamento destitutus ut, etiam liberaliores inter protestanticos criticos (Wrede, I. Weiss), cum negare nequeant factum fundationis tot communitatum ethnico-christianarum sine ullo mosaismi onere in primo Pauli itinere ante conventum hierosolymitanum, quaerere tentent in hoc facto fundamentum pactorum in conventu initorum inter « Duodecim » et Paulum. Aiunt nimirum Paulum, facto illo, sibi suoque Evangelio ingentem potentiam creasse, cui frustra « Duodecim » obluctari conarentur (1). Certe, cum Paulus Gal. 2, 2 ait se voluisse suum Evangelium apostolorum iudicio subiicere « ne in vacuum *cucurrerit* », verba haec de sola antiochena ecclesia explicari nequeunt : « cursus » amplam plurium regionum perlustrationem subaudit.

Unica vera difficultas in hac periodo (Act. 9, 27–15, 1) ad chronologiam accurate digerendam, in duratione concreta versatur ministerii antiocheni ante conventum hierosolymitanum : quomodo nimirum distribuendum 14 annorum spatium a Gal. 1, 18 : Act. 9, 30 usque ad conventum. Prat nimium protrahit commorationem tarsensem, ab ann. scilicet 37 ad 42 quo pervenit Paulus Antiochiam. Haud dissimilis est supputatio Zahnii qui commorationi tarsensi quinquennium assignat a 38 ad 43 quo inchoatur nimirum ministerium antiochenum. Chronologia haec habet contra se Act. 11, 19 27 quae supponunt Paulum Antiochiae iam sub Caligula, i. e. ante ann. 41.

Ad primum iter quod spectat, Prat illud quadriennio (45-49) claudit post triennium ministerii antiocheni cum itinere hierosolymitano ad collectam ; dum Zahn anno cum dimidio, a vere anni 50 ad autumnum 51 illud definit (2). Omnibus diligenter perpensis tum quae in litteratura canonica, tum quae in extracano-

---

Hamartolo, tametsi ex Papia hausta dicantur, nullam vim habere contra nubem testium antiquiorum et silentium Lucae. Cfr. inter alios ipsum Harnack (*Cronol.* 1, 667. 668) ; item Funk, *Patres apostolici* I, 368 sq. et quae in notis disserit editor. Loisy hic sicut in praecedentibus et subsequentibus suis scriptis nullum aliquid certo stabiliendi habet scopum, sed negativum impugnandi historiam sacram. In " Evang. synopt. „ 2, 739 quoniam intererat infirmare vim testimonii ex 1 Cor. 15, 5-7 pro resurrectione, Pauli conversionem " assez longtemps, *plusieurs années*... après la resurrection „ i. e. post ann. 29, collocabat, et sic minime vel eodem anno 29 aut 30 nec 31, sed serius : hic propter causae necessitatem chronologiam pervertit.

(1) Weiss, *Urchrist.* 200 : " Die (Duodecim vel Apostoli) beugen sich den Tatsachen „.

(2) Prat, *Théol. de S. Paul* 1, 12 ; Zahn, *Einl.* 2, 653, 654.

nica praesertim de Marco et Petro traduntur, optima eventuum contemperatio ea videtur quam superius statuimus, compenetrandi nempe initia sectionis 13, 1-14, 28 Actuum cum extremis eventibus cap. 12. Iuxta Eusebium (H. E. 2, 14, 15 ; 6, 14 ; M. 20, 172-552 ; *Chron.* 2. M. 19, 539. 540) (1) qui ceteroquin, narrationem suam expresso Clementis alexandrini et Papiae testimonio confirmat, Marcus socius erat Petri et Urbem visitabat annis circiter 43-44 : quo pacto id fieri possit si primum iter apostolicum Pauli suscipiebatur post obitum Agrippae (44) vix apparet, cum Marcus comes Pauli esset initio itineris (Act. 13, 5. 13). Si vero iter inchoabatur anno 42 vel 43, iam eodem anno vel sequenti Marcus qui a Paulo discesserat, potuit Petro socius adiungi. Certe difficile est omnia ad unguem exigere ; at nemo prudens negaverit ex Actibus non posse certum argumentum invocari contra Eusebii computum. Quae autem ad procrastinandum iter ad collectam usque ad 46-48 ex Ios. Fl. a Zahnio (2) et aliis afferuntur, quia fames in Palaestina non ingravescebat nisi sub Tiberio Alexandro, non urgent ; tum ex dictis de Providentiae consiliis in praedicenda mature fame ut facilius ei prospiceretur, tum ex testimonio profanorum scriptorum v. gr. Suetonii " assiduae sterilitates „ (3) iam a primis Claudii temporibus memorantium ; quibus accedit insinuatio quam Act. 12, 20 legimus, ex qua apparet crisin annonariam in Palaestina iam regnante Agrippa inchoatam esse.

Contra Petri in Italiam profectionem iam 42 vel 43 difficultas maxima est quae ex Irenaei testimonio petitur (contra Haer. 3, 1). Hinc Zahn etsi sententiam traditionalem teneat de ordine Evangeliorum (Mt. Mc. Lc. Io.) nihilominus cyclum conscriptionis Synopticorum retardat duplici decennio (a. 41-43 ad 63. 64). At Irenaei testimonium expendendum est habito prae oculis complexu ceterorum eiusdem antiquitatis (Orig. Cl. alex. Tertull.). Eusebius qui Irenaei verba non ignorabat, iis non obstantibus Petri adventum in Urbem ponit sub initia Claudii (Chron. loco citato) quam indicationem nullo modo retractat, sed supponit in Hist. ecclesiastica cuius chronologiam supra chronicorum fundamenta superstruit (Harnack, *Chronol. der. altchr. Liter.*

(1) Eusebius in Chron. (loco cit.) proprie collocat Petri adventum Romam ann. 40 adhuc sub Caio (eius ann. 4) : in Hist. vero eccles. (loc. cit.) sub Claudio : hinc facile est ut cum Chronica solum in versionibus nobis transmissa sint, ductus de romano Petri adventu parumper loco mutatus sit ex initiis Claudii (ian. 41) ad fin. Caii.

(2) *Einl.* 2, 643. 644.

(3) Claudius, 18.

1, 124) Irenaei testimonium expendendum est habitis ob oculos reliquis testimoniis antiquitatis maxime Tertulliani, Cl. alex. et Papiae super quorum suffragio adstruit Eusebius suam narrationem (H. E. 2, 14. 15 ; M. 20, 172). Mens Irenaei in celeberrimo testimonio contr. haer. 3, 1 (M. 7, 844) haec est : habito prae oculis veluti centro descriptionis magno eventu apostolicae dispersionis, descriptionem distribuit in duplex membrum : *in momento* dispersionis et *post illam*. In momento dispersionis quo Apostoli discedunt ex Palaestina " portantes Evangelium Dei ,,, dum Matthaeus " scripto ,, evangelizat provincias extra Iudaeam, Petro obtingit evangelizanda (ore) Roma (Petro ex paritate muneris apostolici et loci praecipui praedicationis adnectitur Paulus, sed utique proprio suo tempore, ut lectores non ignorabant). *Post dispersionem* vero Marcus, interpres Petri, scribit suum Evangelium ex Petri catechesibus, ac dein Lucas suum ex catechesibus Pauli. In expressione : μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, ἔξοδος aliud non est quam exitus ex Palaestina, et τούτων refertur ad apostolos. Certe ἔξοδος non est " mors ,, Petri et Pauli, cum Marcus scripserit Evangelium multo ante eorum mortem. Neĉ exitus ex urbe : Irenaeus loquitur de tali exitu tanquam " communi ,, eorum de quibus agit (τούτων ἔξοδον) : quis autem exitus ex urbe communis fuit Petro et Paulo, cum nonnisi brevi ante mortem ibidem copulati sint ? Contra, si de apostolis, omnia plana sunt. Quod τούτων utpote demonstrativum proximae praesentiae non ad " apostolos , referri sed omnino ad Petrum et Paulum debeat, parum urget : attendenda est scriptoris praevolans mens : Irenaeus totus intentus erat in describenda " apostolorum ,, non solorum Petri et Pauli praedicatione atque Evangelii per orbem ore et scripto diffusione (1).

Vita Pauli chronologico ordine digesta.

Ortus	2 p. Chr.
Profectio Hierosolyma ad studia maiora . . .	22
Reditus in patriam	27
Reditus Hierosolymam et ingressus in vitam publicam	32

(1) Certe Harnack haec tantum audet scribere : " Ob die alte Uberlieferung welche den Petrus bereits unter Claudius nach Rom bringt, ganz und gar unbrauchbar ist (como lo supone Zahn) ist mir fraglich... Entscheiden lässt sich M. E. die Frage nicht mehr „ (*Chronol.* 1, 244, not. 2). Verba haec quae in scriptore catholico non magni momenti essent, sub calamo Harnack pretiosa sunt. Testimoniis autem Clementis Alex. et Tertulliani de Petro et Paulo ecclesiae romanae " fundatoribus „, addenda sunt illa Dionysii corinthii (Eus. H. E. 2, 25), Tertulliani (De praescr. 36), ipsius Irenaei alias (Contr. haer. 4, 3), imo Ignatii (Rom. 4, 3). Testimonia haec interpretanda sunt ; sensu quem exposuimus in textu : De Petro et Paulo non toto tempore simul, sed prout de facto contigit et omnibus notum erat, Petro mature, Paulo postea, communi magisterio laborantibus.

Conversio 34
Reditus e ministerio damasceno et secessus tarsensis . 37
Adventus Antiochiam et inchoatio ministerii inter ethnicos 38
Iter hierosolymitanum ad collectam 42
I^{m} iter apostolicum 42-43
Controversia de mosaismi valore 48
Conventus apostolicus Hierosolymis 50-51
2^{m} iter apostolicum 51-52
Reditus Antiochiam 54
3^{m} iter apostolicum 54
Reditus et comprehensio Hierosolymis 58
Iter romanum 60
Adventus Romam 61
Liberatio a prima captivitate 63
Iter hispanicum et novae per Orientem expeditiones . 63-66
Reditus Romam, altera captivitas, martyrium . . . 67

Sectio II. — Paulus in ministerio

I. Pauli ad ministerium subsidia

1. Pauli temperies, valetudo, corporeae vires

Nulla nobis transmissa est Pauli effigies sive depicta, sive sculpta qua Apostoli vultum et corpoream temperiem vel intueri vel coniectura comminisci possimus. Praetermissa iudaeorum haereditaria ab his artibus aversione, primitivi christiani non magnopere de perpetuanda magnorum virorum memoria per artem sive pictoricam sive sculptoricam cogitarunt, ut apparet ex eo quod nec Christi ipsius imaginem nobis tradiderunt (1). Corpo-

(1) Loquimur de generatione quae inmediate Christum et apostolos de facie novit, deque imaginibus ex ipsa persona inmediate expressis. Recentissime detecta est a D. Wilpert in excavationibus romanis pictura saeculi II cum imagine Christi, omnium quae cognoscuntur antiquissima quae tamen non facile tamquam fidelis ex ipso Domino in terris agente, expressa credi potest. In traditione tamen christiana mansisse vivam de Pauli figura memoriam apparet ex *Actis Pauli* c. 3 ubi describitur tamquam " statura brevis, naso aquilino praeditus, recurvatis cruribus, bene tamen constitutus, gratia plenus „. Haec non satyram aut iocum re-

rea Pauli complexio, quantum ex historia Actuum coniicere licet, ubi tot annorum spatio longa itinera peragit plerumque pedestria, maximosque labores exantlat, natura firma erat: aliter vix concipitur quomodo numquam illos aut suspendat aut intermittat. In Epistolis tamen recurrunt haud pauca testimonia ex quibus opposita penitus opinio haurienda videretur. Ex his locis veteres multi, plures vero inter recentiores criticos, concludunt Paulum infirma admodum valetudine usum fuisse. " Corpus Apostoli, scribit Deissmann (1), gracile fuit atque morbis obnoxium: ipse illud appellat fragile vas e terra (2); alias, desumpta imagine ex scenofactoria arte, tentorio comparat quod ad breve tempus perdurat „ (3). In Epistola ad Galatas loquitur de morbosa quadam indispositione cuius violentis insultibus identidem obnoxius erat, quaeque describitur veluti morbus qui externis prodebatur signis ob quae neophyti repulsionem erga illum experiri facile poterant „ (4). Testimonium vero notius et celebrius illud est quod 2 Cor. 12, 7 legitur. Conqueritur ibi Paulus de morbosa quadam affectione chronica qua laborabat quamque appellat " carnis stimulum „, (σκόλοπα τῇ σαρκί), " Satanae angelum (ἄγγελον Σατανᾶ) qui eum colaphizat „. Multi interpretes protestantici nostra aetate locum explanant de insultibus epilepticis, quam coniecturam Wrede et Jülicher inde confirmari putant quia Paulus admodum propensum exstasi ac visionibus se prodit (5). Demum aliis quoque in locis sermonem crebro facit de sua τῆς σαρκὸς ἀσθενείᾳ vel ἀσθενείαις.

Accurata nihilominus testimoniorum analysis ostendit in primis ex hoc catalogo expungendos esse illos locos aut eorum plerosque qui in genere de " carnis infirmitate „ aut " infirmitatibus „ agunt; nam his expressionibus Paulus non aliud cogitat quam complexum illarum deficientiarum quae nec solum, nec tam in ordine physico quam sive in physico sive in morali naturam

---

dolent: recurvatio crurum poterat esse levis et quae nullam alicuius momenti deformitatem induceret. " Acta Pauli „ legi possunt apud Lipsius, *Acta apostolorum apocrypha* Πράξεις Παύλου καὶ Θέκλης (235 sq.). Imago Pauli p. 237 lat. in nota.

(1) *Paulus*, p. 43.
(2) 2 Cor., 4, 7.
(3) Ibid., 5, 4.
(4) Gal., 4, 13. 14.
(5) Wrede, *Paulus* p. 17; Jülich. *Einleit. in das* N. T.[6] p. 34.

humanam deprimunt eiusque exiguitatem prae Deo rebusque divinis atque eas dispensandi ministerio manifestam faciunt; quaeque eo ipso ad divinum adiutorium enixe implorandum cogunt. Haec est notio quae voci ἀσθένεια et ἀσθένειαι copulatur 2 Cor. 12, 9. 13. Loci vero illi eiusdem Epistolae ubi Apostolus corpus suum vocat vas fictile ac terreum, aut tentorium brevis durationis non agunt de corporis physica imbecillitate, sed de immani distantia atque imparitate humanorum instrumentorum quorumcumque prae sublimitate ministerii praedicandi: corpus demum appellat Paulus unius noctis tentorium ob praesentis vitae brevitatem prae futurae perennitate. Gal. 4, 13. 14 et 2 Cor. 12, 7, etiam posito quod de physico morbo agant, est admodum incerta eorum interpretatio. In primo loco volunt quidam myopiam (1) significari adeo acutam ut Paulum impediret res atque personas apte discernere etiam ad brevem distantiam. Id conantur evincere ex Gal. 4, 15 collato cum Act. 23, 2: quorum in primo loco Paulus post suae affectionis descriptionem dicit galatas paratos se exhibuisse ut vel proprios sibi oculos effoderent ad eos Paulo largiendos; procul dubio ut eius inopiae in eo genere subvenirent. Alii vero tam in loco ad Gal. quam in loco ad Cor. 2ª, potius de foediori quadam aegritudine agi putant, sive epilepsia sive " malaria „ quam dicunt, quae in parum decoras manifestationes Apostolum compelleret quibus facile avertere a se neophytorum animos posset.

At nec explicatio de myopia, nec altera de foediori morbo externe sese parum decore manifestante admitti possunt. Quaerunt utique illi qui morbum de myopia explicant, suam opinionem confirmare ex Act. 23, 2 ubi Paulus Summum Sacerdotem, etsi sibi admodum proximum intra eamdem aulam, a sociis, non obstante magnificentia vestium, non distinguit; at si ob myopiam Summum Sacerdotem a reliquis non discernebat, quomodo saducaeos a pharisaeis potuit discernere? (2) Locutio ad galatas ap-

(1) Inter alios Weizsaecker, *Das apostol. Zeitalter* 215. 216.

(2) Paulus pharisaeos a sadducaeis aut ex situ quem ex consuetudine sicut diversae factiones in nostris Comitiis, occupabant aut ex aliis insignibus quae ostentaret, distinxit. Summum Pontificem autem " visu „ optime distinxit sive ex sede sive ex aliis quoque signis sibi propriis quae procul dubio etiam extra templum, etsi utique distincta a vestimentis sacris quae in templi solemnibus adhibebat, supra se gestabat. Quod autem illum qui se caedi iusserat Pontificem fuisse ignoraret ideo fuit quia quis iussionem dedisset non perceperat, sive quia

plicata proverbialis est, et summam erga aliquem animi affectionem denotat qua ad difficillima quaeque pro illo superanda ac pretiosissima inmolanda impellit.

Multo vero minus potest admitti altera explicatio. Ad tentationem galatarum quod spectat quam propter Pauli *infirmitatem* experiebantur, textus minime nos compellit ut morbum illum qui talem repulsionis sensum accedentibus incuteret, admittamus (1), cum nullibi vel in Actibus vel in Epistolis ullum talis repulsivi morbi indicium perspiciamus. Scilicet in illa ἀσθενείᾳ τῆς σαρκός de qua Gal. 4, 13 recte deprehenditur aliquid ad illam deficientiam pertinens quam 2 Cor. 12, 9. 10 significari vidimus. Collectis porro pluribus suarum Epistolarum locis ex gr. 1 Cor. 2, 3. 4; 2 Cor. 10, 9. 10; 11, 6; Gal. 4, 13. 14 quibus addi possunt nonnulla lineamenta ex effigie " Actorum Pauli „ c. 3, aderat, opinor, in persona Apostoli nescio quid timiditatis aut trepidationis, quaedam etiam sermonis incorrectio, atque in complexu lineamentorum inconcinnitas quae, si primo tantum aspectu de eius persona iudicandum esset, non admodum eam commendabant (2). Talis revera est imago quam Paulus de seipso nobis tradit, et non prout in ore corinthiorum, qui levissimi erant, tantum ferebatur, sed agnitam et confirmatam suo testimonio.

Duo maxime sunt loci ex quibus confirmari posset opinio hodie tantopere pervulgata de infirma Pauli corporea valetudine : Gal. 4, 13. 14 et 2 Cor. 12, 7-9. In primo, constructio grammaticalis δι'ἀσθένειαν τῆς σαρκός explicationem de simplici quavis naturae deficientia pati non videtur. Non enim apparet quo pacto ulla ex descriptis deficientiis in causa esse potuerit cur Paulus galatis praedicaverit, ut διά cum accusativo postulat. Contra, de morbo facile explicatur : potuit enim Paulus in Galatiae montanis levamen quaerere fractis, ob vim morbi, corporis viribus. Quod si obiicitur de simplici physico morbo haud facile intel-

---

casu alio respiciebat, sive ob multitudinem praesentium et aulae amplitudinem. Bene poterat ex usu fieri ut non imperando, sed proponendo, alius ex consessu seorsum percussionem postularet (cfr. Ioann. 18, 22) id quod Paulus ex errore in casu accidisse putavit.

(1) Ramsay, *S. Paul the trav.* 94-97. Contra explicationem Ramsay cfr. Zahn, *Einl.* 1, 121. Similiter aegre conciliatur cum tali morbo illud " gratia plenum „ in descriptione *Actorum Pauli*, quod procul dubio ex genuina traditione derivabatur.

(2) " Gratia „ de qua Acta Pauli poterat post aliquod conversationis tempus manifestari.

ligi quomodo repulsionem apud galatas excitaret, potest responderi forsan morbum aut in se aut in suis effectibus aliquid prae se tulisse quod repulsionem provocaret, si v. gr. vel contorsiones vel melancholiae validos insultus apostolico viro parum decoros excitabat. — At si Paulus chronico huiusmodi morbo laborabat, non apud galatas tantum, sed apud alios quoque eosdem effectus expertus fuisset. Exstante igitur Pauli ipsius declaratione de naturae deficientiis atque de effectibus quos ex iis deficientiis tolerare cogebatur, quosque se expertum saepe fuisse asserit, satius videtur etiam locum ad galatas non aliter expedire. Cornely de pressuris et aerumnis explicat quas Antiochiae, Iconii et Lystris passus est Apostolus a iudaeis : at pressurae et aerumnae propter Evangelium toleratae potius excellentia nobilitans quam deficientia deprimens sunt. Melius explicantur Pauli verba de illis deficientiis de quibus non semel in Epistolis ad corinthios loquitur, sermonis inopiam atque eloquentiae et facundiae absentiam respicientibus, quae anxietates ac timores atque exiguam de se existimationem nonnumquam, Deo sic permittente, apud ipsum Apostolum et in aliis provocabant. Certe apud galatas, provinciales nimirum a Graecia remotos, non erat cur Paulus ob defectum sive puritatis sermonis sive excultae ac dissertae facultatis, tremorem illum et timores experiretur quos inter corinthios (1 Cor. 2, 3) in centro Helladis : at restabant adhuc aliae nonnullae, ut forsan semibalbuties quaedam aut tarditas loquelae qua videtur Paulus laborasse. Ad constructionem grammaticalem ex particula διά quod attinet, gravem difficultatem non creat : διά sicut ἀνά (cfr. Mc. 7, 31) cum de tempore et spatio, vel rebus seu affectionibus quae tempori vel spatio aequivalent, idem valet atque *inter*, *in*, *in medio*, *media tali* vel quali re seu circumstantia : « scitis quod inter infirmitatem, media infirmitate, in medio infirmitatum carnis evangelizavi vobis » (1).

Restat 2 Cor. 12, 7-9. Multi interpretes veteres ac recentiores, iique tam protestantes quam catholici, agnoscunt describi in hoc loco a Paulo morbum physicum qui sese violentis insultibus proderet. At quinam hic morbus erat? Certe non epilepsia! Appellatio spinae aut virgae aculeo munitae (σκόλοψ) morbum potius designat qui puncturam aut vehementem dolorem excitat. Deissmann candide agnoscit fieri non posse ut ex characteribus sub quibus morbus describitur, eius species cum solida probabilitate definiatur. Catholici ut Cornely, Belser potius descriptam cernunt aut « cephalalgiam » aut « aegritudinem chronicam in primis

(1) διὰ μέσον Σαμαρείας Lc. 17, 11 ; διὰ νύκτα inter noctem, per noctem ; διὰ χειμῶνα per hiemem, passim adhibentur. Item de adiuncto vel conditione tempori vel spatio aequivalente. Non est igitur necesse ut accusativum in genitivum mutemus prout suggerit Blass (*Gramm.* 42, 1).

molestam » (1). At non omnes interpretes morbum physicum descriptum vident : a primis iam saeculis deprehenderunt plures, quos inter, Augustinus, stimulum concupiscentiae. Revera primo, appellatur a Paulo *stimulus* quo nimirum nomine solemne fuit semper in litteratura et ascetica christiana ab apostolis derivata designare aculeum concupiscentiae. Deinde additur : « angelus Satanae » nuntius scilicet et introductor diaboli et peccati : etiam nota haec apprime convenit concupiscentiae, cum eius ope maxime praesentem se daemon denuntiet. Quod postea medicinam vel levamen sive adiutorium contra morbum reperiat Paulus in « gratia Dei » cuius ope discedit et retunditur insultus, satis perspicue ostendit non de morbo corporali agi.

Ex instituta analysi id confici videtur : Paulum minime usum fuisse infirma valetudine, sed potius robusta ac firma ; id quod ulterius ex aerumnis ac suppliciis quae saepe ultra labores ministerio annexos tolerasse se narrat Apostolus, confirmatur. 2 Cor. 11, 23. 24 dicit se ante annum 57 quo Epistolam scribit quinquies iam virgarum supplicium in Synagogis iudaeorum perpessum fuisse. Ut vero talis supplicii effectus in patientis corpore rite expendantur, iuverit quae hac de re iudaeorum scripta tradunt, memorasse. In Mischna, tract. Makkot = « plagae », legimus instructionem quae Synagogae custodi datur ad hanc poenam : « minister supplicii infligat ictus vi omni qua potest, dum iudex legit biblicam sectionem ». Multi non poterant numero resistere ; quidam exhalabant animam in supplicio : ideo nonnumquam experimentum fiebat num saltem octodecim posset damnatus tolerare. Similes huic sunt aliae ex aerumnis quarum catalogum loco citato texit Paulus.

2. Pauli ingenium et multiplex in litteris eruditio

Ex corporis temperie, valetudine ac viribus ad dotes animi transeuntes, Paulum ante omnia acri et praestanti ingenio valuissse, quo facile posset litteris atque scientia sufficientissime ornari si eis vacaret, sua scripta huculenter ostendunt. Apparet enim in suis conceptionibus audax, originalis ac profundus ; in argumentando acer et solidus. Id vero non soli divino influxui deberi, docet collatio scriptorum Pauli cum scriptis aliorum auctorum canonicorum. Licet enim in omnibus splendeat maiestas ac profun-

(1) De *cephalalgia* iam antiqui cogitarunt ut ex Chrys. (in h. l.) patet. Cornely « morbum permolestum » cernit (in 2 Cor., p. 327). Ratio praecipua est vox σκόλοψ quam de solo morbo physico adhiberi censet : sed Chrysostomus qui vocis vim non ignorabat excludit (ibid.) interpretationem de morbo corporeo.

ditas, itemque amplitudo doctrinae revelatae, modus tamen eam proponendi et formae sub quibus ipsa revelatio proponitur, differunt haud parum (1) Praeter ingenium vero, Paulus eminet ampla et admodum varia eruditione litteraria ac scientifica. Tria potissimum in Apostolo cum de litteris agitur, veniunt consideranda: eruditio eius hebraica et aramaica, eruditio hellenica in genere, ac demum classica. De eius hebraica et aramaica eruditione ipse nos edocet cum ait se enutritum (τεθραμμένον in litteris scilicet) ad pedes Gamalielis (Act. 22, 3) in urbe hierosolymitana (2). Erat eo tempore Gamaliel celeberrimus Doctor, filius R. Simeon, (3) nepos Hillelis. Paulum autem a Gamaliele non vulgarem et communem in Templo aut Synagoga cum reliquis e populo, sed superiorem et " facultativam „ quam dicunt, institutionem accepisse, iam ex ipso modo loquendi apparet quo Paulus utitur (4). Gamaliel nimirum non communes sed altiores in scholis ad candidatos pro laurea in rabbinicis litteris lectiones tradebat, quarum argumentum, ut ipse Paulus in eodem loco nos edocet, in hoc potissimum versabatur " ut circa secretiora et reconditiora paternae legis „ (5) i. e. mosaicae et traditionum superadditarum in serie historiae suos alumnos initiaret. Paulus scientifico apparatu ad perfecti Rabbini normam effingebatur Gamaliele duce. Aramaicam linguam eum plene possedisse sive quia iam, ut vult Theodorus Zahn (6) et est verisimile, in paterna domo illo sermone uteretur, sive quia durante hierosolymitana

(1) Cfr. Eus. H. E. 3, 24: ὁ Παῦλος πάντων (τῶν Ἀποστόλων) ἐν παρασκευῇ λόγων δυνατώτατος, νοήμασι τε ἱκανώτατος γεγονώς: " omnium (apostolorum) et verborum apparatu et sententiarum pondere praestantissimus atque ornatissimus cum fuisset „.

(2) Vix dubium esse potest quin verba ἐν ταύτῃ τῇ πόλει ad Ierusalem, non ad Tarsum referenda sint. Eo enim tendit tota illa Apostoli oratio ut se a legis et rerum iudaicarum peritia ac zelo commendet. Ceterum τεθραμμένος non ad cibum in corporalibus sed in litterariis referri evidens est.

(3) *Mischna* Sota 9, 15.

(4) Ad pedes κατὰ πόδας. Cfr. superius dicta.

(5) πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου: edoctus secundum praecisionem patriae (non paternae πατρικοῦ) legis „; i. e. accurata diligentia.

(6) *Einl.* 1, 33. Zahn bona ad id probandam argumenta affert: quod Paulus (Philipp. 3, 5) se dicat *hebraeum* i. e. non hellenistam (id, planum est, non tollit quominus ad litteraturam hellenicam quod attinet, egregie in lingua et reliquis versatus sit); quod sponte ei erumpant expressiones quae produnt illum aramaica, non graeca lingua usum esse in suis precibus (Abba), id quod ostenderet eum a puero per matrem ita edoctum fuisse.

commoratione didicerit, constat ex Act. 21, 40 ; 22, 2. Qua vero perfectione et sermonem hebraicum et biblicum Codicem penetraverit, ex dictis iam satis constat, et ex Epistola ad Hebraeos (1) aliisque reliquis eius litteris concludere licet. Omnia quae de Pauli vita novimus in id conspirant ut nobis exhibeatur veluti peritissimus et cui uterque patrius sermo hebraicus et aramaicus familiaris fuerit : eius genealogica origo, familia, et pharisaeismo iam sub genitore addictio (Philipp. 3, 4, 5 ; Act. 26, 5, 23, 6) ; studia hierosolymitana sub Gamaliele ; nomen ipsum " Saulus „ (שאול) quod in Diaspora magis mirandum, cum eo tempore non inter dispersos per orbem hellenicum et romanum tantum, sed in ipsa Palaestina passim invaluerint nomina graeca (2) ; citatione V. Testamenti praesertim in Epistola ad Hebraeis.

Nec tamen exsistimandum est Paulum hebraica solum et aramaica eruditione ornatum fuisse : unus ex praestantissimis nostrae aetatis litterarum graecarum cultoribus, von Wilamowitz, scribit : " Hellenismus veluti characteristicum Pauli constitutivum omnino est agnoscendus : legit duntaxat (?) Biblia graeca ; graece proin etiam cogitat... Etsi iudaeus, graece cogitat et graece scribit „ (3). Praeter illud *duntaxat* applicatum paulinae Bibliorum lectioni, iudicium Wilamowitz verum est. Quaenam vero sit lingua haec graeca qua Paulus et cogitat et scribit, alia est quaestio. Certe ipsa eius patria Tarsus, etsi una ex praestantissimis litterarum sedibus atque omnigenae culturae centrum, cum tamen extra radium Helladis tum europaicae tum asiaticae caderet, atque in pleno Oriente sita esset, iam hoc nomine suadet idioma Pauli

(1) Etsi certum non sit Epistolam ad Hebr. ab ipso Paulo immediate scriptam fuisse, sed forsan mediante vel " translatore „ vel " adiutore „ cui forma externa scripti debeatur, haec non censenda est Scripturae usum attigisse, qui ad ipsum argumentum vel eius formam internam pertinet, quique, praesertim cum de textus hebraici usu agatur, longe verosimilius Paulo rabbino et auctori argumenti attribuendus est quam translatori vel adiutori. Quam perfectionem attigerit Paulus in linguae sacrae notitia ex facto possumus coniicere quod rabbini, ut ex multis Hieronymi locis apparet, in scholis et commercio litterario hebraica lingua uterentur saeculis IV et V sicut utuntur hodie : quanto magis ante Hierosolymorum eversionem.

(2) Iam inter ipsos apostolos, homines nimirum e plebe non ex excultioribus stratis, plures (Andreas, Philippus, Didymus) ; inter apostolorum discipulos plurimi, v. gr. septem diaconi, qui omnes, excepto Nicolao, reliqui nati videntur in Palaestina, graeca nomina gerunt.

(3) Ap. J. Weiss, *Urchrist.* p. 303.

non esse idioma classicum. Notum omnibus est ab aetate Alexandri et ex graecorum qui cum eo Orientem invaserunt diffusione hunc effectum promanasse, ut cultura graeca totum orbem orientalem pervaderet, et cum omnigena cultura ac veluti eiusdem basis, graecus sermo universas illas regiones penetraret (1), ita tamen ut haud parum a pristina Graeciae proprie dictae puritate descisceret, admissa multiplici ex occupatis regionibus mistione. Hinc exorta est dialectus hellenistica quae duplicem adhuc formam prae se ferebat: popularem et litterariam, quam postremam semiclassicam appellare possumus ob conatum vere classicam imitandi, quaeque propria fuit omnium fere scriptorum qui ab hoc tempore per plura saecula in regionibus Orientis graeca lingua conscripserunt. Paulus neque hanc semiclassicam linguam plene attingit, eiusque sermo medium locum tenet inter illam et popularem. Omnes tamen, vel saltem praestantissimi inter hodiernos criticos non excluso Deissmann qui ceteroquin non semper satis aequus est in suis de Pauli cultura iudiciis, facile concedunt Apostoli sermonem minime esse " plebeium illum qui cernitur in papyris et ostrakis „ (2): plerique vero ulterius procedentes, statuunt Pauli sermonem, etsi " independens sit a quavis schola nullumque exemplar sequatur „, nullo modo haberi posse " ut meram ex aramaico in idioma graecum translationem ut apud LXX et plures scriptores Novi Testamenti passim cernere est (3): imo Paulum ob peculiarem suum sermonem, posse haberi ut scriptorem vere classicum

(1) Id non vult dicere linguas indigenas extinctas fuisse: ruricolae et etiam pars plebis in urbibus non admodum amplis, conservabant patrium sermonem. Quod de lycaonibus narrat Lucas Act. 14, 41, id de aliis quoque regionibus valet. Imo nec est existimandum etiam in provinciis aut amplis terrarum tractibus, ubi graecus sermo communis evaserat, id statim contigisse, aut semper perseverasse. In historia magnarum invasionum tenet admodum crebro haec lex, ut quamvis politicas convulsiones sequatur similis quoque rerum commutatio in litterariis v. gr. in sermone; tamen nec semper passibus aequis, nec perseveranter. Tempore seleucidarum adhuc perdurabat, imo augebatur et propagabatur, ex innata in atavismum propensione, progressus aramaici sermonis: imo lingua syra extra Antiochiam non solum illa aetate, sed etiam romana passim in usu erat penes syros, ita ut excultissimus in saeculi IV Ephrem syrus linguam graecam ignoraret. Tantum post arabicam invasionem cessavit apud plebem usus syriaci sermonis. (Cfr. Zahn, *Einleit.* 1, 24-52).

(2) Deismann, *Paulus* p. 37.

(3) Translationem nimirum ex cogitato in scriptum sermonem: cogitatum patria lingua, scriptum peregrina.

hellenismi „. Ita Wilamowitz (1). Hanc linguam cui tamen, modo dicto, Paulus proprium sigillum, personalem formam atque veluti characterem impresserat, didicit Apostolus a pueritia in foro ac viis suae patriae. Eius vero tam amplum dominium obtinuerat, ut doctissimi quique cum prae manibus versant Pauli scripta " obstupescant exundantem vocabularii copiam, varietatemque formarum ad quosvis conceptus accurate exprimendos „ (2). Simile iudicium pronuntiat I. Weiss : " ubertas huius potentissimae naturae in stupenda copia subsidiorum expressionis sese prodit „ (3).

Maior est discordantia cum de eruditione classica proprie dicta agitur. Iuxta Ioannem, et partim etiam Bernardum, Weiss, multo plus autem iuxta Deissmann, Paulus nullam habuit eruditionem litterariam proprie hellenicam sive classicam in scholis comparatam. Deissmann ait Paulum fuisse simplicem opificem qui quotidie laborabat pro pane lucrando, non recreationis aut otii fugandi gratia : atque etsi patriam habuit cultura insignem, tamen nec natum fuisse nec adolevisse in litteratorum vel eruditorum stratis. (4). Bernardus et Ioannes Weiss putant Paulum semper revera fuisse, sicut ipse se describit ἰδιώτην τῷ λόγῳ imperitum sermone, i. e. hominem sine ulla quam appellamus, eruditionem litterariam. Si interdum citat classicos ut Aratum et Menandrum aut Epimenidem, id non ex reminiscentia facit suorum studiorum in scholis, sed quia fragmentaria quaedam frusta hinc inde Athenis vel Corinthi venatus est, prout recitari ea a circulatoribus audivit. Iuxta hos criticos Paulus fuit suo tempore id quod nostra aetate nonnulli ex democraticarum sectarum ducibus qui cum naturali ingenio, facundia ac vi assimilitava polleant, processu temporis et usu, supellectilem quamdam plebeiae eruditionis colligunt quam opportune et importune venditant. Paulum numquam scholas frequentasse triplici argumento vult probare Deissmann : 1°) quia

(1) Ap. Weiss, l. c.

(2) Theod. Zahn, *Einleit.* 1, 35.

(3) *Script. des N. Test.* 2, 3. In *Urchristentum* sequitur propriumque facit iudicium Wilamowitz. Huius copiae in vocabulario multa possunt afferri exempla : ad conceptum " societatis „ exprimendum, iuxta varias huius genericae notionis accuratas differentias, in solis tribus versibus adhibet *quinque* diversas voces : μετοχή, κοινωνία, συμφώνησις, μερίς, συνκατάθεσις (2 Cor., 6, 14-16) ; ad Eph., 1, 19 triplici vocabulo utitur δύναμις, ἐνέργεια, κράτος ad conceptum " roboris „ : notionem " doni „ quatuor vocibus exprimit duplici versu : χάρισμα, χάρις, δώρημα, δωρεά (Rom. 5, 16. 18).

(4) *Paulus* p. 39.

Paulus opificium manuale exercuit die ac nocte (Act. 18, 2; 20. 31-34); 2°) si scribebat, nonnisi crassos atque rudiores characteres depingebat (Gal. 6, 11. πηλίκοις γράμμασιν = quam grandibus notis); 3°) usus amanuensis qui in eo communis erat (Rom. 16, 22), nec nisi rubricam propria manu apponebat (1ª Thess. 3, 17; Col. 3, 18), quia nimirum usum scribendi non habebat (1).

At iam quae ipse de se narrat quaeque superius memorata sunt, etsi directe classicam eruditionem non respiciant, suadent tamen Paulum studia et gymnasia litteraria graecanica frequentasse. Certe eius pater, civis romanus in urbe regionis quae a centro imperii adeo dissita erat, non fuit vir e plebe, sed plus minusve facultatibus affluens, ut etiam hinc confirmatur quod filium Hierosolymam studiorum causa mitteret: profecto qui procul a domo, largiori scilicet sumptu, haec commoda filio procuravit, minora intra propriam urbem non neglexit; praesertim cum altiora studia illo tempore, sicut nunc, inferioribus niterentur.

Sed scripta Pauli ostendunt praeterea illum sedulo litteris classicis excultum fuisse. In Epistolis recurrunt sectiones quae usum et exercitium litterarum ad formam classicam supponunt. Sic 1ª Cor. 1, 18-25; Rom. 1, 18-32 nominatim vero 18-20; 1 Cor. 13; Gal. 3, 1-9 et multa alia quae aegre aut nullo modo apte in scriptore qui litteraria institutione caruerit explicari possunt (2). Imo hodie plures critici nimium " formalismum „ Paulo exprobrant: talis vero formalismus nonnisi ex artificio scholarum explicari posset. Citationes quoque ex classicis si attente examinantur, hanc institutionem produnt, ac nullo modo explicantur ex fugaci ac fortuita circulatorum auditione. Plebeii vel opifices aut imperiti quivis, cum talia tentant, facile errant aut in metro et ordine vocabulorum si poëtica recitentur, aut in numero vel cadentia sicut etiam in proprietate expressionum, quorum omnium leges ignorant. Paulus vero cum Epimenidem affert (Tit. 1, 12) hexametrum correcte recitat; item cum Aratum et Menandrum. Nemo forsan melius hac de re iudicavit quam Hieronymus: " Apostolum, scribit, novisse, etsi non perfecte, litteraturam saecularem (classicam) ostendunt eius verba: dixit quidam ex illis verus inter eos propheta

(1) *Paulus* p. 35.

(2) Idem iudicium profert Blass: in oratione apud Agrippam reperit hic scriptor non solum correctionem vere hellenicam, sed " elegantiam „. (*Gramm. des neutest. Griech.* pp. 5. 6. In " *Acta apostol...* „ p. 263 de eadem oratione dicit esse " eloquentia praestantem „. Certe " eloquentia „ de se culturam non arguit, communiter tamen subaudit.

(alludit Paulus ad proverbium a Christo usurpatum : nemo propheta in patria sua) : cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Hic est versus heroicus [i. e. hexameter] poëtae Epimenidis cuius meminit Plato et alii scriptores antiqui. Coram atheniensibus, cum sui rationem in Areopago redderet, addidit : sicut quidam vestrorum poetarum dixerunt : ipsius enim et genus sumus. Hemistichium hoc (primum hexametri dimidium) reperitur apud Aratum, qui de coelo et stellis scripsit. Verba : " corrumpunt bonos mores colloquia prava, efficiunt trimetrum iambicum comoediae Menandri „. Sic Hieronymus (1). Similem culturae graecae familiaritatem produnt innumerae illustrationes, comparationes, exempla ex graecorum ludis, cursu, theatro, certaminibus in circo. Nimirum quoniam hellenis praedicaturus erat, opportunum fuit ut hellenorum cultura sufficienter institueretur : Pauli axioma : " omnibus omnia ! „ etiam usum litterariae eruditionis complectebatur.

Praecepta litteraria classica quae Paulus dum puer esset in scholis didicerat numquam oblitus est : eius orationes, praesertim solemniores, ac forma quoque scribendi cum speciali modo aut ad graecos vel de graecis excultis loquitur, horum praeceptorum notitiam redolent. Orationes quae in eius historia apud Lucam leguntur id perspicue ostendunt : sic oratio ad Areopagum, itemque illae quas habuit apud Felicem (Act. 24, 10-21), apud Agrippam et Festum (26, 2-32) omnes digeruntur ad normam gustus et formarum classicarum apud graecos ; nec deest " manus protensio „ (Act. 26, 1) qui corporis gestus proprius erat et usitatus inter oratores graecos et romanos. Si Pauli orationes conferantur cum ea quam relator Tertullus, procul dubio causidicus hellenista haud ignobilis, habuit apud procuratorem romanum (Act. 24, 2-8), contextura ac dispositio litteraria deprehenduntur eiusdem plane coloris (2). Utique debet semper prae oculis haberi Paulum et ingenii propensione et institutione multo libentius semitico hebraeorum et aramaeorum sensui indulsisse ; atque etiam schemata ora-

(1) In Ep. ad Gal., 4, 24. Hieronymus in re litteraria classica non minus aptus testis est quam in biblica.

(2) Utique critici protestantes passim orationes libri Actuum tribuunt Lucae i. e. auctori vel redactori Actuum qui aut omnino eas confinxit cum tota scena ubi pronuntiantur, vel saltem earum formam : sed collatio orationum inter se ostendit non ita esse : orationum contextura non est uniformis, sed admodum varia pro diversitate adiunctorum.

tionum Pauli quae Lucas affert, breve solum earum compendium exhibere : hinc cum eum ad iudaeos alloquentem exhibet ut in Synagoga Antiochiae (Act. 13, 16-41) sponte fertur in quamdam prolixitatem et dispositionem orationis minus accuratam : ideo oratio haec est admodum similis orationi Stephani.

Quod de orationibus diximus, id ad eas quoque suorum scriptorum sectiones extendi debet ubi Paulus speciali ratione prae oculis habet graecam aut graeco-romanam culturam. Sic in pericope v. gr. 1ª Cor. 1, 18-25 : " verbum crucis, ait, his qui illud repellentes, per viam perditionis incedunt, stultitia est ; his vero qui (illud amplectentes) salutis via gradiuntur, est, e contrario, efficacissima Dei virtus, nam scriptum est : perdam sapientiam sapientium et prudentum prudentiam extenuabo. Ubi, enimvero, inter Evangelii praecones, qui sapientis aut doctoris fama emineat ? ubi acer profundorum investigator? Nonne Deus sapientiam huius mundi stultam declaravit (cum ad Evangelii praedicationem simplices deputavit) ? Profecto ; quandoquidem via scientiae mundus scientifice Deum reperire non novit (et ideo a salute procul aberravit), placuit Deo per stultitiam praedicationis (per praedicationem a viris mundi opinione stultis oblatam) salutem credentibus conferre ! Enimvero, dum iudaei portenta postulant et graeci sapientiam quaerunt, nos eis Christum crucifixum offerimus, qui iudaeis scandalum est, graecis vero stultitia ; quamquam iis qui ad fidem vocantur, si ex iudaismo veniunt, Christus Dei virtus sit, portentum portentorum ; si ex paganismo, altissima e coelis sapientia ! „ (1) Quid cum hoc fragmento comparari potest, etiam in Demosthene aut Cicerone, sive sententiarum pondus ac gravitas consideretur, sive nervus expressionis, in antithesum acumine, membrorum symmetrica concinnitate aut concisa perspicuitate ? Levitas scilicet corinthiorum, garrulae circulatorum graecorum loquacitati assueta, paulinam praedicationis formam nimis, ut putabat, simplicem, contemnebat : Paulus vero eodem tempore quo verbis humanam sapientiam et eloquentiam extenuat posita ob oculos apostolorum prae doctis quibuslibet electione ut per eos Deus illam salutem generi humano largiretur, quam frustra graeci a suis sapientibus ac philosophis postulabant ; facto ipso et propria loquendi forma ostendit sapientiam et eloquentiam christianae praedicationis

(1) Alludit Paulus et paucis hic complectitur ea quae uberius disserit Rom. 1, 19-25.

nihil habere quod hellenicae cognatur invidere. Fragmentum vero hoc 1 Cor. I. 18-25 non est rarum aliquid in Pauli scriptis: plura ei similia facile in medium proferri possent, praesertim ex Epistola ad romanos. Nec est cur Paulo in his sicut nec in poëtarum graecorum allegationibus superficialis eruditio (dilettantismus qui dicitur) aut affectatio exprobrari possit: Paulus iam in sua iuventute litterarum classicarum studio sponte valedixerat ut se totum sacrae eruditioni dederet: scripta sua inchoabat iam quinquagenarius, ea nimirum aetate quae frivolis non delectatur: imo epistolam ad Titum morti proximus scribebat. Quae igitur ex classica litteratura identidem profert id omne sponte omnino effundit, ex his quae intus reposita a iuventutis institutione servabat.

Quod se imperitum sermone appellet facile explicatur, sicut etiam quod nonnulli corinthii hanc de eo opinionem haberent: Paulus tandem erat olim nec selecto atticorum sermone utebatur cui assueti erant corinthii in metropoli Achaiae, quo confluebant si non tot philosophi sicut Athenas, utique oratores, rhetores, poëtae; nihil igitur mirum quod Apostolus se hac in re imparem illis agnosceret. At ipse Paulus addit: "sed non sapientia „: seposito sermone, in reliquis, v. gr. conceptuum gravitate, externa expressionis vi aliisque plurimis rebus probe perspiciebat se, etiam in ipso Helladis capite nihil habuisse unde rubore afficeretur. Et revera Lucas Act. 17, 17. 18 narrat Paulum in foro Athenarum quosvis obvios etiam epicureos et stoicos sine rubore allocutum fuisse; illi vero minime eum contemnunt, imo ad Areopagum ducunt (Act. 17. 19) doctrinae uberius explanandae causa; etsi non desunt petulantes qui neglectum affectant (v. 18) (1).

Paulinae igitur elocutionis structura non aramaica, sed omnino hellenica est ut recte Wilamowitz iudicat. Etsi enim elegantiam formarum classicarum non attingat, distat tamen maxime ab aramaicis formis. Paulus non nectit membra vel sectionum vel sententiarum per meram coordinationem monotonam et uniformem ope particulae *καί* infinities repetitae ut passim apud aramaeos et aramaizantes fit; sed novit numerum quemdam et rotunditatem adhibere, itemque inter membra ipsa concinnitatem et symmetricam dispositionem minime negligere. Inspergit quoque orationem varii generis ornamentis. Quorum omnium exempla facile in medium possunt afferri. Cum vero aliunde haec Paulus non

(1) Ut Paulum *σπερμολόγον*: "seminum collectorem „ per contemptum appellant. Non erat qua vel levitatem instar passeris hac illac volitantis et rostro grana colligentis; vel tenuitatem argumentorum a Paulo in suis orationibus tractatorum carpere intendebant. At quam inaniter, ex Pauli oratione ad Areopagum perspicue apparet.

studio conquisita sed sponte profluentia promat, cumque ea nec discere et familiaria sibi reddere aut Hierosolymis durante studiorum rabbinicorum cursu, aut Damasci, vel in tarsensi aut etiam antiochena prima commoratione (1) potuerit, restat ut ea veluti reminiscentiam explicemus classicorum suorum studiorum in patria cum Tarsi gymnasia frequentaret (2).

Paulus exercuit quidem mechanicum opificium ; id tamen mirum non est : inter rabbinos consuetudo vigebat ut praeter plenissimam Legis notitiam, opificium discerent quo liberius professionem exercere possent, idque a Thalmude diserte praecipitur indicatis huius praescriptionis rationibus (3). Ad opificii exercitium in Paulo explicandum, non est necesse confugere ad exclusionem ab haereditate per parentes ob susceptam fidem christianam. De exercitio opificii a Paulo constat solum pro eo tempore quo a multis iam annis omnia reliquerat, utque liberius ministerio vacaret legem sibi praestituerat neminem onerandi. Quod ad galatas ea verba scribat explicatur vel quia sensum habent non materialem de characterum magnitudine, sed moralem de argumento " quam gravibus litteris ,,, ut Vulgatus haud incongrue transtulit ; vel quia ob arthritidem recte scribendi facultate certo quodam tempore prohibebatur. Sed Paulum scribendi autem perfecte calluisse quis dubitet cum evidenter de eius minime vulgari eruditione constet? (4) Quod adhibeat saepe amanuensem explicatur ex illarum aetatum consuetudine : adhibebatur tunc amanuensis sicut nunc dactylographus.

(1) Utpote partim brevi, partim alienis penitus occupationibus distenta, partim provectae iam aetatis onere impedita.

(2) Nonnullae in Epistolis sectiones ut 1 Cor. 1, 18–25 non solum correctae sunt, verum classicam sobrietatem et elegantiam cum magna conceptuum elevatione ostendunt; hinc verisimile redditur quod alibi dicit Hieronymus (Contr. Ruf. 1, 17) " Apostolum graecam facundiam contempsisse vel certe dissimulasse „.

(3) Schürer, 2, 378-380 tam legis doctrina in Doctore quam eius administratio in iudice debebat esse inter iudaeos gratuita. Doctor non poterat quaerere in lege " nec ostentationis coronam, neque ligonem ad fodiendum „ (R. Zadoc, *Aboth* IV, 5). " Qui in lege coronam quaerit ipse se perimit „ (R. Hillel, *Aboth* I, 13). Hinc necessitas sibi et familiae aliunde providendi per exercitium manualis laboris. R. Shamail (III) enixe commendabat ut legis studio exercitium opificii adiungeretur quia " in utroque exercitio a peccatis retrahit „ (*Aboth* II, 2). Certe nostra aetate opificium mechanicum non ita litterarum professione dignum reputatur; sed diversarum gentium et diversarum aetatum diversa sunt criteria; et en, novissima quae nunc inchoatur aetate, hac etiam in re, consuetudines et gustus incipiunt admodum diversi esse.

(4) Revera mirum est quod cum de Pauli amplissima in litteris eruditione ex documentis certo constet, a quibusdam criticis serio de artis scribendi notitia et usu apud Apostolum dubitetur.

At ne ex uno extremo in alterum transiliamus aeque vitiosum notemus Paulum ut scite sententiam suam temperavit Hieronymus, nullo modo studiis classicis eminuisse; et post studia sua elementaria in iuventute, in reliqua sua vita non solum post conversionem, sed iam antea, eis fere penitus valedixisse. Sane, quamvis instructus esset subsidiis litterariis ea mensura quam diximus, eius " specialitas „, ut dici solet, non fuit scientia saecularis nec litteratura classica, sed sacra, ita ut totus plane Sacrae Scripturae studio vacaret. Cum Lucas Paulum inducit in scenam tempore causae Stephani, eum amicabili foedere cum Synedrio coniunctum exhibet iam ante 30 aetatis annum; unde obvium est concludere eum aut eo tempore aut paulo ante, suum rabbinicarum scholarum cursum confecisse. Quantum vero in schola Gamalielis Paulus profecerit ostendunt eius scripta. Duplicem partem studia illa complectebantur: studium Veteris Testamenti et methodos Scripturas interpretandi. " Examen sive scrutatio „ i. e. analysis Scripturarum, seu, aliis verbis, seria Scripturarum lectio atque accurata sensus earum investigatio, assiduum erat rabbinorum iudaeorum exercitium ut libenter agnoscit Dominus cum asserit Doctores solitos fuisse hunc sensum investigare ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς scrutamini (indicativus potius quam imperativus modus est) (1); nec mirum, quandoquidem postea sive in Templo sive in Synagoga eas expositurі erant, aut etiam in scholis. In hoc studio eximios Paulum progressus fecisse apparet ex Epistolis quae citationibus, remissionibus, allusionibus, commentationibus in Pentateuchum, Psalmos, Prophetas, libros historicos ac sapientales refertae sunt. Planum est " orientationem christianam „ i. e. christianum colorem ac sensum Veteris Testamenti qui apud Paulum appareт, minime ex eius rabbinicis studiis emanasse; sed aliud est " interpretatio „ Scripturae christiana, et lumen coeleste ad eam intelligendam quod Paulus accepit partim ab illustrationibus Christi (Gal. 1, 12; 2ª Cor. 12, 1-4) partim ex traditione christiana (1ª Cor. 15, 3; 11, 23) quam iam efformatam reperit cum ad fidem venit; aliud ipsa notitia textus scripturistici. Hanc prostremam veluti materiale substratum christiana luce collustrandum procul dubio potuit sibi in scholis rabbinicis comparare ac comparavit.

Ad methodos quod attinet interpretandi non est exsistiman-

(1) Ut ex clausula dominicae argumentationis (Ioann. 5, 47) patet, quae nisi, Doctores Scripturae studio vacarent, sensu caret.

dum omnia apud rabbinos palaestinenses hoc tempore vitiosa et inania fuisse. Ipsa Christi Domini approbatio, et confirmatio praxis tunc vigentis: " vos scrutamini Scripturas exsistimantes (merito) vos reperturos in eis vitam aeternam; (bene est et mihi placet; nam) ipsae testimonium perhibent de me ! „, satis nos edocet in vigore apud Doctores fuisse methodos interpretandi sanas et minime arbitrarias; ac revera locus Matthaei 2, 5-6 egregium exemplum nobis exhibet germanae et litteralis interpretationis ex analysi obvia terminorum et contextus collatione. Idem rursus confirmat modus quem tenet Dominus cum pharisaeos redarguit Mt. 22 circa Ps. 110. Revera methodi artificiosae et cabbalisticae quae in Thalmude commendantur ad recentiorem aetatem pertinent (1). Ut concrete de Paulo loquamur, eius exegesis nititur potissimum sensu litterali ; adhibet quoque haud infrequenter typicum, nec abhorret interdum ab allegoriis : at non cum demonstrare aliquid ex Scripturis intendit.

2. Uberiora Pauli ad ministerium sive a natura sive ab arte subsidia

Recensitae hactenus dotes Paulum ad multiplicem ceteros erudiendi formam egregie disponebant, in cathedra, in foro, in scriptis: at alia adhuc, eaque praestantissima suppetebant Paulo subsidia quae propius eum ad ministerium cui Deus illum destinarat, aptissimus reddebat: ad verbi divini praeconium scilicet per universum orbem. Ut igitur aequius et magis completum de Paulo evangelico praecone iudicium ferre valeamus, utque eius ministerium aptius aestimemus confert summopere quasdam eximias dotes expendere quibus sive a natura receptis. sive ab arte, institutione, habitu, sanctitate auctis et expolitis, ornatus ad mini-

(1) Verum quidem est Philonem, antesignanum allegorismi alexandrini coaevum esse Domini (obiit ann. circ. 50) ; quae proin methodus iam vigebat ante thalmudistas. At in primis Philo non est palaestinensis; deinde, tametsi non negemus in Palaestina quoque et ab antiquissimis temporibus vestigia huius interpretationis detegi (cfr. Ierem. 25, 26; 51, 41) itemque Dominum distinctione illa ironica inter " templum „ et " aurum templi „ (Mt. 23, 16; Mc. 7, 11) similes methodos insinuare veluti in usu apud Doctores; illud tamen ex exemplis superius allatis constat : exegesin figuralem nondum eo tempore illam praevalentiam attigisse quam postea. Illud praeterea est certum: Doctores qui " Mischna „ Thalmudis fundamentum, digesserunt, *omnes* ad aetatem pertinere a 70 ad 200 (cfr. Schürer, 1, 113-124). Verum de his uberius cum de usu Scripturae apud Paulum.

sterium accessit: tales enim dotes mirum in modum eius operam nobilissimam reddunt. Atque ut ab ea exordiamur, quae frequentioris usus fuit in suo ministerio, Paulus ante omnia se eximium oratorem prodit. Etsi utique praesentia corporalis non admodum eum commendaret, nec forsan tam selecto sermone uteretur, tamen cum thema aliquod evolvit ex his, et sunt plurima, quae plene possideret, eius eloquentia facile post se auditores quosvis rapiebat. Vix habet parem, aut certe nemo illum superat in arte sese in auditorum animos insinuandi. Cum Athenis ex foro sive Agora in Acropolin ductus esset ut doctrinam suam apud Areopagitas explanaret, hac apprime opportuna insinuatione orationem inchoavit: " viri athenienses (1) placet mihi quam maxime quod vos per omnia conspiciam in divinitatis cultu sollicitos (2), nam cum urbis vias perlustrarem, aram offendi quae hunc prae se titulum gerebat: Ignoto Deo! „ Ex adstantibus certe nullus non se gratissimo animi flatu perfusum sensit, cum ex illius barbari labiis, quem iam fama celebrabat, patriam urbem de religione, quae tantopere atheniensibus cordi erat, laudibus efferri audiret. Cum, redux ex tertio itinere, Hierosolymis a iudaeis captus esset, atque in arcem Antoniam a tribuno romano duceretur, magna iudaeorum turba eum ad mortem postulante, nactus opportunitatem scalae quae alternantibus identidem cum planitie Templi gradibus distribuebatur (3), cum postulasset a tribuno facultatem turbas alloquendi, sic eas, conversa repente facie allocutus est: " fratres ac patres audite me! ego iudaeus sum, natus quidem Tarsi, sed enutritus hic, in hac ipsa urbe vestra ad pedes Gamalielis, atque eruditus secundum patriae legis iura cuius studiosissimus eram sicut omnes vos estis hodie „. His verbis ad demulcendas audientium aures compositis quibus eos honorifica " patrum „ compellatione honestabat, se autem legis ac patriarum traditionum scrutatorem diligentem et propugnatorem strenuum declarabat, haud parum procul dubio Paulus contulit praeter maternam qua eos alloquebatur linguam ad hoc ut eorum sibi animos devinciret seque

(1) ἄνδρες Ἀθηναῖοι formula classica inchoandi apud Demosthenem et oratores classicos.

(2) δεισιδαιμονεστέρους i. e. pientiores (solito, communi usu) numinis cultores. Δεισιδαίμων a δείδω timeo, revereor, et δαίμων numen.

(3) Gradus hi (ἀναβαθμοί) non carceris ullius erant, sed declivii in cuius summitate erat Antonia arx, et per quos ascendebatur a templi planitie ad arcem.

quem paulo ante ad necem expetebant, attenti ac reverentes auscultarent. Simili arte usus coram Agrippa, huius quoque regis animum ita sibi conciliavit ut ex adversario amicum redderet.

Quamvis vero Paulus vel artem vel donum ita sibi conciliandi animos possideret, putandum non est id impedimento fuisse ne sese his oblectamentis expediret cum ad thema auditoribus fortasse ingratum descendendum esset. In iisdem his orationibus id perspicue apparet. In Areopago, ubi primum brevia illa insinuationis verba pronuntiavit, statim, semel complanata via, in argumentum recta delabitur: " ego huc eo scopo delatus sum ut illum ipsum Deum quem ignorantes colitis, in posterum vera fide revereamini: Deum inquam, coeli terraeque conditorem qui nostris hisce diebus Iesum in terras misit, terrarum orbis Iudicem, atque in collati muneris fidem eum a mortuis suscitavit „. Certe parum erat verisimile ut auditores sub illis verbis insinuatione ac benevolentia plenis, repentinum fulmen suspicarentur quod duplici eos gravissimo illo ictu percelleret: unitatis Numinis et Christi terrarum Iudicis. Idem facit in oratione ad iudaeos cap. 22: postquam eorum aures et animos brevibus illis laudibus etsi admodum selectis demulsit, ad propositum recta convolat: " ego quidem olim illud eram quod vos estis; ego quoque fui persecutor Christi: sed nunc miro modo per eum transformatus, sum eius Apostolus! „

Nec minus sagacitate pollebat qua in difficilimis rerum adiunctis, opportuno tempore usus, ambiguam propriae causae conditionem in propitiam vertere noverat. Cum a tribuno Lysia parum prudenter coram Synedrio sisteretur, quippe cuius praeses et plurimi in consessu infensissimi Pauli adversarii essent, adeo ut ad prima Pauli verba praeses eum percuti in facie iuberet; ipse, minime fractus animo, animadvertit adesse in consessu commistos cum sadducaeis multos pharisaeos; tum, revocata per summam artem controversia ad articulum de resurrectione quem, ut notum est, negabant sadducaei, pharisaei fervide profitebantur, ita considentium sententias divisit, ut coetus, re infecta dissolveretur.

In serie autem orationis Paulus in auditoribus animi motus admodum varios ciere noverat: terret, solatur, conmovet, convincit. Durante biennio caesareensis captivitatis Felix libenter Paulum conveniebat; cum autem quadam die de iustitia et castitate, habita nimirum auditoris ratione, dissereret, talia protulit ut perterrefactus praeses colloquium intermitteret dicens: " quod nunc attinet, vade; opportuno autem tempore accersam te „. Nemo ignorat

quisnam esset Felix: eius extorsiones n provincia celeberrimae sunt, nec minus nota eius inmodica libido; religionis sensus vix ullus; tamen ad verba illius hominis quem vinctum tenet, Felix contremiscit. Paulus non ignorabat propriae eloquentiae vim; et saepe in suo ministerio ea arte et dono usus est in obsequium veritatis. Praeter exempla allata citari quoque possunt verba sive ad magistratus et ministros qui Philippis ad carcerem convenientes ab Apostolo de iniqua se gerendi ratione convicti sunt, sive etiam ad Gallionem etsi brevissima; item, conatus sese in medias turbas coniiciendi in ephesino Demetrii tumultu. Neque exempla haec unica fuerunt in ministerio Pauli: evidens est virum qui tam eximiis dotibus eminebat, centies iisdem usum fuisse, cum eius vita aliud non fuerit quam continuus oratoriae artis usus per totos triginta quinque annos. Forsan obiiciet quis haec non ita facile conciliari cum exiguo apud iudaeos in eorum Synagogis successu, aut cum opinione corinthiorum de eius prae Apollo v. g. eloquentia, vel etiam cum iudicio quod superius nos ipsi pronuntiabamus de quibusdam Pauli deficientiis. At si de iudaeis sermo est, praecipua talis insuccessus causa non Pauli ineptitudo fuit, sed iudaeorum obstinatio et odium in Evangelium ac religionem christianam quod proverbiale fuit ab initio christianismi. Aderat praeterea duplex validissima ratio cur speciali modo in Paulum inveherentur: prima erat quod eum veluti insignem transfugam considerabant, cum ex ministro Synedrii, tempore primae persecutionis, in ardentissimum nominis Christi propagatorem mutatus esset. Accedebat quod, ut ex exemplis quae Lucas nobis ex vita Pauli conservavit constat, Apostolus portentum suae conversionis creberrime memorabat cum ad iudaeos loqueretur, id quod maxime illos irritabat, cum Christum tam ingenti gloria et potentia ornatum exhiberet. Altera vero causa erat quod, ut ex Act. 22, 21. 22 apparet, iudaei aegerrime ferebant Paulum praedilectionem in gentiles ostendere, se posthabitis, ut ipsi putabant. Hinc etiam facile aures calumniae praebebant quod " discessionem a Moyse „ inter iudaeos Diasporae praedicaret. Corinthiorum vero opinio de Paulo nitebatur partim imperitia iudicantium qui nonnullarum mere externarum dotum vel absentia vel exigua excellentia decepti, quas in suis circulatoribus suspiciebant, ut garrulam loquacitatem, expeditum sermonem, audaciam; aurum pro aurichalco et aurichalcum pro auro aestimabant: partim, ut videtur, timiditate quadam et aliquo forsan in lingua defectu qui eum non ita promptum et

expeditum ostendebat, nimium offendebantur ; partim praepostera methodorum a Paulo adhibitarum intelligentia. Cum Paulus semen fidei primus apud corinthios sparserit, opus ei fuit extremam simplicitatem adhibere : alii vero praecones evangelici, v. gr. Apollo, Corinthum adierunt cum iam fideles provectiores essent (1) : hinc nihil mirum quod altiore etiam forma corinthios instituere possent.

Hinc factum est ut, cum Paulus Corintho egressus sit antequam altiores catecheses posset exordiri, nonnulli ex corinthiis de Paulo iudicarent iuxta simplicem illam methodum quam in primis catechesibus adhibuerat. Demum, quod superius in Paulo deficientias quasdam agnosceremus minime officit quominus ex altera parte egregias ac praeclarissimas excellentias in eo suspiciamus. Timiditas quaedam, titubatio aut etiam tarditas loquelae vix non praestantissimorum virorum nota fuit (2).

At Paulus in suis scriptis atque in suo ministerio non oratorem tantum sed eximium quoque philosophum se prodit. Quocirca notandum ante omnia non eum solummodo philosophi laudem mereri qui seorsim hanc facultatem excolit, aut qui novas theorias invehit quibus arduas de mundo, de homine, de Deo controversias illustrat ; sed illum quoque qui cum themata quaevis evolvenda sumit, ea pertractat non forma vulgari aut pedestri, sed ampla et nobiliori : cum argumenti analysin instituit sub altiorum principiorum fulgore, cum illud revocat ad transcendentalia axiomata. Paulus certe non excoluit seorsim philosophicas disciplinas ; non potest connumerari cum Platone et Aristotele, Zenone vel Socrate. At sub altero respectu dubitari nequit quin Paulus se haud mediocrem philosophum in multis ostendat. Sic altissime, quamvis mira brevitate, quaestionem de Dei divinorumque attributorum notitia per rationem pertractat. " Illud, scribit ad Rom., quod in substantia divina invisibile, i. e. impervium, homini est, quodque, si in se ipso atque in propria substantia attingendum

(1) Secundum Act. 18, 24-28 Apollo adit primo Corinthum ut evangelicus praeco postquam Paulus per 18 menses fideles corinthios in fidei elementis excoluerat.

(2) Sic Moyses, sic de Virgilio narratur : Demosthenes quoque non iam ab initio egregias illas dotes ostendit quas postea. — Quae de Pauli summa eloquentia diximus, praestantissimi quique critici et interpretes omnis aetatis atque professionis libenter agnoscunt, certatim Apostoli hac in re laudes celebrantes. Omnes Hieronymi pronuntiatum probant, quod Pauli sententiae non verba sed " fulmina „ sint.

foret, inaccessum omnino humanae menti maneret, redditur visibile ac pervium intellectui inde a tempore creationis, simulatque intelligentia nostra illud ope rerum creatarum contemplatur. " Brevissima hac explanatione Apostolus mira perspicuitate hoc non adeo breve ratiocinium evolvit: divinum esse atque eius perfectiones si in se considerentur, excedunt facultatem intellectualem hominis, et nisi suppeteret aliquid extra esse divinum, cuius ope perspicere possimus id quod in se ipso est nobis impervium, homo careret omni notione divinitatis. Sed actio creatrix imprimit in creatis tam conspicuum sigillum dependentiae, atque, eo ipso, derivationis ex substantia ac perfectionibus divinis, ut creaturas singulas reddat quasi totidem divinitatis specula quae fulgores divinos sic temperatos emittunt ut iam mentis humanae imbecillitati pervii reddantur, eamque facile in Dei notitiam inducant. Paulus saepissime argumentum hoc sub multiplici forma retractat. Cfr. Act. 14, 15-17; 17, 24-28 etc.

Paria dici debent de his quae circa legem naturalem disserit. Quamvis Apostolus legem naturalem non appellet sicut mosaicam nomine " legis „ (νόμος) quippe quae, dum lex mosaica promulgationem externam et catalogum item externum praeceptorum exhibet, lex naturae solum interna rationis voce innotescat atque ad percipiendas eius intimationes homo ad interna se convertere adigatur, agnoscit tamen in ea eique vindicat essentialia legis: praeceptum, coactionem et sanctionem. Hinc gentiles etsi lege mosaica non fruantur, non ideo carent, iuxta Apostolum, morali norma suarum actionum: " ipsi sibi sunt lex „, sculptam sibi legem seipsis gerunt. At Paulus non contentus asserto, validis illud firmat argumentis ex intimationum legis actuatione sub rationis ductu. Nam ad singulos moralis ordinis motus, ait, erumpunt in animo " dictamina „ quae nunc probando aut improbando actum nondum exercitum; nunc laudando aut coarguendo iam consummatum, actionum honestatem vel secus, itemque operantis meritum vel reatum denuntiant coram externo quodam et excelso Vindice atque eius nomine. Porro, eo ipso quod intimationes ad quas dictamina respiciunt, in omni homine insunt et universos homines ligant, nequeunt radice tenus ab homine ipso prodire, qui non valet se, multo minus ceteros omnes et naturam humanam, ut talem, officio ligare; sed a naturae ipsius dominatore ac conditore qui, cum

ipsa existentia, intimationes animo insculptas humanae naturae indidit (1).

Forsan non desit aliquis cui haud facile captu videatur quomodo Paulus asserat « hominem sibi legem esse », cum philosophia kantiana totidem verbis idem axioma enuntiet. Et revera Kantius paulini commatis haud certe immemor et forsan aemulus, scribit de norma morali quam homo intime experitur atque de eius pronuntiatis : « ad horum pronuntiatorum vocem scelestus quivis, vel audacissimus, contremit atque abscondi compellitur » : en paulinus conscientiae tremor coarguentis et condemnantis. At in tanta conformitate sonorum, adest immane discrimen in sensu. Iuxta Kantium pronuntiata illa « seipsis » hominem ligant : mens ipsa humana quae pronuntiata promit, est legislatrix et domina quae propria scita veluti obligantia profert, In pronuntiatis illis nec potest nec debet quaeri altior causa *absolutae* et *categoricae* necessitatis qua sese imponunt ; « nam, ait Kant, quamvis hanc absolutam necessitatem qua sese rationis dictamina imponunt, minime penetremus, penetramus illorum impenetrabilitatem » ; i. e. quamvis profecto arcana sit origo indolis absolutae et categoricae quam prae se ferunt, attamen indoles haec evidens est ex se, in eaque sola penitus sistendum nec ulterius progrediendum est. At iuxta Paulum etsi pronuntiata mentis vere absoluta et categorica sint atque evidenter ut talia prodantur, indoles haec absoluta et categorica pronuntiatorum respicit « factum » non « titulum facti ». Argumentatio Kantii putidum sophisma est et posset cum proportione cuivis legi applicari. Etiam in lege a Principe lata et chartis expressa, praescriptiones in charta exaratae prae se ferunt et vere possident vim sese imponendi, ac singuli articuli, verbis ipsis quibus constant, hanc impositionem exprimunt : dicetne pro-

(1) Sedulo animadvertendum in mente Pauli dictamina probantia vel improbantia, laudantia vel coarguentia non " constituere „ ipsam legem, sed eam " subaudire „ : lex est anterior et profundior testimonio conscientiae probante vel improbante, laudante vel coarguente : imo est fundamentum talis testimonii : testimonium non erumperet nisi praeexsisteret norma praeceptiva et prohibitiva cuius pronuntiatis conformantur vel contradicunt hominis propensiones et reluctantiae. Sed non minus attente notandum Apostolum minime sistere, ut Kantius, in ipsis dictaminibus vel etiam " pronuntiatis imperativis *rationis* „ : Paulus in intimationibus naturae cernit " ipsam legem mosaicam „ (i. e. legem divinam ipsam quae in mosaica elucet, seclusa promulgatione externa, quae tamen suppletur intimatione rationis) : " ipsi sibi sunt *lex* „ scil. mosaica. Fundamentum paulinae intuitionis est " natura *praeceptiva* intimationis pro omni casu et omni subiecto „ ; talis intimatio nequit esse nisi divina ; homo nequit sibi absolute imperare, multo minus sibi et cuivis alii homini. Est quidem " divina „ non substantive, sed utique " repraesentative „ : intimationes, ipsa sua imperativa categorica et universali indole, ut a Deo ipso inditas se produnt.

pterea vel novissimus inter rusticos chartam vel praescriptiones in charta exaratas seipsis obligare, i. e. in seipsis habere titulum et fundamentum obligatoriae illius impositionis? Paulus Kantio multo profundior ac perspicacior pugnam conceptuum detexit inter indolem absolute imperativam pronuntiatorum mentis humanae, et huius autonomiam, cum fieri absolute nequeat ut homo nec seipsum, nec multo minus, seipsum et simul alios omnes officio liget. Homo non est suipsius effector, nec potuit proin sicut esse aut facultates propias sibi donare, sic eo ipso nec facultatibus indere leges quibus reguntur: quod si homo sibi ipse id praestare nequit, multo minus aliis. Intimationes ergo rationis non substantive et seipsis sed repraesentative et ut a Deo sic inditae, vim suam obtinent.

Nec minus peritum solertemque investigatorem se Paulus ostendit in analysi internorum phaenomenorum animi, atque admodum accuratam notitiam prodit facultatum, affectionum, propensionum et actuum humanorum mutuique nexus et habitudinum quibus ligantur inter se. Quo in genere eminent prae aliis capita 6 et 7 Epistolae ad Romanos. In 6 mira perspicuitate describit dominium quod successive exercent in hominem concupiscentia et gratia mediante libero arbitrio quod propria electione se facultatesque animi quarum actibus praeest, sub ditionem tradit vel concupiscentiae ante iustificationem vel gratiae sive iustitiae post illam. In cap. autem 7 subtili analysi explanat quomodo ante iustificationem revera, ut asseruerat cap. 6, non lex sed concupiscentia vera sit fontalis (1) causa pravarum actionum. Controversiam hanc ultimam provocat ipse Apostolus 7, 5. 6 cum asserit ante iustificationem " propensiones vitiosas per legem excitari „.

At cum analysis subtilitate et profunditate certat in Paulo conceptionis amplitudo iuxta thematis pertractandi diversitatem; et cum ardua v. gr. historiae religionis problemata evolvit ita disserit quasi aetates omnes generis humani ante conspectum suum adstantes et sibi succedentes prospectaret. In primis Epistolae ad Rom. capitibus vult ostendere " iustitiam Dei „ i. e. veram probitatem qua sola homo gratus Deo est, tantum in Evangelio pandi, atque ut hoc evincat, demonstrationem historicam adhibet hoc processu: " frustra quaeretur, extra Evangelium, vel indicium huius iustitiae: vicissim autem in Evangelio et christianismo qui

(1) Sit venia verbo; sed discrimen inter *triplicem* agentem quem in actu deliberato distinguit Paulus: (natura propellens, lex praecipiens, arbitrium decernens) imponit specialem technologiam.

modo natus est, talis iustitia splendide ob omnium oculos fulget „. Divisa igitur humanitate per tempus et spatium in triplicem categoriam: paganismum, iudaismum et christianismum, argumentationem inchoat proposita, quasi in tabula, historia religiosa paganismi quam hoc duplici lineamento complectitur: paganismus potuit agnoscere, imo in speculatione agnovit Deum, eius nimirum exsistentiam, unitatem, excelsam maiestatem: at nedum eidem illum honorem deferret quem celsitudinis divinae proprium esse probe perspiciebat, sicque honorato Deo eiusque lege sancte custodita, Creatoris benevolentiam sibi conciliaret gratusque ei redderetur; contra, egoismo deceptus ac voluptatibus et cupiditate irretitus, divinitates sibi confinxit quae propriis cupiditatibus conniverent, translata per immane sacrilegium ad res vilissimas (hominem, bestias, reptilia), excelsa numinis maiestate. Hoc primum lineamentum sequitur alterum: ut iustam sceleris mercedem paganismo rependeret derelictae veritatis, dereliquit vicissim Deus paganos ut se in nefandorum scelerum voraginem inmergerent, defoedata turpissime humana dignitate. En, concludit Apostolus, vera paganismi eiusque iustitiae effigies: nedum resplendeat ullibi iustitia quae hominem reddit Deo carum, refulgent e contra ubivis fulmina divinae in eum vindictae (1, 18-32).

At, estne multo melior rerum conditio in iudaismo? Iudaeus quidem legem iactat et paganismi nefanda scelera abominatur; sed iudaeus eadem ipse quotidie patrat quae tam severe in paganis condemnat, sicque eidem divinae vindictae obnoxium se iudicat, cum Deus secundum Scripturam non pro personarum " facie „, sed " secundum opera „ homines iudicet (2, 1-3. 20). Christianismus vero recens natus fidemque in Christum prae se ferens ostendit coram omnibus charismatum divinorum profusionem, quae Deus certe nonnisi in eos qui grati sibi sunt, profundere potest (3, 21-26).

In cap. 5 vult processum restaurationis per Christum explanare mediante hominis iustificatione et sanctificatione: at quo modo id agit? Semper amplus, semper sibi par, historiam humanitatis ob oculos ponit hoc quasi duplici cardine versam: Adamo et Christo; lapsu et reparatione, morte et vita. Adam, propriae fortunae arbiter, itemque fortunae posterorum in ordine gratiae pro sua in servando vel transgrediendo Dei praecepto libera electione, per suam inobedientiam posteros secum in culpam et infortunium propellit: Christus per suam inmolationem in cruce, inserit sibi, cum moritur, homines universos; atque oblata pro

eis morte, huius valorem ac merita pro iis omnibus offert in eosque transfundit qui per fidem et baptismum velint sibi eadem vicissim applicare. Talis fuit, ait Paulus, divina oeconomia in generis humani ad gratiam destinatione : hinc " quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum ingressum est, et per peccatum mors, ita ut mors omnes invaderet propterea quod omnes peccaverunt ; pari modo, per unum hominem vicissim restituta est iustitia et cum iustitia, vita, nam omnes et singuli possunt si velint, per fidem, applicare sibi salutem „ (1).

(1) Qui haec expenderit quae de Pauli dotibus mentis disseruimus, facile iudicium ferre poterit de his quae super eodem argumento disputat Deissmann (Paulus 53-56). Paulus, scribit, homo fuit plane ignotus mundo civili suae aetatis : nullus ex historicis coaevis aut supparibus eum memorat ; nec fuit revera ulla insignis intelligentiae dote commendandus. Eum eruditi coaevi non inmerito appellabant virum ignotum. Ipsemet, sicut immanem distantiam agnoscit quae suos fideles a nobilioribus coaevae societatis classibus separat, parem quoque in seipso graduum differentiam cum altioris culturae coetibus aut viris ultro fatetur. Se declarat idiotam sermone, irridet amara (et vix non invida !) ironia humanam sapientiam ; se iactat quasi divinae stultitiae praeconem, doctis atque indoctis debitorem ; se designat ut saeculi ludibrium, veluti inter depressissimos quosque in genere humano fortunam sortitum (Deissmann nimirum Pauli verba de se, sensu plane materiali et absoluto intelligit !) Si obiiciatur, pergit, epistolarum obscuritas quae tot arduas quaestiones suscitat inter doctos, respondendum est parem obscuritatem reperiri saepe in papyris illius aetatis, quae tamen a rusticis scribebantur, et destinatariis paris conditionis nullam difficultatem creabant Porro martyres scilitani, qui ut Harnack dicit, " omnino plebeii erant „, non quasi de hieroglyphicis loquuntur, cum Proconsuli respondent se praeter alios sacros libros, " litteras pii viri qui Paulus vocatur „ possidere. Sunt quidem apud Paulum quaedam difficilia (2 Petr. 3, 16), minime vero omnia aut pleraque. Demum etiam hodie non desunt apud nos pii christiani qui Paulum legentes, etsi illiterati, praecipua egregie percipiunt. — Vix intelligitur quo pacto vir doctus, qui Paulum serio legerit, talia ex certa animi sententia proferre possit. Quod Paulus coaevis ex paganismo litteratis ac philosophis non tam ignotus quam parvo in pretio habitus sit, aut etiam contemptus, id non magis mirum est quam quod passim apud superbos respectu humilium aut apud sectarios respectu piorum etiam hodie haud raro accidit, et talis exsistimationis exempla plurima Deissmann reperire in Luthero et eius sociis potuit. Causa enim contemptus non est quod inter humiles et pios viri praestantissimi non adsint, et saepe etiam praestantiores in humanis dotibus, quam in contemnentium grege, sed vel superbiae tumor vel notiones praeconceptae vel odium aut invidia. Huius rei in pluribus ordinibus exempla multa sunt. Cum Deissmann ait Paulum a coaevis appellatum fuisse " ignotum hominem „ nescio ad quodnam de Apostolo in eius historia testimonium alludi possit praeter illud Act. 17, 18 quo Paulum

3. Dona Pauli supernaturalia

At quae hactenus recensita sunt sive nativa sive per artem et studium comparata aut expolita naturae dona summum fastigium attingunt additis supranaturalibus, quae procul dubio praestantiora adhuc naturalibus in Paulo fuerunt. Cum Deus absolutus Dominus sit non minus naturae quam gratiae, potuit quidem ex praescientia, qua futura praenovit, ex providentia, qua eadem disponit atque ex omnipotentia qua eorum executionem liberrime administrat, Paulum iis naturae donis iam ante conversionem, imo et ab utero matris exornare quibus aptissimus ex hac parte ad munus postea illi commendandum redderetur. Id a Providentiae usu alienum non esse ex pluribus Veteris Testamenti testimoniis discimus ubi vel de Messia, vel etiam de aliis ad magna munera

---

Athenis quidam appellant σπερμολόγον " seminum collectorem „ (1); sed horum testimonium spernendum est. Ignotum non fuisse Paulum coaevis constat non solum ex innumeris quos sua praedicatione ad Evangelium etiam in Caesaris domo pertraxit, sed eo quod eius causa in tribunalibus imperatorum per quatuor annos coram praesidibus, regibus, praecipuis magistratibus acta sit, quodque demum sub Neronis gladio succubuerit in orbis romani capite, minime inscio imperatore. Certe vir obscurus non est qui maximo cum honore verba habet apud Sergium Paulum et Gallionem Proconsules, apud Felicem et Festum, apud Agrippam, in tribunali Caesaris (2 Tim. 4, 14. 15). Descriptio Pauli de conditione fidelium corinthiorum (1 Cor. 1, 26. 27) nec de omnibus communitatibus loquitur a Pauli conditis, nec de ipsis corinthiis absolute dicit abfuisse inter illos plures altioris et minime plebeiae conditionis ut recte agnoscit Dobschütz (*Die urchristl. Gem.* p. 19) et evidenter ostendit 1 Cor. 11, 20. 21. 22. Cum Paulus se declarat " idiotam sermone „, statim addit: " sed non scientia „ (2 Cor. 11, 6). Cum vero " sapientiam „ profanam stultam appellat coram Deo, cumque se huius stultitiae praeconem iactat, non de scientia loquitur etiam humana, quae vera scientia sit, sed de illa quam iactabant pagani in re religiosa (Rom. 1, 22) quamque describit Rom. 1, 20-23; 28-32. Eodem sensu se dicit ludibrum saeculi, quo nimirum pii semper ludibrio sunt apud quosdam non minus ignorantes quam superbos. In papyris possunt profecto plura recurrere exempla obscuritatis: sed non tam agitur de obscuritatis facto quam de eius causa. Certe quae Deissmann effutit de perspicuitate epistolarum Pauli atque earum simplicitate palam produnt professorem protestanticum plus in tractanda philologia quam in exegesi horum scriptorum esse versatum.

(1) Si σπερμολόγον " seminum collectorem „ interpretemur. At fortassis non est hic vocis sensus, sed " conceptuum „ i. e. " theoriarum (peregrinarum) seminator „. Adductio in Areopagum potius alteri interpretationi congruit.

postmodum destinandis sermo est. Nec de solis gratiae praerogativis, sed de naturalibus quoque ibi sermonem esse amplitudo ipsa verborum suadet, atque ex ipso Paulo haud obscure confirmatur, cum de sua electione loquitur Gal. 1, 15. Neque enim segregatio illa singularis quam ibi memorat, vel ad dona gratiae iam tunc sibi collata referri potest, vel in sola praevisione de donis futuro tempore conferendis sistere. Evidens tamen est haec omnia nullo modo praecipua in mente Dei, sed solum subsidiaria esse, quibus via quasi paretur ad altiora charismata quorum ope inferiora illa complentur atque ad ordinem divinum evehuntur.

Et Paulum largiori adhuc manu in ordine gratiae quam in ordine naturae divinis charismatis cumulatum a Deo fuisse ex eius historiae et scriptis constat. 1°) Paulus in primis locupletissima eorum quae gentes pro suo munere edocturus erat revelatione ditatus fuit ut expressis verbis Gal. 1, 12 addita iurisiurandi fide (1, 10) asserit, pluribusque aliis locis Eph. 3, 5. 8-11 et 1ª Cor. 2, 10 confirmat. Nec contentus asserto, id statim eo modo quo potest, negativo scilicet atque indirecto ibidem late commemorat (Gal. 1, 13-24). Quam ampla, sublimis ac plena haec revelatio fuerit ex iisdem locis ad Ephesios et Corinthios apparet, cum profundissima arcanorum divinorum consilia circa opus a Christo consummandum respiciat. Paulum 2°) charismatum pneumaticorum copia ornatum fuisse ex 1ª Cor. 14, 6. 18 apparet. Iuxta primum locum Paulus parum corinthiis profuisset nisi " in revelatione, prophetia, scientia aut doctrina „ i. e. nisi his charismatis instructus et iis veluti impulsus ac repletus ad illos fideles locutus fuisset. Cum ergo constet Paulum corinthiis sua praedicatione plurimum profuisse, dubium esse nequit quin iis charismaticis donis haud vulgari mensura praeditus esset. Et de facto, paulo inferius (v. 18) se ornatum dicit dono glossolaliae plenius quam omnes charismatici corinthii. Praesertim vero eminuerunt apud Paulum in hoc genere, praeter alia, sapientiae atque scientiae charismata quae propria Doctorum erant, cum Apostolus non doctor utcumque sed doctorum Doctor ac totius orbis illuminator sua doctrina fuerit. Sane ipse Apostolus " sapientiam (σοφίαν) illam Dei, arcanam, mysteriosam, mundi sapientibus prorsus imperviam, solique Spiritui Sancto familiarem, utpote cui soli patent arcana Dei cogitata „, reservare se dicit edisserendam " perfectis „ i. e. fidelibus

non vulgaribus aut obviis quibusvis, sed selectis (1). Quod si sapientiam hanc altissimam potest quibusdam edisserere, eamdem procul dubio possidet. Possidet autem non aliunde quam ex dono Spiritus qui eam sibi, sicut reliquis Apostolis, communicavit.

3°) Praeter copiosam hanc communem cum reliquis Apostolis revelationem, Paulus alias quoque easque altissimas, etsi non sicut praecedentem, de rebus ad fideles communicandis sed potius secreto premendis, a Deo accepit, mediantibus raptibus, exstasi, abalienatione a corporeis (2 Cor. 12, 1-4). Apostolum non semel sed saepe, etsi non eadem semper amplitudine et satietate hisce favoribus fruitum fuisse, ex 2 Cor. 5, 13 perspicuum fit, ubi de mentis excessibus sive raptibus veluti de re sibi minime ignota aut insueta loquitur. 4°) Quod vero plus est, Paulus eximiis, in genere virtutum, donis ditatus a Deo fuit prout eius munus postulabat. Quantopere enim zelo, charitate, benignitate, paterna commiseratione, patientia, fortitudine, humilitate atque animi demissione fuerit insignis, tota eius historia passim prodit. Zelum Pauli praedicant non solum eius itinera et gesta ; sed maxime insignia quaedam suorum scriptorum loca ubi intima cordis pandit, commonstrant. Sufficiat citare locum 2 Cor. 11, 28. 29 ubi de continua sua pro ecclesiis a se fundatis sollicitudine, ac de intima participatione in quavis omnium et singulorum aerumna sive temporali sive spirituali loquitur. De patientia, descriptiones laborum atque aerumnarum quae leguntur 1 Cor. 4, 9-3 et 2 Cor. 11, 23-27 ; item 2 Cor. 1, 8 ; 1 Tim. 3, 11. Magnanimitatem, benignitatem, paternam bonitatem et condescensionem prodit tota 2ª epistola ad Corinthios, maxime 2, 4 ubi priores litteras " per multas lacrimas „ i. e. fusis, cum eas scriberet, copiosis lacrimis scriptas a se fuisse asserit.

De eius erga suos caritate tot monumenta sunt quot passus in suis itineribus, quot characteres in suis scriptis ; omnia enim et singula quae in suo ministerio per tot annos peregit non alio collimabant quam ad generis humani commodum, id semper per omnia quaerens ut quamplurimos posset, et a faucibus perditionis eriperet et ad Dei gratiam et dona transferret. Inde eius commiseratio in eos qui quomodocumque infortunio subiacent, aut congratulatio in eos quibus prospere res cedunt. " Quis infirmatur

(1) 1 Cor. 2, 6 sq. Paulus dicit se " sapientiam loqui „ (σοφίαν λαλοῦμεν) i. e. eloqui, edisserere : sumit nimirum sapientiam obiective.

et ego non infirmor ? „ exclamat scribens ad Cor. 11, 29 ; de congratulationibus vero cum prospere incedentibus innumera Epistolarum loca testantur. Communiter iam in ipsa Litterarum inscriptione effuso animo destinatariis congratulatur deque donis in eos Dei bonitate profusis paterne congaudet (1 Cor. 1, 5 ; Cfr. 1, 3 ; Col. 1, 9. 10) ; se saepe in decursu Epistolarum similia sensa exprimit (Rom. 15, 14 ; 16, 19). Insignia in hoc genere sunt quae ad Philipp. 4, 1 scribit, a quibus vix differunt quae de Corinthiis (2 Cor. 2, 2. 3 ; 11, 11) ac de Thessalonicensibus (1 Thess. 2, 19. 20) profert : suos semper in corde habet, eorum tam infortuniis quam gaudiis paterno affectu communicatis. Inde etiam intimus ille dolor et effusio etiam in lacrimas ob filiorum cuiusvis generis errata. Cum durante ephesina commoratione per domesticos Chloës et corinthii coetus delegatos graviora quaedam resciret ut incestuosi scelus, factiones, nonnullorum nimiam in Evangelii libertate interpretanda licentiam, Paulus summo moerore affectus est. Praeter Timothei primum, ac dein Titi, missionem ad perturbationum remedium, animosque quantum fieri poterat sedandos, scripsit graves illas litteras quas primam ad Corinthios appellamus quaeque testante ipso Apostolo in Epistola sequenti (2 Cor. 2, 4) nonnisi " ex multa tribulatione et angustia cordis per multas lacrimas „ exarabantur, idque et corinthii scirent quam vehementi in eos caritate flagraret (1).

Animi demissio in Paulo insignis fuit non obstante donorum affluentia tam naturalium quam supranaturalium quibus praeditus erat. Se declarat " minimum inter apostolos „ atque " indignum Apostoli nomine „ (1 Cor. 15, 9) " abortivum „ (ibid. v. 8) ; " qui olim Ecclesiam Dei persecutus sit „ (ibid). Similia habet imo et graviora 1 Tim. 1, 15. 16 ubi se " peccatorum primum „ et " blasphemum „ imo et " iniuriosum Christi contemptorem „ appellat. Quod si nihilominus alias egregia sua gesta exaltat, id nonnisi " compellente necessitate „ facit (2 Cor. 11, 30 ; 12, 11) atque ita

(1) Ibid. Sunt quidem plures qui litteras ad quas Paulus hoc loco alludit, diversas a nostra 1 ad Cor. faciant, et sine sufficienti fundamento. Vicissim alii, quia in eadem 2 Cor. post verba haec quae summum moerorem testarentur, deinde cap. 10, 3-12 ; 13, 2. 3 summa, ut putant, animi elatione loquitur, vel unitatem documenti scindunt, vel Paulum traducunt ut hominem levem et peregrinae indolis qui ex uno affectu in contrarium repente sine sufficienti ratione transit. Vera apparentium antilogiarum solutio est quod Paulus " vocem mutare „ (Gal. 4, 20) novit pro argumenti opportunitate.

ut quid in suis Deo, quid sibi adscribendum sit, constanter et accurate discernat, Deo gloriam, et potentiam; sibi infirmitatem assignans (2 Cor. 12, 7-10). Si post conversionem aliquid est, si magna imo maiora ipsis magnis Evangelii praeconibus, peragit id omne ex Dei dono habet (1 Cor. 15, 10); si gloriosa ac potentissima complet, ea Dei favore et auxilio complet (Philipp. 4, 13). Sunt profecto qui haec a Paulo non sincere sed pro formula; aut si sincero animo, nonnisi momentanee proferri autument; cum, pro suo ad extrema proclivi ingenio, a summa arrogantia ad imam deiectionem raperetur; ordinarie autem durum, superbum, propriae gloriae immodice cupidum, aliorum excellentiae invidum et inde etiam odio eos prosequentem se exhibuisse. Haec nimirum inverecunde et per summam iniuriam contra Paulum effutiuntur ob nonnulla in eius Epistolis perperam intellecta testimonia ut 1 Cor. 9, 1-15; 2 Cor. 10, 6-11; 11, 8-12, 4; Gal. 1, 8. 9; 2, 2. 6; 11-17; 5, 12. Si attente in his locis contextus et adiuncta considerentur nihil deprehendetur quod iure carpi possit. Proprios enim labores, proprium agendi in ministerio modum exponit sine ullius iniuria: si nonnumquam quibusdam in labore se anteponit, id veritate nixus facit ac necessitate compulsus. Loci ad Gal. in quibus supponitur se supra apostolos extollere, eos contemnere, bilem in eos effundere, non bene et secundum Apostoli mentem explicantur. Dirae in iudaizantes Gal. 5, 12 et Philipp. 3, 1 nihil prae se ferunt quod vel iusti vel etiam decori, attentis adiunctis mensuram excedant, eo vel magis quod sensus sententiae Gal. 5, 12 incertus est.

II. Pauli in ministerio praxis

1. Pauli apostolatus characteristica nota

Ex dictis in vita S. Pauli enarranda apparet a sua conversione usque ad extremum vitae halitum, Apostolum in perpetuo motu fuisse pro Christi nomine propagando. Nullus fuit in tota antiquitate vir vel celeberrimus ob eius itinera qui hac in re possit cum Paulo comparari. Nec Caesar, nec Pompeius aut Octavianus, imo nec ipse Alexander tot tamque prolixa itinera confecit! Quodque mirabilius est, Paulus haec tam laboriosa itinera peregit omni prorsus humano adiutorio destitutus. Bis saltem, quod sciamus,

cum captivus ductus est, et cum postea martyrio iam coronandus, eodem appulit, caput orbis Romam visitavit ; penetravit usque in Hispaniam ; saepius perlustravit Palaestinam, Syriam, Asiam minorem : maxima ex parte, Macedoniam, Achaiam, maris Mediterranei insulas. Hac indefessa pro christiano nomine dilatando activitate evasit exemplar praeconis evangelici ; atque haec praecipua ratio fuit simul cum altera de plenissima gestorum Pauli notitia, quare Lucas ad apostolorum labores usque ad extremum terrae quasi in compendio describendos et in exemplo exhibendos, Paulum prae ceteris delegerit (1). Paulus in praedicando Evangelio hanc normam secutus est ut magnas potissimum metropoles evangelizandas assumeret, ex quibus veluti ex totidem centris ac potentibus focis, Evangelii fulgores ad regiones circumiacentes propagarentur. Id Lucas expressis verbis de Pauli ministerio apud ephesios in tertio itinere (Act. 19, 10) asserit, idemque ex pluribus Epistolarum locis apparet, ut cum 2ª Cor. 1, 1 et 1ª Cor. 1, 2 non Corinthi incolas solum, sed universos in Achaia fideles salutat ; aut cum 1ª Thess. 1, 8 ait Thessalonica diffusum fuisse Dei verbum per universam Macedoniam. Damascus, Ierusalem, Antiochia, Paphus et Salamis, Antiochia Pisidiae, Iconium et Lystra ; Philippi, Thessalonica, Athenae, Corinthus, Roma : en catalogus urbium quae transitum Pauli per universum orbem graeco-romanum signant (2).

(1) Ut ex schematis collatione (Act. 1, 8) cum libri compositione et structura apparet, Lucas in conscribendis Actibus hunc sibi scopum praestituit ut apostolicae per orbem praedicationis compendiarium conspectum traderet. Huic autem scopo pertingendo alterutra ex his duabus via obiiciebatur : aut omnium apostolorum gesta summatim perstringere, aut unum aliquem seligere in quo ceu speculo, laboris apostolici specimen liceret perspicere. Lucas alteram viam praetulit et quia Paulus egregium apostolici praeconis exemplar suppeditabat, et quia eius gesta sibi exploratissima erant. Contulit sine dubio maxime ad hanc selectionem quod librum suum Theophilo dicaret, viro qui ex gentilismo ad fidem venerat, et cui proinde Pauli persona carissima erat.

(2) Scilicet, prostant in hoc catalogo nomina celeberrimarum urbium orbis romani, quae maxime eminebant sive incolarum frequentia, sive opibus et cultu vitae, sive commercio et luxu, sive etiam litteris ac scientia. Antiochia Syriae tertium tenebat locum in toto imperio post Romam et Alexandriam. Ephesus emporium erat totius Asiae anterioris, quae omnimoda cultura Graeciam proprie dictam sive Helladem, proxime, iam a saeculis, sequebatur. Thessalonica metropolis Macedoniae, per viam Egnatiam et Dyrrhachium recta via orientem cum occidente et ipsa Roma per Adriaticum mare et viam Traianam copulabat. Corinthus Achaiae caput, idem breviori ac commodiori via per utrumque suum portum ad mare aegeum et ionium, praestabat. Athenae emporium erat totius

Quaenam vero fuit secreta ratio quae Paulum impellebat ut talem methodum magnas urbes evangelizandi, atque in ipsis concrete seligendis has potissimum quas enumeravimus prae aliis praeferret? Asserit Harnack Paulum in peragrando orbe, hoc proposito ductum fuisse ut celerrime et quasi per transversalem et angustam lineam, non vero per circulares missiones, quam brevissima via, universum mundum percurreret, quia nimirum firmiter ei erat persuasum secundum Christi adventum se adhuc in vivis agente consummandum iri, ac proin breve hoc spatium temporis ampliorem praedicationem non permittere, si iuxta ipsius Christi praescriptionem Evangelium ante illum adventum in universo orbe nuntiandum erat. Hanc de Evangelii propagatione conceptionem addit Harnack, Apostolus sibi effinxerat iam tum cum secundum iter apostolicum inchoaret, eamque veluti divinitus sibi inspiratam reputabat: ita et non aliter explicari debet locus Act. 16, 6-8. Certe primaevum eius consilium id fuerat ut Asiae littora ad mare Aegeum adiacentia Dei verbo illustraret, sicque hellenorum apostoli honorem ei adiungeret quem sibi in primo itinere barbaris evangelizandis comparaverat. Sed cum Phrygiam traiiceret, consilium istud alio multo altiore commutavit, evangelizandi nimirum universum orbem. Ideo cum ad fines Phrygiae occidentales pervenit, cursum non ad occidentem (Asiam) aut septentrionem (Bithyniam) convertit ut obvium videbatur et ipse antea cogitarat, sed ad septentrionem occidentalem; et traiecta celeri cursu Mysia, in Macedoniam perrexit, ut exinde in Achaiam ac postea in orbem

---

culturae hellenicae, quo aut primae, aut altioris institutionis gratia, non solum ex Oriente sed ex Italia etiam nobiliores quique confluebant. Athenarum scholas Cicero, Horatius, imo et Caesar frequentarant. Ad superstitiones paganas, luxum et corruptionem quod attinet, Ephesus et Corinthus, illa Artemidis, haec Aphroditis fano celeberrimae erant. Mirum prima specie videri posset quod a censu exulet Alexandria, cum, si commercium, cultum vitae atque omnigenam scientiam spectes, facile inter omnes, non exclusa Roma, primatum teneret. At duplex causa Paulum ab Aegypti metropoli remotum tenuit: quod a communi cum imperii centris commercio divulsa, non satis proposito Apostoli de lucrando tempore sese accommodabat; et quod, cum esset iudaismi alexandrini sedes, graviores forsan difficultates ei parasset. Adde quod Alexandrine mature admodum aderat praeconum evangelicorum copia. Nulla enim ratio adest negandi vel addubitandi traditionem de Marco alexandrinae ecclesiae fundatore, eiusque, ad hierosolymitanae exemplum ordinatore. (Hier. Vir. ill. 8).

occidentalem (1) penetraret (2). Huius suae assertionis fundamentum quaerit Harnack in verbis ipsius Pauli Rom. 15, 19-24 et 1, 10-13. In primo namque loco duo profert Paulus quae suam de propria vocatione mentem produnt: quod praedicationem suam a Palaestina usque ad Illyricum per angustam lineam transversalem, " evangelizationem appellet totius orbis orientalis „, qui intra Ierusalem ac fines Macedoniae atque Illyriae iuxta notiones geographicas illarum aetatum claudebatur (3); et quod proin iam nunc sola orbis occidentalis evangelizatio sibi restaret.

Aequivalentia haec evangelizationis " angustae zonae transversalis „ cum evangelizatione " totius regionis „ explicari aliter non potest quam hypothesi de proximitate Parusiae, quae ampliorem Evangelii praedicationem non permittebat si Christi praedictio implenda erat. In cap. autem 1 perspicue ostendit tempore quo scribebat Epistolam (ann. 54) (4) antiquum iam esse in suo animo propositum Romam adeundi, cum expresse dicat *saepe* antehac iter romanum se non solum cogitasse, sed tentasse (πολλάκις προεθέμην = saepe mihi proposui, καὶ ἐκωλύθην = et impeditus sum): id quod non meram cogitationem aut propositum inefficax, sed, ulterius, conatus ac tentamina executionis subaudit. Propositum igitur Romam proficiscendi Paulus conceperat iampridem, i. e. tempore procul dubio quo eum cernimus, relicta Asia, breviore et expeditiore quae patebat via, Italiam versus properare, per Macedoniam et Achaiam (5).

Theoria Harnack habet prima specie aliquid verisimilitudinis, in facto nimirum quod Paulus in secundo itinere, relicto primo proposito Asiam evangelizandi, quod evidenter fovebat cum iter aggressus est, non alias Orientis provincias, ubi nondum erat praedicatum Evangelium, verbo Dei erudiendas susceperit, sed Europam, et quidem via quae omnibus inspectis, si non brevior, expeditior certe erat volenti quam primum Italiam attingere. At phantasia vel etiam verisimilitudo quaevis speculativa non est historia, nec factorum explicatio historicis fundamentis innixa. Ante omnia, verum non est Paulum Rom. 15, 19-24 praedica-

(1) Secundum ancyrense monumentum (col. V, lin. 30, text. lat.) limes inter orbem orientalem et occidentalem (graecum et latinum) erat zona per mare ionium determinata: Illyricum inchoabat orbem latinum.

(2) *Miss. und Ausbr.*[2] 1, 74. 75 (1915).

(3) Cfr. dicta de monumento ancyrano.

(4) Ann. 54 sec. suam chronologiam; secundum nostram 58.

(5) Pag. 73. 75.

tionem suam Hierosolymis usque ad Illyricum describere per simplicem angustam lineam rectam sicque hanc praedicationem synonymam facere cum evangelizatione completa regionum circumiacentium. Cum Paulus verba haec scriberet postquam per 24 annos (1) desudaverat in evangelizandis provinciis orientalibus, cumque ex allatis testimoniis Lucae et Pauli ipsius, perspicue constet urbes primarias in methodo Apostoli atque in eius praxi minime repraesentare totalitatem agri per Paulum exculti, sed centra solummodo ex quibus per regiones circumiacentes late ac copiose irradiaret Evangelium, sive per excursus ipsius Pauli, sive per eius adiutores ; nullo modo dici potest duos terminos extremos Ierusalem et fines Illyrici determinare in mente Apostoli praedicationis passus per lineam transversalem. Et sane Paulus expresse praeter limites extremos regionum interpositarum, adiungit : καὶ κύκλῳ « et per circuitum » : vult igitur dicere et dicit se verbo Dei excoluisse tractum terrarum qui inter Ierusalem et Illyricum distenditur, at non linea recta tantum, sed peracto ampliissimo utrinque circuitu per provincias hinc inde latissimo tractu patentes, ut universa eius praedicationis historia docet. Deinde, exploratum est Paulum minime unquam fovisse erroneam opinionem de proximitate Parusiae ; id quod perspicue apparet ex 2 Thess. 2, 2-5, quam scribebat primo iam suo in caput Achaiae adventu. Porro si Paulus fovisset ullo tempore talem persuasionem, maxime illam fovisset in initiis sui ministerii ; nam opinio illa praecipuum suum fundamentum quaerit ex verbis Christi in Apocalypsi synoptica (2) ; hinc si Paulus in illis initiis talem persuasionem fovit, obvium erat ut iam tunc conclusionem de traiiciendo per transversalem orbe eliceret et praxi mandaret. Quod si ita est, quomodo explicatur eum totos 20 annos consumpsisse in evangelizando tractu relative angustissimo Palaestinae, Syriae, Cypri et Galatiae ? (3) Falsum etiam est « unicam » explicationem probabilem de via per Paulum suscepta in secundo itinere detegi in erronea Apostoli persuasione de proximitate Parusiae. Praeter illam, adest alia quam ibidem Lucas dat de divina revelatione Pauli consilia bis corrigente (Act. 16, 6. 7). Harnack quidem ex praeconcepta opinione de ordinis supranaturalis repugnantia, eam quam Lucas « revelationem » dicit, transformat in subiectivam Pauli imaginationem : at hoc in primis non est interpretari documenta, sed propria praeiudicia obtrudere. Deinde omnia suadent revelationem illam factam fuisse

(1) Epistola ad Rom. scribebatur anno 58, 24 post conversionem.

(2) Notandum non agi de Apocalysi synoptica necessario " scripta „, sed quae per oralem traditionem poterat servari, et certissime omnibus erat apprime nota.

(3) Iam vidimus secundum Gal. 2, 1 Paulum non aggressum fuisse alterum iter apostolicum nisi 18 circiter annis post conversionem et sic ann. 48 vel 50 aetatis.

Paulo per prophetas ecclesiarum quae erant in extremo Phrygiae limite (contra quarum existentiam nulla cogens affertur ratio) (1) et inter Mysiam et Bithyniam, quas regiones iam alii praecones evangelici, probabilissime Petrus, peragraverant.

Admissa demum et executioni mandata illa revelatione de evangelizanda Macedonia, non ideo Paulus deserit sed constanter fovet, propositum pristinum de offerendo Evangelio asianis, ut apparet ex visitatione urbis ephesinae in reditu ex illo itinere (Act. 28, 19-21), ex promissione ephesiis ibidem facta et ex tertio itinere (19, 1-20, 2). Revera nullum, nec in praecedentibus nec in sequentibus indicium adest quo possimus concludere eum gessisse ullo tempore propositum de traiiciendo orbe quam celerrime per lineam transversalem. Damasci Paulus ministerium exercet per triennium (Gal. 1, 17-18) ; Antiochiae ante itinera transmarina similiter diuturno tempore sedet (Act. 11, 25. 26. 30 ; 12, 25-13, 3) ; in primo itinere Paulus et Barnabas fundatas a se communitates rursus visitant resumpto itinere per eamdem viam (Act. 14, 21-25), et finita expeditione revertuntur Antiochiam (Act. 14, 26), non penetrant in centrum imperii. In itineribus subsequentibus Apostolus Corinthi commoratur per 18 menses (Act. 18, 11) ; Ephesi per triennium (Act. 20, 37) et constanter perlustrat bis et ter ecclesias a se conditas (Act. 15, 36. 41 ; 16, 4 ; Gal. 4, 13 graec. ; Act. 18, 23 ; 19, 1. 21 ; 20, 1-3 ; 1 Cor. 16, 3. 5 ; 2 Cor. 12, 14).

Coniectis secundo et tertio itinere revertitur, sicut post primum, Antiochiam vel Hierosolymam (Act. 18, 22 ; 21, 15) ; i. e. numquam prodit ullam festinationem quasi urgeret necessitas orbem traiiciendi via celerrima et linea transversali. Quod si in secundo itinere Macedoniam et Achaiam celeri cursu traiicit, id fit quia tumultibus iudaeorum cohibitus est diutius permanere, ut propositum erat, Philippis et Thessalonicae, imo et Thessalonicam reverti conatur (1 Thess. 2, 18). Verba autem Rom. 1, 10-13 haud aegre conciliantur cum Rom. 15, 19-24 et Act. 19, 21 : adverbium πολλάκις « pluries » non est necesse ut magnum numerum significet : sufficit ut conatum exprimat bis vel ter tentatum Romam adeundi. Porro iuxta Act. 19, 21 Apostolus ante Demetrii tumultum iter romanum decreverat et quidem via qua de facto illud confecit, peragrata Macedonia et Achaia, ac visitata ulterius Hierosolyma. Sed non est necesse ut hoc propositum, etsi primo a Luca patefactum, primam Apostoli resolutionem de adeunda urbe repraesentet : hanc potuerunt aliae praecedere, idque satis aperte suadet solemnitas ipsa verborum quae definitivum aliquid in eo genere sonant post alia quae praecesserant. Revera propositum Act. 19, 21 recentius est illo quod paulo ante foverat 1 Cor.

(1) Ephesi quidem et in magna Asiae parte non videtur fuisse adhuc praedicatum Evangelium : aliter vero dicendum de Phrygia et Bithynia.

16, 5. 6 ; nam citato ad Cor. loco Paulus iter longinquum meditatur directe Corintho ineundum, minime visitata Palaestina, ut ex 1 Cor. 19, 3. 6b apparet. En igitur conciliatio Rom. 1, 13 cum 15, 24 et Act. 19, 21 : primum illud 1 Cor. 16, 5. 6 frustratum erat cum alterum concipit visitata Hierosolyma (Act. 19, 21 ; Rom. 15, 23. 24) : hoc autem ipsum rursus protractum est ob Demetrii tumultum.

2. Pauli in evangelizando methodi et industriae

a) *Synagogae iudaeorum : rhetorum aulae*

Semel iam in urbe quam veluti operationum centrum pro quadam regione Paulus delegerat, cogitandum erat de sede ad conciones apta. Quoniam in singulis fere urbibus alicuius momenti per orbem graeco-romanum aderant illa aetate coloniae iudaicae quae aut iusta Synagoga aut saltem Proseucha munitae erant, quo praeter iudaeos confluebant proselyti ac pii quique vel curiosi ex omni ordine, Paulus nullum opportuniorem locum ratus est ad suas conciones quam iudaicas Synagogas, ob plures rationes. Prima et capitalis erat quia etsi Paulus iam post regressum Damasco expressam revelationem acceperat de evangelizandis gentibus (Act. 22, 21) relicta Palaestina, tamen constanter simul professus est atque in praxin deduxit axioma : " iudaeo primum, et graeco ! „ (1) Deinde nulla opportunior sedes ut de religione et re sacra pertractaret quam sanctuarium verae religionis donec Evangelium promulgaretur. Illuc praeterea accedebant illi omnes ex paganismo qui in verum Deum credebant et religionis naturalis scita plus minus reverebantur. Demum specialissima ratio et post religiosa motiva fortasse primaria haec fuit : quod iudaicae coloniae in Diaspora apud graecos primum (seleucidas et lagidas), deinde apud romanos amplissima autonomia praesertim religiosa fruerentur. Iudaismus erat in universa romana ditione religio *licita* (a *convenire licet* quae erat formula iuris pro coetibus *collegiatis*) (2).

(1) Rom. 1, 16 ; 2, 10 ; 3, 9 ; 10, 12 ; 15, 8-13 ; 1 Cor. 1, 22. 23 ; Act. 13, 46 ; 19, 10 ; 20, 21.

(2) Schürer, III, 105-112. Et novissime post varias vicissitudines, Claudius amplissime privilegium renovaverat (cfr. Ios. Fl., *Antiq.* 19, 5).

Non poterat vir tantopere prudentia ac zelo propagandae veritatis insignis ut Paulus, haec commoda non avide arripere. In Synagogis reperiebat semper nucleum selectorum auditorum qui ex notitia Vet. Testamenti et veritatum religionis naturalis, catechesi christianae basin et accessum suppeditabant. Per hos deinde sive iudaeos sive proselytos, aditus parabatur ad turbas gentilium. Ideo Paulus constanter hanc praxin tenuit ut ex historia Actuum apparet, ubi Apostolum reperimus in Synagogis Salaminae (Act. 13, 3), Antiochiae Pisidiae (13, 14), Iconii (14, 1), Philipporum (16, 3 Proseucha), Thessalonicae (19, 2); Beroeae (17, 10), Athenarum (17, 17), Corinthi (18, 4), Ephesi (18, 19). Romae quidem Synagogas adire non licuit quia custodia adstrictus erat; sed congregavit iudaeos apud se (28, 17-29). Nec Synagogam relinquebat Paulus nisi compulsus aut vi aut obstinatione iudaeorum: sic Antiochiae Pisidiae (Act. 13, 45-47), Thessalonicae (17, 5), Beroeae (17, 13-75), Corinthi (18, 6), Ephesi (19, 9). Si id eveniebat, ut plerumque ob iudaeorum duritiem, Paulus locabat aulam capacem (1) in qua certis horis, quibus ab aliis sive rhetoribus sive philosophis vacabat, neophytos cogebat atque eos, quicumque essent, qui suis instructionibus interesse vellent (Act. 19, 9) erudiebat; aut in domum secedebat alicuius ex his qui fidem amplexi erant (Act. 18, 7). Hinc aerumnae haud leves dum eius adversarii, qui pellere eum ex urbe aut provincia forsan non possent, difficultates omnis generis suscitabant, corruptis vel metu vel auro iis a quibus aulam v. gr. locaturus erat (Act. 20, 19; 1 Cor. 4, 12). Ceterum, quamvis Paulus, praesertim si ad selectiores coetus verba facturus erat, Synagogas vel aulas praeferret, sicut nullum auditorem respuebat, sic nullum locum veritati quovis modo spargendae et Christo praedicando non reputabat peraptum. Sic Athenis Lucas eum nobis exhibet disputantem in « agora » cum omnium philosophicarum sectarum addictis.

(1) Per universam Graeciam et regiones quae Graeciae culturam aemulari gestiebant, usu receptum erat ut philosophi vel rhetores de quovis themate collationes ad selectam auditorum vel curiosorum manum haberent in magnis aulis ad hunc scopum destinatis. Imo in philosophicarum sectarum historia magni nominis magistri lectiones sub dio faciebant. Celeberrimi sunt " horti „ prope Gymnasium Academi ubi docebat Plato; " horti Lycei „ sive " Peripatos „ ubi Aristoteles; " Stoa Poikile „ (Porticus imaginibus decorata) ubi Zeno. Sectae religiosae philosophicis aequiparabantur: ideo Paulus qui etsi iudaeus, graecam culturam Tarsi combiberat, his Graeciae usibus se accommodavit. (Cfr. Zeller Lortzing, *Grundriss der Geschichte der griech. Philos.* pp. 126. 171. 229).

b) *Concionum argumentum.*

Ad argumentum paulinarum concionum sive quarumcumque disputationum quod attinet, quaenam praecipue themata versaverit cum de trahendis primo ad fidem hominibus ageretur, Actus satis perspicue nos edocent. Cum ad iudaeos sermonem faciebat, illud eis thema inmediate proponebat, quod vicissim illi sponte exspectaturi erant: articulum de Iesu messianitate. Id apparet ex argumento quod pertractat Damasci in Synagoga iudaeorum et ad iudaeos: " praedicabat Iesum quoniam *hic est Filius Dei* „; " confundebat iudaeos affirmans quoniam *hic est Christus* „ (Act. 9, 20. 22); itemque in Synagoga Antiochiae Pisidiae (Act. 13, 17-47); Thessalonicae (17, 2. 3) et Beroeae (17, 11). Thessalonicae eius praedicatio haec fuit: " Messias iuxta scripturas passurus et resurrecturus erat: iamvero utrumque impletum est in Iesu: hic igitur est Messias. " Simile vel idem fuisse thema apud beroeenses, perspicuum fit ex eo quod boni illi iudaei audita concione, Scripturas diligenter consulerent, comprobaturi scilicet an res ita se haberet prout Paulus e suggestu asseruerat. Idem demum argumentum evolvit Corinthi: " testificans iudaeis Iesum esse Messiam „ (Act. 18, 5); Ephesi ubi " disputat de regno Dei „ (Act. 19, 8) ac Romae (Act. 28, 23-28) " testificans regnum Dei suadensque de Iesu ***ex lege et Prophetis*** „.

Quaenam vero testimonia ex Veteri Testamento adhiberet Paulus ad thesin messianicam apud iudaeos roborandam, non potest directe definiri ex documentis quae de prima Pauli praedicatione nos edocent. Epistolae non admodum iuvant ad scopum saltem directe cum documenta sint primaeva Pauli praedicatione multo recentiora et provocata generatim occasionibus quae plerumque articulum de Iesu messianitate non respiciunt, sed potius aut practica quaedam ut ex Epistolis ad Cor. apparet; vel si fidem ipsam de Christo attingunt, in ulteriore explanatione versantur eius attributorum, vel in evolvendis effectibus restitutorii eius operis ut Gal. Rom. Col. Hebr. Historia autem paulinae praedicationis per Lucam in Actibus conscripta, communiter lineamentis tantum generalibus se continet, et eam potius insinuat quam describit. Sic de ministerio damasceno in Synagoga huius urbis id tantum dicit Lucas: " praedicabat Iesum quia hic est Filius Dei „... " affirmans quoniam hic est Christus „ (Act. 9, 20. 22). De praedicatione corinthia haec dicuntur: " disputa-

bat per omne sabbatum... testificans iudaeis esse Christum Iesum „ Act. 18, 5). De ephesina : " suadens de regno Dei „ (Act. 19, 8). Eadem concisione describitur ministerium verbi apud thessalonicenses ac beroeenses iudaeos. Sola oratio in Synagoga Anthiochiae Pisidiae habita ample proponitur, cuius hoc est argumentum : quamvis populus Israel ab initio promissionem habuit de Messia ex eius stirpe mittendo, nonnisi aetate Davidis definita est concrete familia ex qua foret oriturus. Ex davidica autem stirpe ortus est Iesus qui ut verus Messias a Baptista solemni testimonio denuntiatus est, quam dein declarationem Deus facto confirmavit suscitans Iesum a mortuis. Quae facta rursus iam Psalmo 2 praedicta erant (Act. 13, 17-41). Cur autem Lucas singularia omiserit hac in re, praeter brevitatem quam sibi proposuerat, causa haec videtur fuisse, quod Paulus non alia ex Scripturis testimonia pro Iesu messianitate solitus esset adducere quam quae communiter ab Apostolis et apostolicis viris in prima illa fidei apud Iudaeos praedicatione afferebantur, lectoribusque notissima erant ; ea scilicet vaticinia quae glorias simul et ignominias Christi copulabant, hasque ultimas veluti viam ad apotheosin per resurrectionem exbibebant. Haec dein vaticinia cum Iesu Nazareni historia conferebant, ut perspecta extremorum correspondentia, ad personae praedictae identitatem auditores ipsi concluderent.

Hanc methodum tenet Petrus Act. 2, 22-24 ; 3, 13-15 ; 4, 10-12 ; 10, 38-41 ; et eamdem produnt Evangelistae. Postquam enim accuratissime historiam Domini describunt, cum ad passionis ac resurrectionis, quod caput erat, descriptionem veniunt, seriem horum eventuum proponunt tamquam accuratum per singula implementum eorum quae a prophetis de Messia praenuntiata erant (Lc. 18, 31-33 ; Mt. 20, 17-19 ; Mc. 10, 32-34 ; Mt. 26, 54-56 ; Mc. 14, 50 ; Lc. 22, 37). Hanc methodum Christus ipse apostolis suggesserat (Lc. 24, 26. 27. 44-46). Certe nec Christus nec apostoli ullum ex Prophetarum vaticiniis de Messia praetermittebant (Lc. 24, 27 a Moyse et omnibus Prophetis) ; id quod ex innumeris praedictionibus confirmatur quas Matthaeus per singula vitae Christi stadia veluti in eo impletas affert ; sed iis maxime insistebant quae intimius passionem et resurrectionem respicerent, semel enim his demonstratis, cetera obvia erant. Hinc iam facile apparet quaenam concrete vaticinia praecipue urgerent : Isai. 53, Ps. 22 et his affinia (Cfr. Act. 8, 30-37 ; 1 Pt. 1, 11. 19-21 ; Lc. 22, 37 ; 23, 34 ; Mt. 27, 12. 35. 38. 43. 44. 60).

Sed non solum ex indirecta conclusione colligimus Paulum eadem methodo apud iudaeos usum : plurima sunt in eius Epistolis loca, ubi haec conclusio confirmatur. Paulus articulum de Christi morte et resurrectione « secundum Scripturas » unum ex praecipuis suae catechesis reputavit, et ubicumque praedicaret, semper in primis suis instructionibus inculcavit, ut ex 1 Cor. 15, 3. 4 perspicue apparet. Idem docent omnia illa testimonia ubi de Christo « pro se tradito » « pro nobis tradito » (Gal. 2, 22 ; Eph. 2, 4. 5 ; Rom. 3, 24-26 ; 8, 32. 34 etc.) a Patre et a seipso (ibid. et Hebr. 10, 5-7) fit sermo. Cum testimonia haec innumera in eius Epistolis sint, atque in memoriam revocent praedicationem Pauli de Christo in prima neophytorum catechesi, edocent simul nos de methodo per Apostolum adhibita. Quod si Paulus etiam ethnico-christianos accurate informabat « de Christo mortuo et suscitato secundum Scripturas » et in hoc loco evolvendo praedicta Scripturarum testimonia enucleabat ; evidens eo ipso est haec eadem testimonia accuratius adhuc apud iudaeos esse ab Apostolo explanata ut eis Iesum verum esse Messiam demonstraret.

Haec cum de iudaeis ad fidem primo pertrahendis ageretur : si vero de ethnicis quaestio esset, Paulus ante omnia in eorum animos se insinuabat quaesito aditu ex obviis veritatibus religionis naturalis, articulis scilicet de exsistentia, unitate, providentia Numinis, de praemiis ac poenis in hac et altera vita etc. Sic Act. 14, 15-17 inter gentiles lycaonios ; sic 17, 22-31 inter athenienses. Praeiactis autem hisce quasi prolegomenis, Apostolus minime cunctabatur etiam apud ethnicos locum de messianismo ex Vet. Testamento pertractare ut ex eius Epistolis apparet. Id autem, etsi forsan prima specie mirum videatur, haud aegre intelligitur : etsi Vetus Testamentum ethnici, non sicut iudaei, veluti Dei verbum sed ut " historiam „ ante plenam in religione institutionem admitterent, ipsa praedictionum cum eventibus collatio praedictiones vere propheticas esse, et sic divinas, demonstrabat. Qua demonstratione praeiacta, fides in Vetus Testamentum eadem iam quae apud iudaeos, erat apud gentiles, sicque in posterum eodem quo apud illos modo uti Scripturis Apostolus poterat. Hinc facile explicatur creber Veteris Testamenti usus apud Apostolum etiam in litteris ad ecclesias ethnico-christianas pro quovis argumento : Paulus merito supponit in lectoribus amplam totius Scripturae notitiam.

c) *Catecheseon diversa genera.*

Si vero de instituendis agebatur his qui iam fidem amplexi erant, cathecheses Pauli non unius generis erant. Neophytos, quibus hac in re aequiparandi catechumeni, ac rudes catechesi elementari et simplici excolebat, expositis ante omnia summatim atque missa subtiliori eorum tractatione, articulis Symboli. Huius institutionis indicem habemus partim 1 Cor. 15, 3-5 ubi tentamen, vel melius praxim videmus brevis formularii articulorum fidei; partim in eadem Epistola 11, 23-32 ubi exposito ex traditione historica Eucharistiae articulo, brevem, perspicuam et eminenter practicam instructionem de eodem subiungit, explanatis institutione, significatione, usu ac dispositionibus ad Eucharistiam fructuose suscipiendam. His vero qui aut provectiores tempore, aut excultiores sive ingenio sive doctrina essent, altiori tractatione arcana in Evangelio latentia edisserebat. Huius superioris catecheseon classis conspectum exhibet Apostolus Eph. 1, 9. 10 et 3, 4-19; quae enim hic per summa capita insinuat de arcanis in Evangelio contentis, ea fusiore et enucleato per singula sermone late ediserebat, cum divinorum consiliorum de Christo eiusque restitutorio opere " sapientiam inter perfectos „ enarrabat. Et procul dubio quae de fidei articulis dicta sunt, eadem cum proportione etiam ad doctrinam de moribus applicabat, cum ultra singulorum praeceptorum aut virtutum explanationem, eorum culmen et fastigium in perfecta Dei ac proximi caritate commonstrabat (Rom. 13, 1-10).

Huius duplicis catecheseon generis distinctionem expressis verbis tradit Apostolus 1 Cor. 2, 1-3, 2 ac similiter Hebr. 5, 12-14; atque in prima ex his duabus sectionibus explicat praeterea praecipuum inter utramque classem discrimen. Postquam enim accurate seiunxit Evangelii sapientiam (σοφίαν) a sapientia sive σοφία saeculari ac profana, quae de rebus iudicat criterio pure humano, ait se sapientiam Evangelii identidem edisserere, cum nimirum aptum auditorium ex provectioribus nanciscitur; sapientiam, scilicet, non profanam, illam nimirum quam sectantur " sapientes ac philosophi saeculi „, sed " sapientiam Dei mysteriosam, absconditam, arcanam, quae a solo Dei Spiritu communicari potest qui solus valet per se arcana Dei scrutari „ (1). Ut haec altior insti-

(1) 1 Cor. 2, 6-10.

tutio apte ac fructuose perciperetur, Paulus plus quam temporis, spiritus maturitatem postulabat. 1 Cor. 2, 13. 14; 3, 2 ait ad recte percipiendas altiores has instructiones opus esse spirituali (πνευματικῷ) criterio, etenim arcana illa divinae sapientiae, sicut per solum Spiritum Sanctum revelari possunt, ita semel revelata, nonnisi spiritualiter (πνευματικῶς) perspici ac diiudicari; criterio scilicet quod assidua in res divinas reflexione atque a profanis et humanis avocatione acquiritur (1). Eo ipso quod altior haec institutio " provectis „ reservatur, datur alia quae incipientium parvulorum in Christo (νηπίων) propria est. Hanc impertiverat Paulus Corinthiis in prima ad eos praedicatione (1 Cor. 2, 1-4; 3, 1. 2). De utraque instructionum classe atque sub iisdem denominationibus " altioris „ et " elementarioris „ disserit Apostolus praeter citata loca 1ae ad Cor., etiam in Epistola ad Hebraeos 5, 12-14, ubi praeterea nonnulla elementaris huius generis capita recenset (6, 2). Exemplum catecheseon altiorum potest esse Epistola ad Romanos, itemque Epistola ad Hebraeos (2), ut ipse Paulus satis perspicue de hac ultima nos edocet cum, pertractaturus de sacerdotio Christi (5, 12 10, 18), monet lectores non satis esse praeparatos ad tale doctrinae caput consentaneo modo ac fructuose percipiendum, satiusque fortasse fore si simpliciora capita pertractaret (5, 11-6, 9). De Epistola ad Romanos, ipsa vel perfunctoria eius lectio id perspicue ostendit. Qua vero forma elementares catecheses Paulus traderet, ipse modus quo de eis loquitur 1 Cor. 2, 4. 5 et exemplum 15, 3-5 satis coniicere permittunt.

Ceterum distinctio inter utramque classem non tam ex materia ipsa quam ex modo eam tradendi petenda est. Etsi enim pericope citata ex Epistola ad Hebraeos nonnulla capita enumeret velut argumentum proprium catecheseon elementarium, et e contrario thema de Christi sacerdotio proponatur tamquam altioris generis, non exinde sequitur distinctionem repeti ab Apostolo ex thematis ipsis ita ut ratione materiae alia

(1) Secundum Hebr. 5, 14 " perfecti „ (τέλειοι) sive " spirituales „ (πνευματικοί) illi sunt " qui, pro consuetudine, exercitatos habent sensus [i. e. sensoria] spirituales, ad distinctionem [practicam et per gustum quemdam altiorem] boni et mali [praeclari et communis] „ idque non in moralibus tantum, sed etiam in speculativis.

(2) Ratione argumenti pertractati; nam vix dubium est quin themata scripto nobis transmissa in his Epistolis Paulus saepe in suis oralibus instructionibus tractaverit: epistolae aliud non sunt quam " echo „ fragmentaria et occasionalis oralium catecheseon diversi ordinis.

ab aliis secerni possint : potius elevationem instructionis Paulus reponit in « grandi sermone » quem de themate sacerdotii i. e. reconditiore eius enucleatione, vult evolvere. Revera 1 Cor. 2, 2-4 articulus de « Christo crucifixo » exhibetur ab Apostolo tamquam praecipuum primae ac simplicioris suae praedicationis ad corinthios ; et tamen 1, 24 eumdem articulum appellaverat « Dei sapientiam » i. e. articulum qui, si apte evolvatur, arcanam quae in divinis consiliis latet sapientiam prodit. Iidem igitur symboli articuli, cum vel tantum enuntiantur, vel etiam evolvuntur quidem ut a Deo revelati, fide suscipiendi, ac miraculis confirmati, sed omissa ulteriori ac penitiori eorum habitudine vel ad divina attributa, vel ad nexum quo mutuo colligantur, materiam praebent catecheseos elementaris : at cum ostenditur v. gr. quam consentaneum maiestati ac iustitiae divinae fuerit ut humana reparatio non utcumque, via e. gr. gratuitae remissionis, nulla vel levi satisfactione requisita, fieret, sed via condignae reparationis per immolationem expiatoriam Victimae quae divina persona esset, argumentum praebent superioris institutionis catecheticae (1).

d) *Catecheseon orationumque forma concreta.*

Ad formam concretam quod attinet paulinarum catecheseon, exempla vel melius specimina iustae orationis prout eas Paulus habebat apud diversos coetus, iudaicos nimirum aut ethnicos, exhibet nobis Lucas respective Act. 13, 17-41 et Act. 14, 15-18 ; 17, 22-31 : hinc discere possumus et themata iudaeis ac gentilibus a Paulo proponi solita, et formam qua themata evolvebantur. Oratio in Synagoga Antiochiae Pisidiae Act. 13, 17-41 praeterquamquod habet pro themate messianitatem Iesu, in forma qua thema evolvitur est admodum similis orationi Stephani ad iudaeos

(1) Paulus ipse et etiam Dominus suggerunt identidem viam talis altioris speculationis quae medullam intimam in fidei articulis latentem quasi digito aperit, et ex qua tam alta de Deo discimus. Ita cum Christus dicit Nicodemo : " sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret „, aut Paulus : " proprio Filio suo non pepercit Deus „, immensam atque incomprehensibilem Dei in genus humanum dilectionem produnt in statuenda via restitutionis quam de facto iniit. Quis umquam de Deo talia non iam postulare, sed nec cogitare ausus esset? Verum simul et eodem modo refulget sanctitas ac iustitia divina, cum infinitam satisfactionem per immolationem Victimae quae persona vere divina esset tamque diro supplicio poposcerit. At rursus eo ipso immanitatem humanorum scelerum Deus pandit, quae nonnisi tali pretio deleri necesse fuit. Splendet infinita Dei sapientia in excogitando modo per Incarnationem haec omnia simul tam mirifice copulandi. Non est difficile perspicere nihil horum tam sublimium inveniri si restitutio per simplicem condonationem facta esset.

coram Synedrio habitae : color et gustus compositionis utrobique est idem, iudaeorum ac rabbinico gustui et usibus litterariis accommodatus. Quod respectu iudaeorum in oratione ad Synagogam antiochenam dicitur, dici similiter debet de orationibus Act. 14, 15-18 et 17, 22-31 respectu ethnicorum. Hic quoque thema utrobique idem est, itemque forma qua thema evolvitur, hoc fere solum discrimine, quod oratio ad Areopagum habita, sit completior et elegantior. Critica protestantica passim utramque orationem sicut etiam illam Act. 20, 18-35 in qua pastorale potius thema evolvitur, interpretatur veluti totidem " paradigmata „ pro singulis generibus ab Actuum redactore ex propriis conficta atque Apostolo applicata, ita tamen ut, nedum authentica Pauli verba aut eorum compendium exhibeant, contra, nullam ullius testis vel oculati vel alterius cuiusvis idonei memoriam referant. Etsi enim concedi libenter possit Pauli socios unde hauriebat Actuum compilator, breves notas de Apostoli gestis opportune descripsisse, huius tamen cura non fuit ad haec minuta descendere, sed solum " Pauli iter ut tale, eiusque culminantia facta describere : vult tantum docere quo modo Romam advenerit „ (1).

Plura tamen sunt quae talem explicationem explodunt. Praecipua et fundamentalis ratio est quod liber Actuum, ut hodie etiam a praestantissimis protestantismi criticis conceditur, a Luca, Pauli socio conscriptus sit. Praesumi igitur vix potest ut qui vitam Iesu publicam solo triennio absolutam, iusto eoque minime exiguo volumine complexus erat, ministerium Pauli decuplo diuturnius, de quo plenissimam informationem habebat, brevibus notis expediret. Quo posito, quamvis scopus auctoris in libro sit describere paulinum iter Hierosolymis Romam, tamen voluit illud describere non quasi celerrime et via recta paucorum mensium spatio confectum, sed, ut re Paulus illud emensus fuerat, portando nomen Christi per regiones intermedias, et quidem diuturno et sedulo ministerio excultas, sicut Paulus ipse illud Rom. 15, 19-24 proponit. Historia igitur Lucae explanatura erat sua narratione complexum illum laborum evangelicorum quos Pauli compendium indicat. In evangelizatione autem paulina maximi erant momenti Apostoli orationes utpote quae praxim evangelizandi ab Apostolo servatam quam optime declarabant. Verum est Lucam non omnia

(1) J. Weiss, *Urchristentum* p. 161 : " er will zeigen wie Paulus nach Rom gekommen ist „.

pari amplitudine narrare : forma quam generatim tenet haec est : ut in singulis aut periodis ut primo, secundo, tertio itinere apostolico ; aut sectionibus, ut controversia de mosaismo, unum alterumve eventum ample describat, qui in periodo aut sectione capitalior est, cetera breviter ad illum coacervet, omissis levioribus : sed orationes ibi potissimum recurrunt ubi praecipuus aliquis sectionis eventus describitur : sic oratio in Synagoga Antiochiae et in Athenarum Areopago. Sed praeterea, unde in mentem venit compilatori ut catecheses Pauli in orationis formam his in casibus redigeret, nisi quod eius tempore communis persuasio erat de talis formae usu per Apostolum ? Omnia ergo suadent orationes non paradigmata compilatoris sed veras Pauli orationes exhibere. Ceterum orationes nullo modo prae se ferunt typum uniformem et ab adiunctis historiae independentem ut in hypothesi quam impugnamus expectandum esset : enascuntur ex factis et horum adiunctis toto earum contextu informantur. Deinde, et ideo, sunt omnino diversae inter se exhibentque singulae formam penitus diversam : quae duo explicari nequeunt si confictae sint et ex redactoris imaginatione compositae. Demum cum liber, iuxta omnes, scriptus sit eo tempore quo tanti Viri gesta in plurimorum memoria exstabant, non apparet quare, sicut redactor viginti aut triginta annis postea, non potuerit eadem forma unus ex sociis Pauli eius historiam inmediate conscribere.

e) *Usus Scripturae.*

Non de illo Scripturae usu hic agimus, de quo superius, ad singulare caput de Christi messianitate demonstranda : agitur nunc de largiori, atque ad multiplicem ministerii opportunitatem. In historia apostolatus Pauli illud inter alia singularem admirationem ciet, quam large Scriptura Veteris Testamenti utatur. In plerisque ex eius Epistolis sufficit eas vel levi lectione attingere ut illico nobis sese offerant plures remissiones ad omnes Veteris Testamenti libros et sectiones, etiam eas quae nec ad pertrahendos ad fidem neque ad eos in fide excolendos multum conferre videri possent. Et si hic usus recurreret solum in epistola ad Hebraeos quae revera tota vertitur in evolvendis nonnullis capitibus fundamentalibus antiquae legis quae sponte in decursu expositionis provocant alia multa cum fundamentalibus illis connexa, res non ita mira esset : verum idem accidit etiam in epistolis ad

coetus ethnico-christianos ut corinthiorum, galatarum, ephesiorum. Factum hoc ostendit Paulum iam in sua orali catechesi et universim in suo ministerio assidue Veteris Testamenti Scripturas adhibuisse tam in pertrahendis quam potissimum in retinendis et promovendis in Evangelii fide neophytis, ac praeterea induxisse in coetibus assiduam Scripturarum lectionem ; nam usus ipse Apostoli in evolvendis capitibus quae pertractat, ostendit familiarem iam eo tempore lectoribus fuisse Veteris Testamenti notitiam (1). Hinc sponte in hanc conclusionem deducimur : cum Paulus non diuturno tempore apud illos fideles manserit, amplissima ac profundissima qua pollebat Scripturae notitia eiusque assiduo usu, maximam inter neophytos de Veteri Testamento aestimationem, magnumque eius perdiscendi studium excitasse, magnopere etiam haec duo praesertim suis vicariis coetuum rectoribus commendasse. Id Pastorales luculenter confirmant : scribens ad Timotheum Paulus multiplicem Veteris Testamenti utilitatem graviter docet illudque tamquam praecipuum fontem unde iuvenis episcopus suas ad subditos instructiones hauriat, indigitat. Ceterum historia praedicationis Apostoli nos edocet quomodo tantopere Scripturarum notitiam apud neophytos cum relativa facilitate promovere potuerit. Cum in omnibus magnis urbibus quas in suis itineribus Apostolus visitavit, adesset iudaeorum nucleus cum respectiva Synagoga unde ex sabbatina parascharum et haphtararum lectione, notitia Veteris Testamenti ad multos etiam ex ethnicis praesertim excultiorum coetuum lectores propagabatur, facile intelligitur quo modo Apostolus hunc usum fovere inter neophytos potuerit, sicut etiam quod ipse vicissim, neophytos alloquens, tam large iis utatur. Tantum in Epistolis ad Thessalonicenses desideratur talis scripturarum usus : sed phaemonenon hoc perfacilis est explicationis. Paulus brevissimo tempore apud Thessalonicenses diversatus fuerat ; praeterea argumentum harum epistolarum est admodum restrictum, et clauditur in salutationibus congratulationibusque et in capite de Parusia.

f) *Ministerii gratuitas.*

Nec oblivioni dandum in Pauli agendi ratione ad efficaciorem Evangelii propagationem quam maxime contulisse principium quod sibi statuerat de non onerandis neophytis ob expensas in

(1) Ex lectione sive liturgica in coetibus, sive privata domi et in familia.

alendis ministris, se nimirum et sociis. De hac lege sibi imposita et sancte custodita saepius loquitur. Sic 1 Cor. 9, 6. 12; similiter 1 Thessal. 2, 9; Act. 20, 33. 35. Legem hanc extendebat Paulus ad omnes socios qui secum in ministerio laborabant ut ex ultimo Actuum loco apparet, iuxta quem ea quae ad victum et vestitum necessaria sibi sociisque essent, proprio manuum labore comparabant. Legem hanc Paulus constanter servavit saltem ab initiis secundi itineris; nam Lucas Act. 18, 3, i. e. cum primo venit Corinthum Apostolus, narrat eum hospitium apud Aquilam et Priscillam quaesivisse "quia eiusdem erat artis „, scenafactoriae scilicet, quam illi exercebant, additque Apostolum per hebdomadam labori manuum vacasse et sabbathis in Synagoga disputasse: "manebat apud eos et operabatur (vel operabantur ἠργάζοντο ipse videlicet et hospites) (1): sabbathis autem disputabat in Synagoga „. Eumdem vero morem tenuisse iam Thessalonicae, etsi Lucas non dicat, ex ipso Paulo discimus (1 Thess. 2, 9). Quem autem inierat morem iam prius, continuavit in tertio itinere (Act. 19, 12) quamvis non sabbathis tantum, ut Beroeae et Corinthi, sed quotidie disputaret (Act. 19, 9) (2). Paulum vero non id faciebat aut quia putaret illicitum Evangelii ministro esse ut honorarium pro ministerio reciperet, aut quia illa perceptione crederet detrahi quidquam Evangelii gratuitati quam Dominus praeceperat: "gratis date „. In citato loco 1 Cor. 9 plures affert rationes quibus ministrorum ius adstruat, et inter alias, statutum Domini: "dignus est operarius mercede sua „. Hoc vero non detrahere gratuitae Evangelii oblationi, ex ipso Domino didicerat qui in eadem oratione, et paucissimis verbis interiectis, gratis esse offerendum Evangelium praecipit: "gratis date „ (Mt. 10, 8), et nihilominus percipiendam a fidelibus sustentationem: "dignus est operarius cibo suo „. (Mt. 10, 10). Hanc igitur legem sibi libere imposuit ad maiorem libertatem altiusque liberalitatis exemplum inter Gentiles. Paulo aderat ratio specialis prae Petro et Duodecim: hi nimirum per multos annos laborarunt inter suos sive in patria sive in Diaspora; apud iudaeos autem praxis haec

(1) Vel forsan Paulus et socii; neque enim existimari debet socios Pauli cessasse, dum ille laborabat.

(2) Disputationem "quotidianam „ non dispensasse Apostolum a labore manuum constat ex citato Act. 20, 34 ubi de ministerio ephesino est sermo: "ad ea quae mihi opus erant et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istae „.

ut ministris sacris a fidelibus piis large necessaria ad victum et vestitum suppeditarentur, communis et antiquissima erat (Dt. 14. 22–27 ; 2 Reg. 5, 10. 13. 23. 24 ; Lc. 8, 2. 3) : Paulus vero inter ethnicos nonnisi absoluta gratuitate magnos sui ministerii fructus expectare poterat. Postquam vero Evangelium inter ethnicos radices egit et Paulus provectiores iam neophytos enutriverat, non praetermisit officium edocendi quaenam essent officia subditorum erga suos institutores. Galatas monet ut " qui catechizatur communicet *in omnibus bonis* ei qui se catechizat „ (Gal. 6, 6) : et in genere, cum collectam indicit pro hierosolymitanis in pluribus provinciis, hanc rationem ad collectam iustificandam affert : " debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis „. Statuit nimirum decimarum exordia.

g) *Praefectorum constitutio per coetus singulos.*

Demum, absoluto in singulis provinciis praedicandi labore, cum discessurus esset inde ad novas regiones, Paulus coetus a se constitutos opportuna muniebat forma regiminis. Non solum ex Pastoralibus sed etiam ex antiquioribus vitae ac ministerii Pauli monumentis constat eum constanter coetibus recens conditis proprios rectores praeposuisse. Ante magna itinera certe Paulum utpote subalternum (Damasci sub Anania, Antiochiae sub illius ecclesiae ducibus Act. 13, 1), non legimus instituisse ullos superiores qui fideles a se praedicatione excultos regerent ; sed iam a primo itinere apostolico, cum in altiori iam potestatis gradu esset constitutus (Act. 13, 3) (1) et tamquam verus apostolus Evangelium in novas provincias inferret, curam adhibuit ut, cum inde discederet, coetuum conditorum fideles immediato regimine instructi essent. Sic Act. 14, 23 sermo fit de " presbyteris „ per omnes praecipuas urbes constitutis ubi novos coetus condiderat. Collatio huius testimonii cum Act. 13, 1–3 et 6, 6 ubi de Pauli ipsius exaltatione in altiorem potestatis gradum, deque diaconorum institutione fit sermo, ostendit de vera ibi in sacrum ministerium inauguratione agi, adhibetur enim ritus in ministro-

(1) Paulum sui apostolatus exercitium maxime a primo magno itinere computare apparet ex Rom. 15, 20 ; nam antea non in terris ubi nondum Christus praedicatus erat, ministerium exercuerat : Damasci et Antiochiae iam ante se alii praedicaverant.

rum consecratione adhiberi solitus. Adhibebatur nimirum ritus impositionis manuum cum formula deprecatoria adiecto ieiunio. Act. 14, 23 non memoratur expresse manuum impositio; sed cum designatio ministrorum (χειροτονήσαντες) fiat *a*) " per preces „ (προσευξάμενοι) *b*) cum ieiuniis (μετὰ νηστειῶν) quae duo recurrunt (Act. 13, 3); *c*) adiuncta manuum impositione quae preces comitatur tamquam praecipuus ritus (ἐπιθέντες τὰς χεῖρας) non secus atque in diaconorum institutione ubi etiam preces copulantur impositioni manuum (προσευξάμενοι ἐπέθηκαν τὰς χεῖρας); perspicuum fit de eodem consecratorio ritu in triplici loco sermonem esse.

In reliquis ecclesiarum fundationibus eamdem normam secutus est Paulus: nam Corinthi apparent Stephanus, Fortunatus et Achaicus veluti ministerio sacro (εἰς διακονίαν) mancipati, quibus fidelium coetus subest (ὑποτάσσησθε 1 Cor. 16, 16), quique Ephesum adveniunt tamquam corinthii coetus repraesentantes (ibid. v. 17); 1 Thess. sermo fit de " praesidibus „ (προϊσταμένους) qui etiam recurrunt Rom. 12, 8 (προϊσταμένους); Philipp. 1, 1 memorantur " inspectores „ (ἐπίσκοποι) et diaconi tamquam a coetus reliqui complexu segregati, imo 4, 3 Paulus unum quemdam alloquitur quem " socium „ (σύνζυγον) appellat in ministerio, haud dubium quin gubernandi universum coetum; in reliquis enim muneribus alii quoque ministri laborabant quos tamen non singulari illo titulo honestat. Inter colossenses idem dicendum de Archippo cui similem singularitatis et eminentiae honorem (συνστρατιώτης) impertit (Philem. 2). Act. 20, 17 variorum Asiae coetuum presbyteros Paulus alloquitur quos per singulas communitates in suo transitu (ἐν οἷς διῆλθον κηρύσσων) statuerat. Hebraeos demum hortatur ut praepositis (ἡγουμένοις) obediant. Certe non omnes ecclesiae in hac enumeratione recensitae a Paulo fundatae erant (1), sed constitutionis identitas ostendit agi de essentiali et uniformi cuiusvis christiani coetus organizatione hierarchica cui se Paulus in constituendis suis coetibus accommodabat. Quisnam esset concrete gradus quem in hierarchiae corpore tenerent hi προϊστάμενοι vel πρεσβύτεροι sive ἐπίσκοποι non est facile definire: quamquam enim indubium sit iam ab ipsis initiis Ecclesiae exstitisse hierarchiam in triplici gradu (Apostoli enim semper fuerunt veri Episcopi et presbyteris ac diaconis superiores), simul tamen certum est non statim per singulos coetus applicatam secundum o-

(1) Ex gr. Romanorum, hebraeorum.

mnes gradus fuisse. In historia Pauli apparet Apostolum, in primis suae praedicationis temporibus et dum evangelizationis eius ambitus nondum nimium protractus erat, retinuisse sibi episcopale munus, ita ut, etsi ad regimen ordinarium per singulas principaliores urbes presbyteros constitueret, ad negotia maioris momenti vellet ut ad se recurrerent eaque vel praesens vel per litteras ipse expediret. Sic videmus eum crebro ab ecclesiis recipere quaesita sive consultationes de pluribus capitibus (cfr. 1 Thess. 4, 13–18; 5, 1–11; 1 Cor. 7–14) ac vicissim iisdem aut scripto respondere ut locis citatis, aut etiam vel adire in persona, vel mittere aliquem ex adiutoribus. Hoc regimen non erat mere archiepiscopale, sed plane et proprie episcopale. Sic videmus presbyteros Corinthi venire ad Apostolum dum Ephesi versaretur. (1 Cor. 16, 17). Aderat alia ratio ne statim autonomum coetibus regimen concederet: quod non facile possent episcopi constitui, nam ad hoc munus magnae dotes requirebantur (1 Tim. 3, 1–5; inter has ne essent " neophyti „ (Ibid. v. 6). Hinc per plures annos Paulus sicut et Duodecim inferioris gradus praesides constituebant, qui coetus a se conditos sub ipsorum vigilantia gubernarent (Act. 11, 20–23).

3. Pauli adiutores eorumque ministeria.

Inter Pauli industrias ad efficacius promovendam Evangelii propagationem eiusque consolidationem per ecclesias a se fundatas, numeranda est illa de selecto sociorum satellitio quo in ministerio iuvaretur, et quo constanter Paulum stipatum videmus saltem a tempore quo praedicationem inter ethnicos Antiochiae inchoavit; nam ante hoc tempus nihil de talibus sociis Paulum iuvantibus legimus. Quod vero iam Antiochiae ac dein in primo itinere apostolico eum cum Barnaba reperiamus, fortasse fundamentum habet in praecepto et praxi Domini de apostolis ac discipulis per binos ad ministerium mittendis (Mc. 6, 7; Lc. 10, 1); nondum tamen id ad characteristicam Pauli de qua agimus consuetudinem certo pertinet. Hinc quae de Pauli sociorum satellitio tradimus ad Barnabam extendi non possunt, quasi is penes Paulum similes partes teneret atque Titus v. gr. vel Timotheus. Barnabas in paulini ministerii initiis inter ethnicos Apostolo maior censetur; postea, ad primum iam iter apostolicum quasi ex aequo destinantur (Act. 13, 2). Dum simul sunt Barnabas et Pau-

lus, Barnabas numquam est Paulo inferior. Sed praeter Barnabam, accedit iam in primo itinere Marcus (Act. 13, 5. 13), quamquam fortasse, potius Barnabae, cuius nepos erat (Col. 4, 10) intuitu; multo vero magis ac certius praxis haec de sociis sub se adhibendis apparet et in dies fit intensior a secundo itinere in posterum. Etsi enim initia quoque secundi itineris Apostolum uno solum socio comitatum sistant, Sila (Act. 15, 40), id non est quia alios non ium haberet, cum ex Gal. 2, 1 sciamus eum iam ad hierosolymitana comitia Titum sibi consociasse. Progrediente autem secundo itinere iam Lystris assumit Timotheum (Act. 16, 4) et brevi poste Lucam in transitu ad Europam (Act. 16, 11), ac post paucos menses Sosthenem (Act. 18, 17; 1 Cor. 1, 1).

In tertio itinere, Ephesi adiacet ei Erastus (Act. 19, 22), quocum numerandi iam ab eo tempore sunt Epaphras (Col. 1, 7; 4, 12), Tychicus (Act. 20, 4; Col. 4, 7; Eph. 6, 21) et Trophimus (Act. 20, 4) quibus accesserunt haud multo post, aut forsan antea, Sopater, Aristarchus, Secundus et Gaius (Act. 20, 4) (1); quamquam ex his Erastus iam antea, Corinthi forsan ei adhaeserat. Tamen hic Erastus non videtur esse ille " arcarius Corinthi „ de quo Rom. 16, 23.

Hos omnes fuisse sub Paulo veluti eius adiutores (2) apparet ex Act. 19, 22 ubi appellantur διακονοῦντες αὐτῷ ministrantes sive " ministri „ Apostoli. At quo in ministerio eos adhibebat? Certe non personali, ut de Marco perperam exsistimat Dobschütz (3), sed in ministerio sacro. Non tamen videntur adhibiti fuisse ad

(1) Memoratur praeter hos Demas (Col. 4, 14) qui tamen, relicto Paulo, saeculum repetiit (2 Tim. 4, 10) itemque Crescens (ibid.) de quo nullibi alias fit sermo. Carpus quoque nominatur codem loco sed ut " hospes „ non ut " adiutor „ Pauli. Onesimus adiutor quidem est, sed ad tempus (Col. 4, 9).

(2) Inter Pauli " adiutores „ continuos et subordinatos modo explicato, vel quia eum passim comitabantur, vel quia ad eius quasi nutum plus minusve erant, non numeravimus neque Silam, qui par ei videtur aut fere par fuisse saltem initio (postea Silas adstat Petro ut subalternus [1 Petr. 1, 12] nec Apollon, nec Aquilam et Priscillam aut Philemonem. Apollo non solum ante primum cum Apostolo occursum, vel commercium (Act. 18, 24-25), sed etiam postea, etsi maxima cum eo caritate coniunctus (1 Cor. 4, 6) laborabat seorsim (Act. 19, 1; 1 Cor. 3, 4-6; 16, 12); Aquila vero et Priscilla occasionale et quasi fortuitum, etsi strenuum et utile, adiutorium Paulo praestabant sive Corinthi (Act. 18, 2. 18) sive Ephesi (Act. 18, 26), sive Romae (Rom. 16, 3) quo fit loco eos honorifico " adiutorum suorum „ (sensu indicato) nomine honestat.

(3) *Die urchristl. Gemeinden* p. 269).

praedicationem proprie dictam saltem ordinarie ; nam 1°) ipsa appellatio διακονοῦντες ex usu huius verbi et derivatorum in Novo Testamento etsi non semper (1 Cor. 16, 15, Col. 4, 17) potius ministerium subalternum (1) denotat 2°) in decursu historiae solus Paulus inducitur verba faciens pro concione ; idque tametsi certo constet cum Paulo socios versari (Act. 16, 14 ; 17, 2. 13 ; 18, 4. 13 ; 19, 13. 26 ; 29, 7–9), dum ceteri appellantur " ministrantes „. Id vero non est quia Lucas historiam per ordinem ad Paulum texat atque omnia quasi eo duce digerantur, unde fiat ut ceterorum praedicatio veluti contenta in Pauli praedicatione censeatur eique subordinata ; nam in primo itinere cum Paulo inducitur loquens etiam Barnabas (13, 43. 46 ; 14, 15. 21). Quod si 14, 12 Paulus appellatur " dux verbi „ (ἡγούμενος τοῦ λόγου) non est quia Barnabas non praedicaret, sed aut quia Paulus eloquentior est, aut quia advertentia ad praesentem solum scenam refertur (v. 9) 3°) Paulus 1 Cor. 1, 17 distinguit inter ministerium praedicandi et alia ministeria sibique primum vindicat, aliis procul dubio, et inter haec baptismo, ad socios amandatis, cum baptismus omitti omnino non posset (Act. 2, 38 ; 8, 12. 37 ; 9, 18 ; 10, 48 etc.). Cum igitur in historia Pauli hunc praedicantem inveniamus, numquam socios (2) obvia exinde conclusio est socios aliis rebus gerendis distentos fuisse dum Paulus praedicaret ; nulla sane melior explicatio suppetit (3). 4°) Act. 18, 5 dicit Lucas advenientibus Corinthum Timotheo et Sila, Paulum ministerio verbi institisse (συνείχετο λόγῳ) : unde obvium est concludere socios aliis ministeriis vacasse. 5°) Philippis, etsi certo praesens adesset Lucas (Act. 16, 16) non mittitur in carcerem cum Paulo

(1) I. e. infra presbyteratum.

(2) Act. 16, 12. 13 videtur significari Lucam praedicasse Philippis ; nam de eo simul cum Paulo scribitur fuisse " conferentem „ et " loquentem „ utique de rebus ad Evangelium pertinentibus. Prima vox διατρίβοντες potius transferenda videretur " demorantes „ (cfr. Act. 15, 35). ἐλαλοῦμεν autem de colloquiis piis utique, sed extra locum sacrum et citra praedicationem explicandum est. De solo Paulo additur (v. 14) ad eius verba Lydiam conversam esse, quamquam haec verba quoque potius ad atrium Proseuches prolata videntur. Certe alias per totam historiam Lucas numquam ut praedicator sistitur.

(3) Act. 6 et deinde 8 et quantum coniicere licet 11, 19. 20 diaconi illi (διάκονοι) verbum Dei dispensant, sed non de omnibus diaconis id narratur : forsan fiebat selectio quaedam et nonnullis capacioribus " delegabatur „ facultas ab Apostolis.

et Sila; si praedicasset, non apparet ratio distinctionis. 6°) Similiter Thessalonicae et Beroeae iudaeorum irae praecipue aut etiam unice (Act. 17, 14. 15) contra Paulum convertuntur.

Fortasse dici posset rationem praecipui furoris contra Apostolum fuisse non quia solus praedicabat, sed quia cum haberetur ut transfuga ex castris pharisaeorum et crebro narraret Christi apparitionem in gloria ad viam Damasci, haec duo iudaeorum animos ultra modum exacerbabant. Sed utut haec vera sint, illud tamen in historiae complexu praevalet: quod a secundo itinere solus Paulus prae comitibus constanter inducatur verba faciens; quod Paulus distinctione facta inter ministerium praedicandi et alia ministeria, illud sibi prae his vindicat, relictis procul dubio aliis ad socios; quod iis facile parcitur, dum in Paulum saeviunt acerbe non iudaei solum, sed omnes.

Ministeria vero quibus, Paulo dirigente, socii vacabant, haec erant: 1°) administratio baptismi, a qua Apostolus ordinarie abstinebat, cum annexis, quae nec pauca erant, nec levia: inter haec, catechumenorum recta institutio (1 Cor. 1, 14–17) 2°) corrogatio collectarum, quae in Pauli ministerio res erat haud exigui momenti (2 Cor. 8, 6. 9); 3°) itinera ad plura negotia expedienda (2 Cor. 6, 6. 7; 8, 18. 19); 4°) consolatio neophytorum eorumque aut inter se, aut cum Paulo reconciliatio cum opus esset (1 Cor. 4, 17; Col. 4, 7; Eph. 6, 21).

Nota. De Sila non apparet satis perspicue an praedicaret necne; et plura sectionis 15, 40 – 18, 5 adiuncta suadent illum similes atque Barnabam antea partes prope Paulum obiisse. Videtur praedicasse Philippis (Act. 16, 20-40); et in historia praecedenti inter praestantiores Apostolorum socios apparet. Act. 15, 22 appellatur ἡγούμενος; et v. 34 etiam ut vir primarius agit. Post Act. 18, 5 evanescit ex Actuum historia; procul dubio tamen non quia in Evangelii propagatione non praeclare et ut vir primarius desudaret, sed quia Lucas historiam Pauli texit. 2 Cor. 1, 19 memoratur, sed per referentiam ad primum in corinthiam urbem ingressum, i. e. ad Act. 18; multis annis postea apparet velut Petri adiutor (1 Petr. 5, 12) ut videtur tamquam eius secretarius a litteris conscribendis. (1)

(1) Quoniam de Luca Paulus speciali ostensa in eum dilectione loquitur (Col. 4, 14) eumque medicum appellat, sunt inter recentiores criticos qui putant illum a Paulo adiunctum sibi in socium fuisse ut sibi in suis morbis auxilium

Quam egregiam, fidelem, solertem ac filialem operam Paulo praestiterint in suo ministerio hi eius adiutores, discimus passim ex eius epistolis. Eminebat inter eos forsan prae omnibus Timotheus. Is circumcisus et adscitus est per Apostolum in adiutorem admodum adhuc iuvenis, nam 15 fere annis postea adhuc appellatur ab Apostolo « adolescens » (1 Tim. 4, 12; 5, 1. 2. 22; 2 Tim. 2, 22) (2) adhibitus illico fuit a Paulo ad missiones difficillimas obeundas a quibus sese egregie expedivit. Certe non erat facile negotium Thessalonicam ingredi ad visitandos confortandosque neophytos quo tempore, aut brevissime postquam ea violentia iudaei Thessalonicenses ex hac urbe et ex beroeensi pepulerant Apostolum. Id tamen intrepido animo aggressus est Timotheus (Act. 17, 14. 15; 1ª Thess. 3, 15) et magno cum successu missionem perfecit (1 Thess. 3, 6; Act. 18, 5). Talia peragebat adolescens vix ad Pauli societatem admissus. Sed multo magis ardua res erat Corinthum adire Pauli nomine cum, rescita per Apostolum ex domesticis Chloës (1 Cor. 1, 11) et ex legatis corinthiis (1 Cor. 16,15) rerum conditione in illo coetu, graves illas litteras ad eum per mare

---

praestaret; imo, quoniam fragm. murat. (lin. 4) " iuris studiosum „ eum facit, adiutorem Apostoli praeterea fuisse ad quaestiones de iure quae forsan expediendae essent, sive ob iudaeorum vafritiem tricas huiuscemodi Apostolo susciantium, sive ob alias causas. Certe talis suppositio possibilitatis limites non excedit; neque enim nimia de se cura in Apostolo dici poterat qua pro tot inneribus de tali auxilio sibi provideret; at verisimile non est. Lucas adiuvit Apostolum in aliis negotiis altioris ordinis. Comitabatur vero eum primo in brevi itinere Troade Philippos; deinde in reditu ex tertio itinere Philippis Hierosolyma, Caesaream, Romam. Durante altero Pauli itinere per interiora Macedoniae et Achaiae, ac toto dein tertio itinere usque ad reditum (Act. 17, 1-20, 5) Philippis remansit. Quid ibi interea egerit, ignoramus. Zahn (*Das Ev. d. Luk.* 3) putat suam artem exercuisse, ac solum secundario missionis rebus subsidium praestitisse. Mirum quod ita de viro iudicet, qui, ut ex tota historia apparet, non secundario, sed primario et toto corde se ministerio sacro addixerit. Id aperte constat ex eo quod Paulum tot annis comitetur in angustiori vitae Apostoli periodo (Act. 20, 5-28, 31) i. e. in quadriennio captivitatis: deinde scribit Evangelium et Actuum historiam, numeratur (Col. 4, 14) inter strenuos ministerii adiutores. Act. 20, 5 expectat, procul dubio ex condicto, Pauli reditum a tertio itinere ita ut adiunctus etiam ei fuisset, tametsi per mare (Act. 20, 3) Paulus remeasset, obviam ei faciendus in via, v. gr. prope Ephesum, cum designatus iam multo antea esset Apostoli comes in deferenda collecta (2 Cor. 8, 19). Si iam in secundo itinere non est reversus, ideo fuit quia Paulus Ephesum erat rediturus. Munus sacrum abs dubio gessit in philippensium coetu, quodcumque demum fuerit.

(1) De motivo actionis (propter iudaeos); quem sensum verba habeant, ambiguum est.

(2) Id quod supponit eo tempore aut vix aut nondum attigisse Timotheum 40 annos (cfr. Iren., *Contr. haer.* 2, 22).

miserat quas 1am ad Cor. appellamus. Scandalum incestuosi, factiones in populo circa magistrorum fidei dotes in quibus Paulo ipsi minime parcebatur, et alii abusus haud leves perturbabant corinthiorum ecclesiam cum in eam ut complanaret vias ad pacem et bonum ordinem, mitteretur Timotheus (Act. 19, 21 ; 1 Cor. 4, 17 ; 16, 10). Quam altam de Timotheo Paulus iam eo tempore opinionem foveret, ostendunt verba quibus hoc ipso in loco (4, 17. 18) de eo corinthiis loquitur. Timotheus, « filius carissimus et fidelis in Domino », idoneus a Paulo reputatur ut corinthiis intimos Apostoli de vita christiana sensus in memoriam revocet: iam tum scilicet « assecutus eius doctrinam institutionem, propositum, fidem » (2 Tim. 3, 10) Pauloque plane « unanimis » (ἰσόψυχος Philipp. 2, 20) ut nullus alius. Certe huius missionis exitum per positiva testimonia ignoramus : (1) et posterior Titi deputatio non itineris Timothei suspensionem, sed potius eius insuccessum suggerere posset ; sed id non tam Timothei ineptitudinem quam corinthiorum indocilitatem probaret (2). Paulus tamen semper demonstravit Timotheo summam fiduciam usque ad extremum vitae halitum. Hinc illa eximiae dilectionis signa in utraque ad eum Epistola ; hinc eius ad se advocatio 2 Tim. 4, 9 i. e. in extremis iam vitae ; hinc eius memoria in inscriptione plurium Epistolarum (2 Cor. Philipp. 1ª 2ª Thess.). Hebr. quoque memoratur et commendatur (13, 23). Timotheum ipse Paulus **consecravit in Episcopum (2 Tim. 1, 6).**

Post Timotheum eminet Titus cuius opera mature admodum (Gal. 2, 1) et fidentissime utitur Apostolus in rebus admodum arduis (Cfr. 2 Cor. 2, 13 ; 7, 6. 7. 13. 14), speciatim vero in collectarum negotio (2 Cor. 8, 3. 16. 17. 22 ; 12, 18). Cum Titus iam ante Timotheum adlectus Paulo sit et aliunde nullibi eius, sicut Timothei, iuvenilis aetas efferatur, aliquot eo annis provectior erat. Post Timotheum et Titum fidelitate ac modestia cum illimitata in Paulum adhaesione eximii **produntur Lucas et Aristarchus.**

Ex hisce sociis plerosque Paulus sibi ipse delegerat ut de Sila, Timotheo, Tito expressis terminis constat (Act. 15, 40 ; 16, 3 ; Gal. 2, 1) De Sila in primo testimonio dicitur " electum „ sibi a Paulo in socium fuisse : ἐπιλεξάμενος Σίλαν : de Timotheo in altero : " eum voluisse Paulum secum proficisci „ : τοῦτον ἠθέλη-

(1) Erunt forsasse qui ex eo quod Lucas Act. 19, 21 dicat Timotheum missum a Paulo fuisse *in Macedoniam* et eius nomen legatur in inscriptione 2 Cor. 1, 1 putent Timotheum missum quidem fuisse sed, detentum in hac provincia, Corinthum non attigisse : at eum itineris meta fuisset Corinthus (1 Cor. 4, 17 ; 16, 10), non adest sufficiens fundamentum ad talem coniecturam.

(2) Loisy Timotheum describit velati virum timidum et exiguae auctoritatis (Les Actes des Apôtres 735) ; at non recte. Cfr. dicta in textu.

σεν ὁ Παῦλος σὺν αὐτῷ ἐξελθεῖν: de Tito in tertio: " cum assumpsisset etiam Titum „: συνπαραλαβὼν καὶ Τίτον. Idem videtur de reliquis dicendum. De Luca, ipse, cum se primum Paulo adiungit nihil de modo adiunctionis dicit, imo nec se nominat vel explicite adiunctionem ad Paulum narrat; sed solum ab eo tempore incipit primam pluralis personam adhibere quo se in posterum non " auctorem „ tantum, sed insuper " actorem „ in narratis prodit (1). Paulus vero 2 Cor. 8, 18 ait eum " designatum sibi socium peregrinationis ab ecclesiis fuisse „: Χειροτονηθεὶς ὑπὸ τῶν ἐκκλησιῶν συνέκδημος ἡμῶν. Antiqui iam ab Origene in hoc socio Lucam vident. Designatio prima specie videretur solemnior, i. e. rituali quodam apparatu facta sicut Act. 13, 3 respectu Barnabae. Attamen χειροτονέω illo in loco non ritum ordinationis in ore Pauli designat ut locutio Actuum ἐπιθέντες τὰς χεῖρας: χειροτονέω apud graecos, ut omnes norunt, saepe designationem per suffragium denotat. " Iter " vero sive peregrinatio designata per vocem συνέκδημος non sunt Pauli itinera apostolica prout talia, aut ullum ex eis, sed pro collecta quae corroganda in Macedoniae et Achaiae ecclesiis erat in tertio itinere, Hierosolymam deferenda. Hinc etiam Lucae assumptio Troade (Act. 16, 10) utpote multo antiquior, fuit quoque ex libera Pauli electione, sicut in reliquis sociis. In Epistola ad Philipp. (4, 3) ultra memoratos, nominat Apostolus inter suos adiutores (συνεργούς) " Clementem „, quem antiqui identicum fecerunt cum Clemente Romano. Ex chronologicis rationibus non foret gravis difficultas; maior tamen adest in geographicis et historicis. Data igitur frequentia nominis Κλήμης illis aetatibus in Oriente, forsan probabilius agitur de alio nobis ignoto. At nec videtur Paulus loqui hic de adiutoribus qui constanter eum et passim comitabantur: agitur potius de quibusdam qui praeter consuetos, in ipsa Philippensium urbe Paulum adiuverant.

Designatio vero Lucae in comitem ad collectam Hierosolyma portandam facta sine dubio est cum Paulus, relicta Epheso, per Macedoniam, ac Philipporum urbem in Achaiam adiit; hoc enim iter inter alios fines, illum non ultimum habuit ut indictam iampridem ecclesiis illis collectam, Paulus sumeret portaturus Hiesolyma.

(1) Id quod in alio scriptore forsan mirum videretur ut nimirum se innominatum obtrudat, in Luca nihil tale habet: notissimum enim omnibus erat auctorem Actuum Lucam esse socium Pauli per plures annos.

Sectio III: **Pauli controversiae de Evangelii natura ac virtute.**

I. Magna cum iudaismo contentio de mosaismi valore

1. Primitiva Ecclesiae christianae fides de Christo salutis fonte.

Quamdiu Evangelium promulgabatur in urbe Hierosolyma et oppidis vicinis i. e. inter solos iudaeos, nulla suscitata est controversia de valore mosaismi inter christianos in ordine ad salutem; et si documentis stemus, i. e historiae Actuum quae unicus est fons historicus directe ad nos transmissus de hac periodo, controversia exorta primum apparet Antiochiae, non solum postquam a pluribus annis nata erat ecclesia ethnico-christiana illius urbis aliarumque proximarum per Syriam, sed postquam terminatum iam erat primum iter transmarinum Pauli per Cyprum, Pisidiam et Lycaoniam, brevi ante conventum apostolicum; ac proin vel anno iam 51, vel non multo ante hoc tempus. Nec Pauli Epistolae dissentiunt hac in re ab historia Actuum, imo plane concordant: nam quidquid demum sit de tempore quo Paulus inchoavit suam praedicationem ad gentiles, controversia de mosaismo, etiam iuxta Apostolum, nonnisi 17 circiter annis oborta est post suam conversionem (Gal. 2, 1). " Mosaismum „ intelligimus non cum promissione ut quidam scriptores, (1) sed " sine „ vel " abstractione facta a promissione „, cum " promissio " iuxta Apostolum (Rom. 1, 2) potius " Evangelium „ sit. Mosaismus ergo est " oeconomia vetus seclusa promissione „, seu: " elementum specifice mosaicum in oeconomia veteri „. Includimus utique " circumcisionem „, sensu quo eam adhibebant iudaei, " pignoris scilicet filiationis Abrahae qua stipitis populi electi „ (2). Non tamen omnia et singula quae ex remotiori antiquitate receperant hebraei tamquam bona et religiosa, communia nihilominus cum aliis gentibus, qualia erant plura ut apud Abimelec, Melchisedec, Iob et horum hae-

(1) Cfr. *Eccles. Review* 54, 47.

(2) Abstractionem facimus a quaestione de origine " historica „ circumcisionis; quamquam opportunum exsistimamus monere iam Origenem impugnasse Celsum qui " hebraeos aiebat ab aegyptiis circumcisionem mutuatos esse „ (lib. I contr. Cels. M. 11, 697).

redes: haec quamvis ab hebraeis retinerentur, " specifice mosaica „ non erant.

Posito facto de tempore quo erupit controversia de mosaismo quod in dubium vocari nequit, (1) difficultas est in definienda eius vera significatione et causis: quaenam fuit ratio cur primi illi qui controversiam Antiochiae suscitarunt ac Hierosolymis continuarunt (Act. 15, 1. 5; Gal. 2, 3. 4) circumcisionis ac legis necessitatem pro iustificatione et salute proclamarent: an veritatis hactenus ab omnibus passim agnitae vindicatio, cuius iura nunc primum in admissione gentilium sine mosaismi onere conculcarentur; an, contra, fundamentalis veritatis christianismi ignoratio, quae numquam, a primo iam promulgationis Evangelii die, iustitiam et salutem a mosaismo, sed omnino et solum a fide in Christum derivavit. Aliis verbis, num qui suam pro mosaismo veluti ad iustitiam et salutem necessario, vocem elevarunt, apostolicam doctrinam repraesentent, an fractionem seditiosam potius, doctrinamque a traditione alienam. Id quoque, si Actuum historiam legimus, facile ac perspicue dignoscemus. Ante Act. 15, 1. 5 per totam praecedentem historiam nullibi talem doctrinam, aut ab ullo ex evangelicis praeconibus propositam videmus, aut praxi et usu significatam. Cum " fratres ex Iudaea „ proclamant Act. 15, 1 mosaicorum rituum necessitatem pro salute, describuntur veluti " pauci quidam „ τινές. Deinde non solum Paulus et Barnabas, sed delata causa ad Apostolorum et presbyterorum tribunal, hi quoque " fratres illos „ declarant " perturbatores „, " animarum eversores „, qui doctrinam illam promunt ex sese, non " ex hierosolymitanorum praesulum mandato „ (Act. 15, 24). Porro non poterant illi fratres eorumque doctrina adeo severe iudicari, nisi nova et numquam antea audita in Ecclesia fuisset, ac penitus aliena a mente Apostolorum. Sane perturbatorum doctrina ideo

(1) Sedulo animadvertendum est tempus quo secundum Paulum ipsum erupit controversia. Iuxta Apostoli expositionem, " subintroducti falsi fratres „ παρεισάκτοι ψευδαδέλφοι (Gal. 2, 4) qui concedentibus passim omnibus criticis non exceptis Wrede, Weizsäkero, Weissio (Ioanne) etc. iidem illi sunt de quibus Act. 15, 1. 5, vocem non attollunt nisi post 17 circiter annos a Pauli conversione; nam Paulus utrobique, i. e. tam iuxta se, quam iuxta Lucam, illico, aborta controversia, sese opponit hierosolymitanorum illorum machinationibus: si non narratur res nisi hoc tempore i. e. 17 annis a conversione et post primum iter, ideo est quia non antea perturbatores insurgunt; si antea insurrexissent, antea obstitisset eis Paulus.

reprobatur quia, testante Petro, cui Iacobus assentitur et tota Apostolorum ac seniorum et plebis concio adhaeret, (1) " tentatio Dei est velle imponere mosaismum gentilibus, cum *non per mosaismum, sed per gratiam Domini Iesu Christi* salventur *tam iudaei quam gentiles* „ (Act. 15, 7. 10. 11. 19). Certe, verum principium iustitiae ac salutis non aliud in primordiis promulgationis Evangelii, aliud postea, ab Apostolis declaratum erat; sed unum idemque constanter, ab exordio fidei christianae.

Nec ex Epistolis Pauli infirmantur dicta, sed confirmantur. Cum in conflictu antiocheno Paulus Petro exprobrat suam agendi rationem, demonstraturus suorum monitorum fundamentum, sic eum coarguit: " nos (tu Petre, et ego sicut omnes qui adstant) (2) natu iudaei sumus, atque ut tales in possessione eramus circumcisionis ac Legis: cum vero perspexissemus hominem *non iustificari ex operibus legis, sed ex fide Iesu Christi*, credidimus et nos in Christum Iesum ut *iustificaremur ex fide Christi et non ex operibus legis*, nam, testante Scriptura, nequit ullus homo iustificari ex operibus legis „. Perspicuum est ex his verbis non Paulum solum, sed Petrum quoque et reliquos Apostolos palam

(1) Num sub voce πλῆθος = " multitudo „ intelligat Lucas (Act. 15, 12) plebem fidelium ultra apostolos et seniores, an horum concionem tantum, ex praecedentibus (6. 7) dubitari posset, cum in praecedentibus de solis apostolis ac presbyteris sit sermo tamquam de coactis ad deliberandum. At vis ipsa vocis et v. 22 ubi expresse ἐκκλησία distinguitur ab apostolis et presbyteris indubium reddit vocabuli sensum: agitur sine dubio de fidelibus ex plebe qui praeter apostolos et seniores adsunt concioni. Quod v. 6 soli apostoli et seniores memorentur inde est quod ibi de " deliberantibus „ agitur, non de omnibus ad sessiones adstantibus inter quos indubie multi fideles ex populo aderant.

(2) Ipse (Gal. 2, 15) complecti iudaeo-christianos adstantes ac potissimum Petrum et Barnabam cum Paulo, sed non ethnico-christianos ullos, apparet ex compellatione " peccatores „ qua ethnico-christianos designantur, atque ex perspicua segregatione quae fit inter hos et iudaeos stirpe. Ex eodem fundamento palam fit pericopam exhibere orationem " verbis „ prolatam ad coetum Antiochiae coactum, non, ut vult Zahn (*Der Brief an die Gal.* p. 119), scripto ad lectores factam. Quomodo Paulus poterat lectores despectiva illa appellatione " peccatores „ designare? Obiiciet quis: sed tandem Paulus, etsi in orationis ad iudaeo-christianos habitae recordatione, scribens tamen ad ethnico-christianos appellationem applicat! — At profecto aliud est compellationem alias in familiari iudaeo-christianorum concione usurpatam " recordari „, aliud " directe „ ethnico-christianos in propria eorum facie ita compellare. In concione iudaeo-christianorum et ad eos coarguendos, compellatio a Paulo usurpatur potius auditorum sensu et sermone quam proprio; et galatae sicut gentiles in genere optime sciebant talem de gentibus compellationem apud iudaeos et iudaizantes usualem esse.

profiteri se non venisse ad fidem christianam nisi praeeunte persuasione quod " Christus per fidem in ipsum, minime vero mosaismus, iustitiae ac salutis fontem constitueret „. A prima ergo die promulgationis Evangelii Apostoli, sicut profitebantur ipsi, ita etiam constanter ceteros docuerunt articulum de Christo unico et adaequato salutis ac iustitiae fonte, ita ut in professione ac proclamatione huius articuli nulla esset inter eos Paulumque discrepantia sed plena conformitas. Revera Petrus vix non in omnibus suis concionibus ad populum hoc loco evolvendo delectatur. Cap. 4, 11. 12 Iesus iuxta Petrum unicus ille est cuius nomine per fidem invocato, salus ab humano genere potest obtineri: " neque enim est aliud nomen, inquit Petrus, sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri „ : paulo autem superius 3, 15 Iesum appellaverat primordialem vitae (temporalis ac spiritualis), auctorem „ (τὸν τῆς ζωῆς ἀρχηγόν). Si autem Iesu nomen unicum sub coelo iuxta Petrum est ad cuius invocationem salus possit obtineri, cum 2, 38 i. e. iam in prima concione, postulat ab omnibus qui *salvari* velint, ut " baptizentur in *nomine Iesu* ad remissionem peccatorum „. baptismus in nomine Iesu requiritur a Petro veluti certissimum simulque unicum medium salutem obtinendi. Perspicuum igitur est in Ecclesia christiana, a prima Evangelii promulgatione, salutem universim, non iam pro ethnicis, sed pro iudaeis quoque, non in mosaismo quo iam fruebantur hi (1) qui ad fidem et baptismum Iesu invitantur si volunt iustificari, sed in sola Christi fide ab Apostolis repositam fuisse : ac proin christianismum a iudaismo iam tum radicitus diversum exstitisse. Iudaei proin illi qui Antiochiae mosaismum ab ethnico-christianis exigebant veluti necessarium ad salutem, nedum recte apostolicam doctrinam interpretarentur, eam revera penitus evertebant.

Hodiernus protestantismus tamen non ita primitivam Ecclesiae hierosolymitanae fidem intelligit. Iuxta hos criticos qui Baurii ; lacita hac de re passim profitentur, coetus ille christianus proprie non fuit, sed secta iudaica quae a reliquis iudaeis « hoc solum differebat quod

(1) Petri auditores iudaei erant: ideo Petrus initio orationis eos " viros israëlitas „ consalutat, et in fine " domum Israël „ in iis repraesentatam cernit (vv. 22. 36) et quamvis non desint proselyti (v. 11), cum indistincte ab omnibus postulet Petrus ut si salvari velint in " nomine Iesu „ baptizentur, etiam pro iudaeis salutis fons unicus " in fide Christi „ est. ut Act. 15, 11 rursus declarat.

in persona Iesu Nazareni Messiam agnosceret · : ceterum Messiae notio *eadem* apud utrosque erat, itemque omnes *eadem dogmata eumdemque cultum* profitebantur (1). En quo modo horum primitivorum fidelium religionem describit Harnack : · erant, scribit, zelantes observatores legis, itemque fervide Templo adhaerebant, implentes hac ratione agendi supremum fidelis iudaei officium. Cum autem praeterea Iesum ut Messiam *adhuc venturum* exspectarent [primus adventus erat quid transitorium, ac comprobatio publica de vera Iesu messianitate nondum erat completa] facile id benigna interpretatione illis dissimulabatur veluti quaedam eorum idiosyncrasia, in gratiam magni fervoris quo ceteroquin mosaismum profitebantur. Nos saltem non possumus rem aliter concipere ». Ita Ad. Harnack.

2. Actus et Epistolae in historia de mosaismi valore.

Haec quam proposuimus, toto coelo diversa catholicorum et protestanticorum criticorum interpretatio eiusdem facti historici, ex opinionis diversitate oritur quam de habitudine mutua utriusque

(1) " Secundum Actus apostolorum, scribit Baur, primi Iesu discipuli addixerunt se quo arctius potuerunt, nationali religioni ac cultui : unum quo a reliquis iudaeis secernebantur id erat : quod persuasum eis esset in Iesu Nazareno Messiam advenisse „. At in hac fide in Iesum " nihil perspiciebant quod cum propria iudaicae nationalitatis conscientia pugnaret „. Baur, *Der Apostel Paulus* pp. 41. 42). Fundamentale hoc axioma liberaliores Protestantismi critici omnes retinent, etiam illi qui aequiores quam Baur in tractanda historia se volunt ostendere. Wrede in suo " Paulus „ scribit : " Diese Leute (primi hierosolymitani fideles) waren überhaupt noch *keine Christen :* sie wollten selbst nichts sein als messiasgläubige Juden „ (p. 41). Otto Pfleiderer (*Entstehung und Entwicklung des Christ.*) : " Diese Bruderschaft Iesu noch weit entfernt davon war, sich als besondere und neue Religionsgemeinschaft vom Judentum zu scheiden, und gar unter den Heiden Anhänger zu werben. Sie wollten vielmehr nichts anderes sein als der messiasgläubige Kern des ganzen Volkes „ (p. 121) et p. 127 : " die jerusalemische Urgemeinde sich vom Judentum noch so wenig unterschied, dass sie mehr eine messianische Sekte innerhalb desselben, als eine neue Religionsgemeinschaft darstellte. *Wäre* es bei dieser conservativen Haltung der ersten Jünger geblieben, so wäre es *nie zu einer christlichen* Kirche gekommen „ Weizsaecker, *Das Apostol. Zeitalt.*[3] p. 3 : " die Zugehörigkeit zu dem Glauben und Gemeinwesen ihres Volkes hielten die ältesten Christen fest „. Harnack haec Weizsäckeri verba propria facit (*Mission und Ausbr.*[4] 1, 47) et addit insuper ex proprio penu verba superius in textu citata (pp. 47. 48). Denum J. Weiss (*Urchrist.* p. 204) iudaizantium doctrinam eamdem fuisse ait quam apostolorum : " der Kampf um die Beschneidung des Titus (in qua supponit apostolos pro Titi circumcisione Paulum exagitasse) zeigte dass eine unprincipielle Ungeklärkeit geblieben war „.

fontis " Actuum „ et " Epistolarum Pauli „ tenent : dum enim catholici asserunt ea quae Lucas in Actibus de controversiae circa mosaismum origine, causis, solutione narrat, Epistolis Pauli plene confirmari, protestantes hodierni passim putant utrumque fontem non posse conciliari. Nam secundum Pauli Epistolas, aiunt, 1°) id quod iudaei hierosolymitani Antiochiae (Act. 15, 1) et postea (15, 5) Hierosolymis proponunt de mosaismo ab ethnico-christianis retinendo ceu ad salutem necessario, non est doctrina nova, sed eadem ipsa quam hactenus, i. e. usque ad Pauli Evangelium, professa erat universa ecclesia sub apostolis, cum primitivi fideles nonnisi veri iudaei essent 2°) causa cur ethnico-christianis denuntietur mosaismi necessitas non fuit quod denuntiantes ignorarent aut perverterent veram Ecclesiae doctrinam, sed, e contra, zelus eiusdem conservandae ; 3°) cum postea disceptatur et resolvitur causa in conventu hierosolymitano, apostoli non approbant, ut Lucas vult, Evangelium Pauli tamquam suo conforme, quasi nimirum ipsi quoque aut iampridem aut semper eamdem doctrinam professi sint ; sed lis coacta transactione invitis apostolis componitur inter hos et Paulum, quia nimirum semel consummato facto fundationis tot communitatum a mosaismo immunium, frustra, imo cum graviori christianismi iactura obluctati fuissent apostoli.

Inter criticos protestanticos non omnes eadem asperitate controversiam exponunt, licet in rei summa concordes sint. Wrede scribit : die beiden berühmten Berichte darüber : Gal. 2 und Apostelg. 15 enthalten *unausgleichbare Widersprüche* (*Paulus* p. 42) ; et facto hoc fundamento, quoniam testimonium Pauli, ait, utpote immediatum, etsi quadam exaggeratione non vacet testimonio Actuum anteponi debet ut factis conformius, sic causae processum, secundum Apostoli mentem, ut autumat, exponit, habita prae oculis potissimum Epistola ad Gal. 1, 12-2, 21. 1°) Iesus de gentilibus ad Evangelium pertrahendis per missionem non cogitavit : si vero aliquid hoc sensu tentatum sub eo fuisset, ethnici mosaismo subiecti essent. Eadem rerum conditio sub Duodecim perseveravit in primitivo hierosolymitano coetu. E contra, ethnici extremam in ritus iudaicos repugnantiam probabant, et missio per Paulum et suos inchoata inter ethnicos sine ullo mosaismi onere inaugurata est. Exinde habebantur e regione, hinc coetus cui mosaismus res erat penitus sacrosancta et inviolabilis ; illinc missio pro qua immunitas a mosaismo erat conditio indispensabilis ad vitam. Perspicuum est, non obstante vinculo fidei in Iesum, practicam in vita uniformitatem inter utramque factionem futuram fuisse plane impossibilem. Non enim agebatur de

instituto quodam bene constabilito, cui altera pars veluti appendix accederet, sed de duplici institutione iam seorsim firmiter constituta secundum normas practicas plane diversas. In his conditionibus evolvitur controversia de mosaismo. 2°) Rebus igitur sic se habentibus, quidam ex ardentioribus mosaismi fautoribus hierosolymitanis Antiochiam profecti sunt ut Pauli opus propius explorarent (Gal. 2, 4). Horum nuntia de antiochenis rebus inquietudinem et iram hierosolymitanorum provocarunt quae colloquium personale inter Paulum et hierosolymitanos necessarium reddiderunt. Paulus probe novit agi de summa rei, et suam causam in periculo versari (Gal. 2, 2) ac proin summopere curandum sibi esse ut apostolorum approbationem extorqueret. Bono suo fato nulla hactenus nisi perfunctoria cum apostolis colloquia habuerat (1, 16-18); et aliunde, antequam vires ei perfringi possent, multorum coetuum ethnico-christianorum erectionem praemiserat quibus « columnarum » oppositioni obviam ire posset. Hinc, cum ad colloquia ventum est, Iacobus Petrus et Ioannes compulsi sunt fateri Paulum ethnicos ad fidem pertraxisse et apud eos dona quoque spiritus, sicut apud iudaeochristianos, implantasse. Hoc Dei iudicio rigidiores iudaizantes impediti sunt ne concordiam frustrari obtinerent, id quod totis viribus conabantur et Pauli opus approbatum est (2, 4-9[a]). At concordia transactionis limites non excessit; in ea namque statutum est ut utraque pars proprium actionis ambitum ab alterius ambitu seiunctum retineret, id quod potius « separationem » quam « unionem » denuntiabat (2, 9 [b]). 3°) Concordiae instabilitatem brevi patefecit conflictus antiochenus ubi Paulus, ira vehementer incensus, acerbe Petro, quondam Hierosolymorum « columnae », lectionem recantavit (Gal. 2, 11-21) Hactenus factorum series perspicua est: historia posterior nonnisi indirecte et fragmentarie cognoscitur; summa rerum haec est: erecta fuit ubique contra Paulum in ecclesiis ab eo fundatis, missio iudaizantium (2 Cor. 10-11; Gal. 5, 2. 4; Philipp. 3, 2. 3). Iudaizantes haec Paulo opponebant: *a*) Iesum in lege vixisse atque circumcisum fuisse: *b*) neminem melius hac de re iudicare posse quam discipulos immediatos Iesu qui cum eo vixerant. *c*) Paulum non esse verum apostolum (Gal. 1, 1. 12 seqq.; 2 Cor. 10, 7 seqq.; 11, 5 seqq.; 12, 11. 12). Centrum agitationis constanter Hierosolyma fuit; et quamvis non constet Duodecim eam per se inchoasse aut promovisse, certum est sine eorum protectione perturbatores rem non potuisse cum successu perducere (2 Cor. 3, 1). 4°) Paulus in hac memoranda pugna victor evasit, sed non sine concessionibus. Redux in Palaestinam votum stricte iudaicum super se suscepit, et antea Timotheum circumciderat (Act. 21, 23-26; 16, 3). Equidem multi haec facta infitiantur; sed id ex hypothesi faciunt quod Paulus sibi constans semper manserit: satius tamen esset Pauli consequentiam non nimis exaggerare (1 Cor 9, 20). 5°) Si quaeritur quomodo ad

completum schisma ventum non sit, responsum est obvium : Paulo non deerat audacia ad facinus ; sed auctoritas ecclesiae hierosolymitanae apud ethnico-christianos et intimus quidam in ipso Paulo venerationis sensus erga « sanctos » in urbe, luctuosum hunc exitum impedivit (1).

Wredium e vestigio sequitur novissime J. Weiss, qui retentis substantialibus lineamentis eius systematis nonnulla secundaria parumper modificat. Weiss 1°) iudaizantes, Pauli adversarios, veluti homines timoratos exhibet qui ex conscientiae officio agunt ; Paulum vero potius ex superbia, politica et vana gloria. 2°) Paulo ait numquam in animo fuisse ut suam doctrinam ullius iudicio subiiceret, quia nullum sibi superiorem agnoscebat. 3°) ex rationibus politicis tamen coactus est et cum apostolis agere, et Titum circumcidere quamquam sub specie voluntariae acquiescentiae. Sic interpretatur Weiss Gal. 2, 4 invocato in suum favorem cod. *D* qui voces οἷς οὐδέ (2, 5) omittit, quam lectionem videntur inter PP. secuti fuisse Iren. III, 13 et Tert. c. Marc. V, 3 cum Victorino et Ambrosiastro. 4°) Etsi apostoli non approbassent suum Evangelium, Paulus propriam viam continuasset (2). Nimirum ex pruritu propria proferendi, Weiss levia quaedam addit.

Criticorum protestantium conceptio de controversia mosaismi, ut ex eorum expositione facile apparet, his capitibus continetur : 1°) Aderat de facto gravis principiorum discrepantia inter Paulum et primitivam ecclesiam hierosolymitanam sub apostolis discipulis Iesu, et usque adeo profunda, ut primitivi illi fideles proprie christiani non essent (3). Discrepantia sita erat in mosaismi valore : dum Paulus ei denegabat quamvis efficaciam iustificativam (Gal. 2, 14–21 ; 5, 2. 4), ecclesia hierosolymitana, eo ipso quod Paulo ob hanc rem adversabatur, illam efficaciam agnoscebat, saltem simul cum fide in Christum (Act. 15, 1. 5 ; Gal. 5, 2. 4). 2°) Apostoli, quamvis forte non singula approbabant quae iudaizantes agerent, in principio certe eis consentiebant ; neque enim sine apostolorum patrocinio potuissent iudaizantes ea efficere quae processu causae effecerunt, v. gr. gravem pressuram in casu Titi (Gal. 2, 4. 5). Quod si apostoli Paulo tandem consenserunt, id non tam ex animo quam ob difficilem rerum conditionem a Paulo creatam praestiterunt. 3°) Epistolae Pauli cum libro Actuum con-

(1) Wrede, *Paulus* 40-46. Secundum Wrede, historia huius controversiae evertit conceptum qui passim habetur de altissima primitivorum christianorum sanctimonia ; nam apostoli communibus hominum cupiditatibus exagitantur. Iampridem idem Renanius effutierat (Les Apôtres, Introd. p. XXXVI).

(2) ***Urchrist.*** 197-204.

(3) Recole superius collecta ex Baur, Wrede, Pfleiderer, Harnack.

ciliari non possunt, cum hic concordiam statuat inter Paulum et Apostolos in conventu hierosolymitano quae secundum Gal. nulla exstitit: hinc selectio inter utrumque fontem difficilis non est: libro Actuum anteponendae sunt epistolae, etsi hae ipsae immunes ab omni exaggeratione non sint (1). 4°) Utriusque fontis accurata analysis ostendit historiam realem ab obiectiva veritate haud leviter per auctorem Actuum detortam fuisse: Petri et Iacobi figura, praesertim Iacobi, multum desciscit ab ea luce sub qua apparet apud Paulum. 5°) In conventu hierosolymitano certissime nullum emissum est decretum quale Act. 15 supponitur. 6°) Paulus ipse sibi constans non fuit. In his conveniunt omnes, non excluso Harnack; quia etsi in punctis 3° et 4° conetur conciliationem inter Actus et epistolas statuere, obiectivam tamen historiae deformationem a Luca, bona utique fide, ex eius subiectivo criterio, inductam ipse quoque statuit (2).

3. Criticorum vacillationes in exponenda quaestione.

Ut de controversia quae super mosaismi valore disceptabatur recte iudicemus, opus ante omnia est bene definire quinam hac de re contenderent. Certum quidem est ex una parte Paulum pro ethnicorum immunitate a mosaismo dimicare; sed quinam sunt Pauli adversarii qui huius thesin impugnant stabilita contraria " de mosaismi necessitate ad salutem et iustitiam? „ Critici acatholici vacillant: hinc enim, cum Iesum faciant " missionis „ ignarum et coetum hierosolymitanum exhibeant veluti constitutum sub iisdem principiis, cum coetus ille non ab aliis quam a Iesu discipulis Magistri criterio imbutis conditus ac constitutus sit, atque ab iisdem suas notiones religiosas de mosaismi vero valore acceperit, si coetus profitebatur axiomata paulinis contraria, eadem attribuenda sunt apostolis, et non licet eos a coetu in hoc doctrinae capite seiungere. Illinc vero, cum non solum narratio Actuum, sed ipse Paulus perspicue asserat apostolos reprobasse novatorum doctrinam, critici nesciunt clare definire apostolorum partes in controversia: nec enim connumerare eos

(1) " Es ist selbstverständlicher historischer Grundsatz dass der unmittelbar beteiligten Zeugen dem eines (viel) späteren Erzählers vorzuziehen ist „. (J. Weiss, *Urchrist.* p. 193).

(2) *Neue Untersuch.* 21-28.

audent iudaizantibus proclamantibus axioma de mosaismi necessitate ad salutem, neque declarare contrarios, sed mente titubante haec de eis statuunt 1°) eos in conventu controversiam non per principia resolvisse, admissa vel negata in principio Pauli doctrina, sed " compromissoriam transactionem „ proposuisse qua Paulus ethnicis sine mosaismi onere, (1) ipsi iudaeis retento mosaismo Evangelium offerrent (2). 2°) eos plus minusve iudaizantibus favisse; secus enim ii non ausi fuissent tantopere in sua praetensione progredi. 3°) Iacobum praesertim graves contra se hac in re suspiciones suscitare.

Talis modus loquendi aperte pandit parum firmam criticorum positionem in quaestione; nam 1°) evidenter contradictoria statuunt. Si Christus missionem ignoravit, et tentamina sub eo aut ex eius insinuationibus facta, mosaismum ab ethnicis postulassent, idem de apostolis dicendum est utpote longe inferioris prae Christo, iuxta criticos, conditionis multoque magis, prae illo, mosaismo adstrictis. Cur igitur quomodocumque secernuntur a Pauli adversariis et non plane cum ipsis collocantur? Sane principium quod de fide primitivorum christianorum Hierosolymis critici statuunt omnino postularet ut apostolos non christianos, sed iudaeos fuisse dicerent. Cum conditores hierosolymitani coetus fuerint apostoli, si coetus iudaeus erat, etiam apostoli vere ac proprie iudaei erant: inter lineamenta enim quibus Lucas Act. 2, 42–47 coetum hierosolymitanum describit, primum locum illud tenet: " erant perseverantes in doctrina apostolorum „. Talis erat hierosolymitani coetus indoles characteristica. Perperam igitur status

(1) " Mosaismum „ qua ethnico-christianis quomodocumque imponendum, appellamus " onus „ quia tale revera eis fuisset si ei subiecti essent, et non aliter eum concipit Petrus Act. 15, 10 imo et pro ipsis iudaeis. Num de facto ei subiacuerint aliquando ethnici ad Evangelium venientes, non est facile definire, cum ante Cornelii admissionem Evangelium nondum ulli gentilium oblatum sit. In Palaestina dein, non aderat ullus ethnicus sicut in Diaspora, qui synagogas frequentaret; extra Palaestinam ipsam, in provinciis Palaestinae finitimis non videntur fuisse multi; sed si aliqui forsan eas frequentabant et Evangelium ante Act. 11, 20 audierunt, videntur fuisse reputati veluti proselyti. Cum advenit tempus in quo aut praevidebantur frequentaturi, aut de facto coeperunt frequentare, prospexit Providentia revelatione Petro facta.

(2) Secundum Loisy, etsi Apostoli forsan instigassent perturbatores, imo miserint Antiochiam ut causam iudaizantium veluti propriam plus minusve subdole tuerentur, reditum delegatorum exspectarunt ut securius litem dirimerent (Les Acts des Apôtres p. 578).

quaestionis a nostris criticis proponitur; et de facto, non coetum hierosolymitanum ut talem, multo vero minus ducibus aut fautoribus apostolis, sed " paucos quosdam „, minime coetus massam insurrexisse adversus Paulum ex documentis tam Lucae quam Pauli ipsius ostenditur (Act. 15, 1. 5; Gal. 2, 4).

2°) Nullum adest fundamentum ad asserenda tria illa (1) de apostolorum complicitate. *a*) Petri et sociorum (Ioannis et Iacobi) propositio de continuanda praedicatione, apud ethnicos per Paulum, apud iudaeos per Petrum ac socios, nullum in principiis ac doctrina dissensum significat; nam iudaeochristiani a Petro et suis excolendi, mosaismum exercituri erant mente non iudaica aut iudaizante i. e. ex titulo necessitatis ad salutem et iustitiam, quasi harum fons quaerendus esset in mosaismo; sed mente christiana, excluso titulo talis necessitatis ad iustitiam et salutem, ut ex dictis constat. Hac autem mente et titulis Paulus et servare permittebat et servabat ipse, mosaismum (Gal. 6, 15; 5, 6; 1 Cor. 7, 18. 19; 9, 19–22). *b*) Quaestio in conventu disceptata non versabatur in hoc: num mosaismus posset a quovis exerceri quocumque titulo; sed in hoc: num servandus necessario esset " ut indispensabilis ad salutem et iustitiam earumque fons „ (Act. 15, 1. 5; Gal. 5, 2. 4); ac consequenter num Pauli Evangelium quod talem necessitatem negabat, esset essentialiter mancum, et necessario complendum hoc articulo. Petrus autem cum sociis Ioanne et Iacobo, testante Paulo (Gal. 2, 6–9) Pauli Evangelium declararunt completum, minime deficiens: quaestio igitur in radice et secundum principia plenissime soluta est, non per simplicem compromissoriam transactionem composita. Eadem argumenta probant apostolos nullum iudaizantibus favorem dedisse: si enim controversia in radice et secundum principia solvitur, iudaizantes plane reprobantur. *c*) Nec contra Iacobum potest ullum suspicionis fundamentum invocari, cum plene Petri sententiae adhaereat. Obiiciuntur quidem contra eum 1um additio quatuor praeceptorum (Act. 15, 20. 29); 2um approbatio et participatio in " aemulatione legis „ (Act. 21, 20–22); 3um exhortatio ad mosaismum (Act. 21, 24–26); 4um iudaeorum de eo maxima exsistimatio et reverentia (Ios. Fl. Ant. 20, 9; He-

(1) Scilicet distributionem evangelizandorum per circumcisos et praeputiatos (Gal. 2, 9), exercitium mosaismi inter iudaeochristianos, et dispositionem Iacobi quasi a partibus iudaizantium esset.

ges. ap Eus. H. E. 2, 23; M. 20, 197–204). Sed haec nihil valent contra positivam eius declarationem Act. 15, 13–19 ubi Petri sententiam propria confirmat; habentque idoneam explicationem quamvis Iacobo perfectam cum Paulo conformitatem concedamus. Revera, praecepta nihil proprie cum mosaismo " specifice tali „ commune habent, cum singula aut iuris naturae sint ut duo priora: aut ad ius naturae facile revocentur, ut 3um et 4um et hoc titulo extra iudaeos servarentur ob scopum quem a sua institutione intendunt (Gen. 9, 4–6) qui erat magis, ac praxi ipsa, ultra praeceptum, ab homicidio retrahere. Non ita circumcisio et legis ritualis corpus; erant iuris positivi et iudaeorum ita characteristica ut extra hunc populum potius aversionem excitarent. In Scriptura solemne est omnes non iudaeos " incircumcisos „ appellare (1).

Verba autem Iacobi Act. 21, 20–22 non approbant hierosolymitanorum inmodicum in mosaicas observantias studium, sed illud ut factum enuntiant. Ceterum etsi studium illud inmodicum esset et periculo plenum, quia non religione sed inordinato patriotismo regebatur, damnandum in se nondum erat, quia nondum a mente christiana alienum demonstrabatur. Exercitium autem aut exhortatio ad exercitium mosaismi mente christiana vitiosum non erat. Iudaeorum vero de Iacobo exsistimatio partim effectus et memoria erat illius venerationis quam erga apostolos conceperant iam primis diebus promulgationis Evangelii, (2) partim spe-

(1) Quae de circumcisione et pluriu.n iudaicarum observantiarum apud gentiles displicentia diximus, in aevo apostolico et respectu gentilium occidentalium vix difficultatem provocant. Aliud tamen est si absolute pronuntiantur. De circumcisionis origine historica eruditi nostra aetate communiter tenent ortam in Aegypto fuisse atque usitatam iam ante Abraham, provocantes ad testimonium Herodoti (Hist. 2, 104) in cuius ulteriorem confirmationem rursus affertur scena talis ritus depicta in templo Karnak iam anno circ. 3000 a. Chr. At certe Origenes qui testimonium Herodoti non ignorabat, improbat talem assertionem in Celso (lib. 1 n. 22): Origenes ergo illud testimonium non magni faciebat prae testimonio Moysis: de picturae autem aegyptiacae tempore quis certos nos reddit? Facile fieri potuit ut circumcisio apud aegyptios recentius inducta sit. At etiam tempore Exodi non videtur in usu fuisse. Iosue 5 narratur israëlitas in deserto omisisse circumcisionem. Id si circumcisio signum distinctivum erat hebraeorum a non hebraeis facile explicatur; in deserto erant soli hebraei. At si ita non erat quare omissa circumcisio? incommodum grave non erat nec diuturnae durationis; hebraei per plures annos manserunt inmoti primum ad Sinai vicinia, dein per desertum adiacens. In aliis Orientis populis ismaëlitis, madianitis, videtur in desuetudinem abiisse postquam quodam tempore viguerat.

(2) Act. 4, 21; 5, 13. 34–39.

ciali modo in eius personam ferebatur ob speciales quas ille vicissim curas in eorum evangelizatione impenderat, retento per summam prudentiam et habito in honore mosaismo, sed intra mentem scrupulose christianam, quae omnia ulterius coronabat summa vitae austeritate. Sed Iacobum minime trangressum esse iustos christianae doctrinae limites, ex eius gloriosissimo martyrio constat quod idem Hegesippus narrat loco superius citato (Ap. Im. H. E. 2, 23; M. 20, 197-204) quod certe iudaei non intulissent si mosaismo tantopere favisset.

4. Clavis fundamentalis ad controversiae solutionem.

Dissipatis iis quae ab ipso tractationis limine confusionem gignere poterant, licet iam ad historicam controversiae analysin gradum facere. Cum vero in controversia de mosaismo inter Paulum et eius adversarios totus difficultatis cardo pro nobis stet in conciliandis hinc Actuum, illinc Epistolarum Pauli, praesertim ad Gal., historicis controversiae descriptionibus ob difficultates quae undique et sine numero contra primum ex his fontibus congeruntur, via magis obvia primo intuitu ad rectam argumenti tractationem illa videri posset qua Actuum authentia et valor historicus solide demonstretur, ut sine offendiculo fontem hunc ceu incorruptum purissimumque adhibere liceat. Sed via haec, etsi optima et argumentis munitissima, habet hoc incommodum quod innumeris tricis obnoxia sit quae tractactionem et nimium protraherent, et numquam a nebulis vacuam satis exhiberet. Hinc nos ea relicta, (1) aliam praeferimus quae brevior, efficacior et magis

(1) Ne tamen penitus intactam quaestionem praetermittamus, adiungimus hic breviter argumenta quae novissime proponit J. Weiss (*Urchrist.* 10, 3. 104) contra unitatem auctoris primae partis libri (1-15) quae potissimum ad quaestionem de vero universalismi inductore pertinet. Ait Weiss 1) ordo Actuum: hellenistae, samaritani, eunuchus, centurio, coetus antiochenus, est plane artificiosus, id quod iam suspicionem de obiectiva veritate sectionis 8, 5-11, 18 inducit; et revera 2) interpolatitiam esse apparet ex 8, 5 a-b historia persecutionis stephanianae in praecedentibus versibus inchoata, repente et per vim abrumpitur. Iamvero, semota sectione 8, 5-11, 18 et restituta primitiva documenti forma 8, 4: 11, 19 qua inchoatae persecutionis narrationi immediate coetus antiocheni fundatio copulatur, non solum restituitur " unitas litteraria „ qua omnia in sectione secundum antiochenum criterium digeruntur, sed 3) coetus antiocheni fundatio iam non est, ut in actuali libri forma, effectus meditati consilii hierosolymitani coetus, nec eventus sensim ac per suos gradus praeparatus, sed, multo conformius ad

perspicua est. Quandoquidem scripta Pauli utpote testis immediati, imo et praecipui in controversia actoris, ab adversariis non solum ut fons primi ordinis, sed fere ut unicus, aut certe sine

eventuum humanorum leges, factum inopinato adveniens, quod hierosolymitana ecclesia admittere invita cogitur (Weiss *Urchrist.* 103. 104).

At argumentatio Weissii non uno nomine infirma est: ad 1) enim, aut obiectivam historiae veritatem ad subiectivum auctoris documenti sensum revocat, aut a priori supponit eventus non aliter accidere potuisse nisi eo modo quo eos J. Weiss concipit. Si enim eventus potuerunt aliter evolvi, aliter debuerunt a scriptore veritatem obiectivam quaerenti, narrari. Aliis verbis, argumentum 1) est pura putaque petitio principii de commentitio Pauli et Duodecim dissidio in Evangelii conceptione. Ad 2) vero, multo congruentius annuntiationi quae fit 8, 4 respondet descriptio 8, 5–11, 19. 20 quam repentinus saltus ad 11, 19; nam locutio διῆλθον in hoc ultimo loco, adiecta designatione Hierosolymae et Phoenicis tamquam terminorum a quo (ἀπό) et ad quem (ἕως), revera non saltum, sed successivum et gradualem transitum sonat per singulos tractus intermedios (Samariam, zonam maritimam etc.), maxime post schema 1, 8 propositum, cuius authentiam agnoscit Weiss, ut videbimus. " Unitas vero litteraria „ documenti post resectionem 8, 5–11, 18 rursus narrationis veritatem obiectivam subordinat hypotesi weissianae de cuius subsistentia praecise agitur. Demum lex historica de " inopinato eventuum implemento „ commentitia est: in historia eventus utique saepe inopinato surgunt, at communius sensim et per proprias atque inmediatas causas praeparantur, et saepissime iidem critici contra repentinos " saltus „ ad gradualem evolutionem tamquam magis historico et naturali ordini consentaneam provocant.

Alterum argumentum pro documentorum pluralitate in Act. libro proponit Weiss ex 1, 8 cuius proinde authentiam non negat. Secundum Act. 1, 8, ait Weiss, omnes Duodecim debent esse testes Iesu usque ad extremum terrae; et postea nihilominus historia Actuum exhibet nobis solum Paulum qui occidentalem tantummodo orbis medietatem percurrit usque Romam; evidenter criterium scriptoris 1, 8 est diversum ac proin diversus scriptor, ab eo qui corpus historiae a cap. 13 et deinceps, maxime vero a cap. 16 describit: fieri ergo non potest ut auctor libri unus sit, sed plures distingui fontes debent (p. 104). Responsum difficile non est: si cum auctor enuntiat 1, 8 verba Christi quibus praedicationem 12 apostolis committit, aut expresse diceret, aut sufficienter significaret se in libri corpore " executionem „ per omnes 12 persequi intendere, recte suspicaremur diversitatem auctorum aut sectionum primitivarum resectionem: si vero id nec expresse dicitur, nec sufficienter significatur, dummodo schematis executio per aliquos evolvatur, schemati satisfit. Imo titulus quem liber semper prae se tulit πράξεις Ἀποστόλων, non τῶν Ἀποστόλων, multo vero minus πάντων aut δώδεκα Ἀποστόλων iam de se difficultatem solvit. Ceterum restat pro Luca totius libri auctore universae antiquitatis testimonium. Cui merito Harnack confirmationem reperit in facto quod in historia Actuum iudaei " persecutores „ sunt, non persecutioni obnoxii, id quod aetatem prodit eversione Hierosolymorum antiquiorem; postea enim per diuturnum temporis spatium nec ita fuit, nec facile fingi potuit.

ullo dubio praecipuus agnoscuntur, (1) nulla nobis efficacior methodus visa est quam ut ostendamus ante omnia, non solum nullam subesse rationem cur narratio Actuum suspecta habeatur circa gesta in conventu hierosolymitano et tota serie controversiae, sed perspicue ex ipsis scriptis Pauli demonstrari Actuum descriptionem in utroque extremo talem esse qualis ex natura causae quae agitabatur expectanda erat. Ratio quare Actus contrarii dicantur Epistolis Pauli alia non est nisi quod clavis solutionis, a Paulo subministrata, negligatur. Clavis habetur Gal. 2, 16 quae si prae oculis habeantur, historia controversiae atque eius solutio qualis in Actibus proponitur, obvia prorsus est. Paulus obiurgans Petrum verbis Gal. 2, 16 dicit non se solum, sed Petrum etiam, itemque Barnabam et iudaeos omnes quos Pauli oratio respicit, amplexos esse fidem christianam hac firma et plene conscia persuasione praelucente: " quod iustitia et salus nullo modo, nec in toto nec in parte, a mosaismo (circumcisione et lege), sed omnino et solum a fide in Christo repetenda sit „ (2).

Verbis Gal. 2, 15-21 contineri Pauli orationem Antiochiae habitam, et sub pronomine ἡμεῖς comprehendi cum Paulo Petrum, Barnabam et reliquos qui se ab antiochenorum mensis subduxerant, facile ostenditur. Contendit quidem inter alios Theodorus Zahn ut superius insinuabamus, apostrophen ad Petrum terminari v. 14: et 15-21 exhiberi explanationem doctrinalem quam Paulus galatis dat de iustitia suae objurgationis ad Petrum. At quis sibi persuadeat Paulum acrem illam explicationem suae oppositionis ad « fictionem » non dedisse his qui maxime ea indigebant ut se errasse perspicerent, Petro scilicet, Barnabae ac sociis;

(1) En quo pacto hac de re loquitur novissimus scriptor J. Weiss (Urchrist. 1. 2): " historia primitivae communitatis (hierosolymitanae) expendi rite non potest nisi duce paulina traditione: eam perspicimus oculis Pauli ... caremus alia quavis vel notitia etiam compendiaria, vel epistola apostolorum .... Urgentissimum scientificae investigationis munus foret illam aetatem in iusta luce collocare, et quid ea contulerit ad christianas origines, demonstrare: at tale opus, si non desperatum, certe arduum maxime est „.

(2) Ἡμεῖς φύσει Ἰουδαῖοι καὶ οὐκ ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί, εἰδότες δὲ ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου ἐὰν μὴ διὰ πίστεως Χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἡμεῖς εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ἐπιστεύσαμεν ἵνα δικαιωθῶμεν ἐκ πίστεως Χριστοῦ καὶ οὐκ ἐξ ἔργων νόμου. " Nos natura iudaei et non ex gentibus peccatores: cum vero perspexissemus quod non iustificatur homo ex operibus legis, sed per fidem Christi Iesu, nos quoque in Christum Iesum credidimus ut iustificaremur ex fide Christi et non ex operibus legis „. Fidei in Christum susceptio regitur praevia persuasione de " fide, unico fonte iustificationis „, excluso mosaismo.

et dedisse his quibus non erat necessaria ? Praeterea, ipsa pericope 15-21 suo argumento ostendit se ad Pauli orationis integritatem pertinere : ea enim ostendit Paulus per factum Petri evacuari iustificativam efficaciam mortis Christi (1) eamque ad mosaismum rursus devolvi. Pauli namque argumentatio haec est : « nos, ut iustificaremur, mosaismum reliquimus et fidem in Christum amplexi sumus ; si igitur peracta hac duplici diligentia ad scopum, adhuc hic non est obtentus, sed remanemus peccatores atque indigemus ad mosaismum reverti, ut vestra agendi ratio ostendit, Christus et fides in eum non vitam (iustitiae) sed mortem (peccati) afferunt, et iustitia rursus in mosaismo quaeri debet » (2). Argumentationis consecutio postulat ut subiectum utriusque membri : « nos ... amplexi sumus » ; et « si igitur ... quaeri debet » sit unum idemque, illi nimirum qui post relictum mosaismum revertuntur ad eumdem ; id quod verum non est si « nos » non complectitur Petrum, Barnabam et socios quos Paulus redarguit. (3)

Semel igitur stabilito facto quod Paulus Gal. 2, 14–21 Petrum eiusque socios alloquatur, evidens fit : 1) Petrum eadem doctrinae capita profiteri quae profitetur Paulus de fide in Christum veluti unico et adaequato salutis ac iustitiae fonte cum omnimoda mosaismi sub hoc titulo exclusione, eodemque modo reliquos adstantes Barnabam, Iacobum et socios, idque non solum tempore antiocheni conflictus aut brevi antea, sed ab eo tempore quo fidem in Christum amplexi sunt. Si autem Petrus et Iacobus (qui etsi Antiochiae non adesset, repraesentabatur a suis subditis illic adstantibus) eadem quae Paulus ipse axiomata profitebantur de vero iustitiae ac salutis fonte, idque non a brevi tempore, sed ex

(1) " Evacuari „ non re et mente Petri dum ita agit, sed " occasionaliter „ et ratione interpretationis, quam actioni Petri dant, non inmerito, gentiles antiocheni. Hanc intrepretationem falsam profecto, sed non temerariam, fidelium antiochenorum vult removere Paulus, et ideo carpit actionem quae in adiunctis sub quibus ponitur, dat fundamentum tali interpretationi.

(2) De se argumentatio nostra ex Gal. 2, 15–21 independens est ab hoc quod pericope sit continuatio praecedentium vel secus, dummodo " nos „ complectatur, in mente Pauli, se, Petrum et Barnabam. Sed non potest hos complecti nisi sit continuatio ; et aliunde debet eos complecti ut argumentatio procedat, quae in hoc est ut Petrum ac Barnabam exhibeat relinquentes mosaismum dum fidem Christi amplectuntur frustra quaerentes iustificationem ; resumentes ut de facto iustificentur.

(3) Paulus in 2° membro non includitur " re „ in personali " nos „ vel : " ego „ (si id quod reliqui resumo) quia loquitur in persona eorum de quibus in 1° membro : Paulus " reliquerat „ sed non " resumpserat „ mosaismum sicut Petrus et Barnabas.

quo fidem amplexi sunt, nihil mirum quod haec eadem axiomata in conventu hierosolymitano proclament. *Principia* proin quibus deliberatio Concilii regitur apud Lucam in Actibus, et quibus nititur tam prooemium decreti (Act. 15, 24) quo huius auctores se alienos a perturbatorum doctrina declarant, quam pars negativa et doctrinalis eiusdem, quae praecipua est (Act. 15, 28*) et qua decreti conditores nihil se de circumcisione ac lege imponere velle protestantur, evidenter ea sunt quae omnino a Petro, Iacobo et omnibus apostolis expectanda erant. Rursus *personae* (Petrus, Iacobus, Ioannes) agunt tam in deliberationibus quam in decreto secundum quod eorum doctrinalia principia reclamabant; et mirum fuisset si aut alia principia aut aliam agendi rationem in Concilio manifestassent. Non igitur verum est Pauli scripta demonstrare vel *a*) inter Apostolum et ecclesiam primitivam hierosolymitanam sub Duodecim exstitisse discrepantiam ullam circa mosaismi valorem iustificativum; vel *b*) apostolos approbasse errorem iudaizantium, cum hi salutem a mosaismo repetendam docebant; vel *c*) Epistolas Pauli conciliari non posse cum Actibus in historia huius controversiae; vel *d*) comparationem utriusque fontis ostendere historiam in Actibus ullo modo deformatam esse.

2) Porro antilogiae quae longa serie a criticis acatholicis congeruntur inter Gal. 2, 1–10 et Act. 15, 1–29 prorsus artificiales sunt et contra naturalem aut vocabulorum ac sententiarum sensum, aut contextus consecutionem. Ac primo quidem *a*) in expositione wrediana et weissiana apertum illud dissidium quod per totum causae decursum vigere dicitur inter iudaizantes et Paulum de valore mosaismi, quodque erumpit in missione exploratorum, in diffidentia contra Paulum ob exploratorum informationes, in vi quae Paulo intentatur ad extorquendam Titi circumcisionem, in diffidentia quam Hierosolymis reperit Paulus contra suum Evangelium, explicatur ab his criticis tamquam si secundum Apostoli descriptionem adversarii hi Pauli qui exploratores mittunt, qui diffidunt, qui circumcisionem Titi postulant, non " pauci quidam „ sint (Act. 15, 1. 5. 24) qui apostolorum doctrinam vel ignorant vel corrumpunt, sed " ipse coetus hierosolymitanus ut talis „, i. e. ducibus aut saltem conniventibus apostolis (1). At

(1) Nec demum concipi potest " massam coetus „ seclusis apostolis et presbyteris, doctrinam mosaismo faventem tenuisse. Quid coetus universim teneret in doctrinalibus apparet ex Act. 2, 42: " erant perseverantes *in doctrina apo-*

quam procul talis interpretatio a vera Pauli mente aberret, ex huius verborum analysi plane constat. (1) " Eram autem (ego tunc) scribit Gal. 1, 22–2, 9 ignotus facie ecclesiis Iudaeae ... ; solum audierant quod ' ille qui nos olim persequebatur, nunc praedicat fidem quam olim devastabat ' ; et glorificabant in me Deum. Deinde, post annos 14 rursus ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto et Tito. Ascendi vero secundum revelationem et retuli (2) ipsis (αὐτοῖς) Evangelium quod praedico inter gentes, seorsim vero iis qui conspicui erant (3), ne in vacuum curram aut cucurrerim. Sed 1) neque Titus ..... compulsus est circumcidi .... ; et 2) ab iis qui omnium opinione erant aliquid ... (4) hi enim vero qui conspicui erant, mihi nihil apposuerunt (5) ; imo 3) e contra, qui communi opinione columnae erant Iacobus Cephas et Ioannes .... dextras concordiae dederunt mihi et Barnabae „.

Demonstrativum « ipsis » (αὐτοῖς 2, 2) si praecedentia respiciantur, nequit referri nisi ad « ecclesias Iudaeae » cum hierosolymitana ceu capite (6) ; et quidem, ut ex masc. genere apparet, prout repraesentatas

---

stolorum „. Nec ab hoc criterio recesserant postea, sed tempore quo controversia exorta est in eodem perseverant. Cfr. Act. 15, 22 : " placuit apostolis et senioribus ***cum universa ecclesia*** ... „ i. e. coetu fidelium passim. Nec dicatur id esse secundum Lucam, non vero secundum Paulum : nam verba Gal. 1, 22-24 de ecclesiis Iudaeae approbantibus suum Evangelium, certe non de solis ducibus sed de coetibus ipsis sub ducibus debent intelligi : duces soli non sunt " ecclesia „.

(1) Damus versionem directam ex graeco.

(2) ἀνεθέμην : verbum ἀνατίθημι in forma med. cum accus. rei et dat. personae ut hic (ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον) significare " referre „, perspicue apparet ex Act. 25, 14 : ὁ Φῆστος τῷ βασιλεῖ ἀνέθετο τὰ κατὰ τὸν Παῦλον : " Festus retulit regi ea quae de Paulo „.

(3) τοῖς δοκοῦσιν : apparentibus i. e. conspicuis, nempe inter reliquos, prae reliquis (personajes de viso).

(4) τῶν δοκούντων εἶναί τι qui apparebant, conspiciebantur, opinione ferebantur, esse aliquid.

(5) προσανέθεντο a προσανατίθημι : ἀνατίθημι est seponere, in altum reponere : προσάν... adponere, adiicere.

(6) Posset quis observare ex usu Novi Testamenti (Ioann. 3, 22 ; Mt. 4, 25 ; Mc. 3, 7. 8 ; Lc. 6, 17) Iudaeam intelligi seclusa Ierusalem. Certe, ita est, et Paulus non poterat dicere se ignotum esse facie omnibus ecclesiis Iudaeae si in iis includebatur hierosolymitana ; sed ad " scopum „ argumentationis quod attinet, qui est ostendere suum Evangelium esse apprime notum ab omnibus, quod de ecclesiis Iudaeae dicit, valet etiam pro hierosolymitana ; si enim in Hierosolymae viciniis agnoscebatur passim Pauli Evangelium hoc tempore, etiam Hierosolymis agnoscebatur.

in suis ducibus, vel melius ad duces qua repraesentantes ecclesiarum : hac enim solum hypothesi, non aliter, potest genus masculinum explicari. Et reliquus contextus id plane confirmat : nam Paulus cum « ducibus » agit. Cum enim in immediate sequentibus eorum qui in demonstrativo αὐτοῖς significantur distributio fiat in « conspicuos » sive « columnas » (Petrum Iacobum et Ioannem) et alios non tales, auctoritate tamen pollentes (nam ad eos quoque suum Evangelium Paulus defert) ; evidens est demonstrativo αὐτοῖς designari eosdem ipsos « apostolos et seniores » ad quos ascendit Paulus iuxta Lucam ut controversiam solvat. Si autem ad « presbyteros et apostolos » recurrit, quocumque ex motivo id faciat, ut per eorum iudicium controversiam dirimat per subinductos fratres suscitatam, certe apostoli et presbyteri non sunt neque adversarii Pauli qui controversiam suscitant, nec eorum complices. Cum aliunde « coetus » certe non aliam doctrinam profiteatur quam quae sibi a suis ducibus traditur, nec duces ecclesiae hierosolymitanae, nec huius ecclesiae coetus, ut talis, sunt, iuxta Paulum, sui adversarii. Rursus descriptio eorum quae a se cum columnis peracta sunt, atque finalis eorumdem exitus ita proponitur a Paulo ut, cum iudaizantes duo maxime conarentur extorquere contra eum a iudicibus, circumcisionem Titi et additionem articuli de necessitate mosaismi ad salutem ; nedum sibi faventes repererint apostolos, contra, in utraque praetensione repulsam passi sint : imo dextrarum protensionem ad Paulum ex parte apostolorum in testimonium concordiae provocaverint, ubi circumcisionem Titi et Evangelii complementum quaerebant. Apostoli proin ac presbyteri non solum non sunt Pauli adversarii aut adversariorum complices eisve quomodocumque faventes, sed plane contrarii, sicut apud Lucam.

b) Idem dicatur de Pauli dispositionibus. Ait scilicet Ioannes Weiss et expressius ac nervosius Wrede, secundum tenorem Epistolae ad Gal. Paulum in hac causa non alieno impulsu egisse et tamquam si in apostolis auctoritatem propria superiorem quaerere compelleretur, sed e contra, eum aperte protestari se ex solo divinae revelationis impulsu moveri, idque postquam alta voce declaraverat se etiam Christi apostolum esse, a Christo ipso Evangelium accepisse ac nolle proin illud deliberationi subiicere (Gal. 1, 1. 12. 16. 17 ; 1 Cor. 9, 1) : quo igitur pacto traduci potest quasi de facto in apostolis suos iudices agnosceret ?

At Paulum apostolorum auctoritatem et agnovisse et requisivisse ut ab eis iustam suae causae ac de Evangelio resolutionem et tentationem et sententiam acciperet, ex eius verbis perspicuum omnino est. Nam cum de itinere in urbem hierosolymitanam (Gal. 2, 2) loquitur, sic ait : " ascendi Hierosolymam et contuli

cum eis (coetus hierosolymitani ducibus, praesertim Petro et columnis cum eo, Iacobo scil. et Ioanne) Evangelium „ ; idque " ne frustra curreret aut cucurrisset „ in sua praedicatione ; i. e. ne si pro se non haberet suffragium apostolorum, eius Evangelium aut non susciperetur, aut susceptum reiiceretur. Igitur 1) Paulus, aut sollicitavit ipse, aut propositum sibi, acceptavit libenter recursum ad apostolos in causa mosaismi. 2) quaesivit vel admisit hunc recursum " ut suum Evangelium cum iis conferret „ i. e. eorum iudicio illud subiiceret ; idque 3) ne frustra curreret aut cucurrerit „ ; i. e. ne frustranea evaderet eius praedicatio, sive futura, quae non reciperetur, sive iam consummata quae repudiaretur nisi accederet apostolorum suffragium. Haec certe explicari nullo modo possunt nisi admissa per Paulum apostolorum auctoritate in causa mosaismi. Cur enim frustraneum esset aut futurum aut iam praeteritum Pauli ministerium inter gentes deficiente apostolorum suffragio pro paulino Evangelio, nisi quia et gentes universim apostolorum auctoritatem in causa de paulino Evangelio ut supremam agnoscebant, et Paulus ipse id merito fieri ultro admittebat ? Hanc vero reverentem submissionem erga apostolos ut summos Ecclesiae duces non ab alio gentes didicerant quam ab ipso Paulo, cum nullum alium magistrum in fide habuerint.

Quod si se " apostolum „ non ab hominibus proclamat, protestaturve se Evangelium ac missionem ab ipso Christo accepisse (Gal. 1, 12. 15 ; Act. 22, 21) (1) adeoque nullum in terris magistrum

(1) In Paulo distinguenda sunt haec tria : 1) Evangelii praedicandi possessio ; 2) missio et institutio in Christi Apostolum ; 3) exercitium huius missionis. Paulus Evangelium possidebat ex Christi revelatione (Gal. 1, 12. 16 : Act. 26, 16 b) : institutus etiam erat a Christo ipso suus Apostolus (Gal. 1, 16 : " vocavit ut evangelizarem „ ; Act. 26, 17 : " ego mitto te „ ; 16 : " constituam te ministrum „ ; 1 Cor. 9, 1) Institutio haec secum ferebat potestatis collationem ad munus, nimirum praedicandi, condendi ecclesias, eas regendi. Ad exercitium vero externum et oeconomicum quod attinet, si attente legimus Pauli historiam perspiciemus eum non plane independentem fuisse sed cum subordinatione. In conversione remittitur ad Ananiam : ab eo discit, " quid se oporteat facere „ (Act. 9, 6 ; 22, 14–16) et in damasceno ministerio sub Ananiae ductu procul dubio egit. Deinde curavit ut se Petro quamprimum sisteret (Gal. 1, 18 ; Act. 9, 27). Hierosolymis Petro notam fecit vocationem a Christo ac proin potestatem sibi collatam etc. sed rursus sub eo Hierosolymis egit. Postea venit Antiochiam ; at neque ibi se solo potestatem exercuit sed ut subordinatus, donec a ducibus solemni ritu consecratus est. Hinc postea, cum controversia erupit, vel ipse ad Apostolos provocavit, vel propositum recursum acceptavit (Act. 15, 2) : " statuerunt „ nempe communi consensu Paulus cum Barnaba et antiocheni duces, vel hi acceptante Paulo ; Gal. 2, 2 " ascendi

aut mittentem agnoscere, id dictis non opponitur. Auctoritas illa summa quam et gentes agnoscebant et Paulus acceptabat in apostolis, duce Petro, potius quam personam ipsam Pauli aut eius Evangelium vel missionem, respiciebat directe " litem de Evangelio et fideles ipsos „, solumque indirecte Paulum, qui in " exercitio ministerii „ supremae Petri auctoritati subordinatus erat sicut ipsi quoque Apostoli ratione nimirum universalis regiminis quod Petro soli a Christo commissum erat. Neque Paulus de exitu litis dubitare poterat aut dubitavit umquam aut timuit: non solum conscientia indubitata de revelatione ac missione certum de veritate ac iure suo eum reddebat, sed etiam humanitus ex historia praecedenti et ex Barnaba (Gal. 1, 18. 22-24; Act. 9, 27. 28; 11, 21-25) plenissime de apostolorum mente edoctus erat (1). Quae vero Rom. 15, 25-27 de suis erga hierosolymitanam ecclesiam sensibus profert, non affectum humanum exprimunt, sed apertam declarationem quod ethnico-christiani coetus quos in Asia et in Europa condiderat ab illa ecclesia " evangelica dona acceperint „ non solum ob Christum, radicalem Evangelii conditorem, sed ob eius quoque discipulos duce et antesignano Petro, qui inde ad universam terram Christi doctrinam sparserant.

Cum autem Petrum Iacobum et Ioannem " columnas „ appellat, id non amaro animo et opinione suorum adversariorum tantum, sed serio et ex propria sententia facit (2). Id aperte con-

---

collaturus cum *columnis* „, ac de facto contulit: non dubium quin rationem reddens et exspectans resolutionem). Paulus optime sciebat hanc collationem prospere cessuram, ex colloquiis cum Petro Hierosolymis, ex Barnaba apostolorum doctrinae optime conscio (Act. 11, 22). His omnibus Paulus tamquam Apostolis (Petro ut capiti; Ioanni et Iacobo ut Petri consiliariis) subordinatus in externo suo ministerio agebat, et Christus ipse eventus disposuit ut ita ageret. Ipse Harnack libenter admittit talem Pauli ad Apostolos subordinationem: " die religiöse und apostolische Selbständigkeit die Paulus für sich in Anspruch nimmt es keineswegs ausschliest dass damals die hierusalemische Gemeinde mit ihren Spitzen als das Tribunal für die ganze Christenheit galt. „ (*Apostelg.* 189 nota).

(1) Noverat nimirum plena certitudine eos pro se stare, et ex colloquiis cum Petro (Gal. 1, 18; Act. 9, 27) et ex ecclesiarum Iudaeae approbatione (Gal. 1, 22-24) et ex nuntiis quos Hierosolymis detulerat Barnabas Antiochiam (Act. 11, 22) quos cum Paulo communicavit (ibid vv. 25. 26).

(2) Certe appellatio " columnarum „ quantum ex toto contextu Epistolae ad Galatas concludere licet, Apostolis non a Paulo sed a iudaizantibus applicabatur et ab eis titulum mutuatur Apostolus; at exinde non sequitur titulum ab eo non serio Apostolis applicari: Paulus acceptat titulum et applicationem, sed utrumque ad hominem contra iudaizantes regerit.

stat ex eo quod locum conspicuum quem nunc tenent, tamquam Deo disponente ab eis obtentum significet. Ut enim rationem reddat vel se excuset quod ad eos tamquam ad arbitros recurrerit, ait se non debuisse attendere ad despectam olim eorum conditionem, cum " Deus personarum acceptor minime sit „. Haec ratio supponit praesentem eorum exaltationem exinde venire quod transitus ex pristina ad actualem conditionem factus sit Deo ad eorum abiectam conditionem non respiciente, ideoque ipsomet eos elevante, per vocationem scilicet ad apostolatum.

Incisum : " neque Titus compulsus est circumcidi „ utique duplici modo explicari potest si verba abstracte considerentur : vel respiciendo " factum „ : " non compulsus est circumcidi, et sic non circumcisus est „ ; vel respiciendo " modum facti, vim „ : " non circumcisus est ob violentiam sive coactionem, sed (i. e. etsi) propter subinductos fratres ... ad horam cessimus, et sic (me ultro concedente) circumcisus est „. Iam antiqui testes aliqui : D* et Iren. Tert. Amb^{ter} Victor, omittunt verba " quibus neque ... „ οἷς οὐδέ : his novissime accedit Ioannes Weiss (*Urchrist.* 203). At non solum contra reliquam nubem testium in codd. et PP., verum omnino contra contextum. Paulus vult probare neutram (οὐδὲ Τίτος ....) perturbatoribus petitionem cessisse : nec Titi circumcisionem, nec Evangelii correctionem : Titus ergo circumcisus non est ; nam si quacumque ex causa vel via circumcisus esset, res prospere novatoribus cessisset. Nec potest dici populum potuisse illustrari de veris motivis facti : quod scilicet non tamquam necessaria ad salutem admissa fuerit circumcisio. At si factum exstabat, perturbatores illud pro se explicaturi fuissent : id facile praevideri poterat, et apostoli ad id vitandum strictissime tenebantur.

Hunc esse verum sensum pericopes satis implexae (Gal. 2, 3-9) perspicuum est. Modus ipse inchoandi sententiam per distributivam οὐδέ ostendit Paulum, cum explanationem exitus conferentiae inchoabat, in mente habuisse plura enumerare ; 1um membrum : οὐδὲ Τίτος ... alterum saltem post se postulat item negativum, quod cum priore frustret duplicem conatum adversariorum Pauli. Hoc alterum membrum venit revera v. 6 ubi Paulus primo repulsae membro de Titi circumcisione, subdit secundum de Evangelii correctione. Conabantur adversarii et Titum circumcidi et meum Evangelium, quasi mancum, clausula de mosaismi necessitate ad salutem compleri : at neutrum obtinuerunt. Certe concinnitas et ipsa perspicuitas sententiae simpliciorem et clariorem constructionem postulassent, ita ut sicut primum membrum expri-

mitur sententia plana et passiva forma, sic etiam alterum non contorta et duplici (ab his qui videbantur aliquid esse ... qui videbantur esse aliquid nihil mihi contulerunt), sed simplici etiam, plana et in forma passiva : « ab his qui praecerant nihil meo Evangelio additum aut correctum est) exprimeretur. At sententiae substantia bene intelligitur, et tales incorrectiones apud Paulum rarae non sunt : in praesenti autem casu obviam explicationem habet ob animi commotionem qua Paulus scribit.

In mente ergo Pauli triplex persona vel actor intervenit in causa : 1° adversarii qui illa duo extorquere ab apostolis conantur, 2° ipse Paulus totis viribus sese adversariis opponens, ac 3° coetus hierosolymitanorum illorum ad quos causa defertur, quique in utroque capite pro votis Pauli pronuntiant : certe nemo cordatus dicere iure potest, ex Pauli descriptione, hierosolymitanos cum adversariis Pauli et contra hunc sensisse, et solum externe tandem pro illo egisse.

Quae de Pauli concessionibus atque " inconsequentia " vel parum firma agendi ratione, praesertim in praxi, addit Wrede, plane chimaerica et phantastica sunt. Id quod Paulum fecisse tradit Lucas tum Act. 16, 3 quod Wrede traducit veluti condescensionem in pignus et quasi pretium compromissionis obtentae in conventu hierosolymitano ; tum Act. 21, 26, tamquam per vim a devicto et captivo extortum, non est neque in compensationem concessum neque per vim extortum, sed in utroque casu agit Paulus sicut constanter egerat etiam cum nulla eum premeret coactio, durante toto suo ministerio. Eamdem agendi rationem quam tenuit initio secundi itineris cum Timotheum propter iudaeos regionis circumcidit (Act. 16, 3), tenuit in decursu eiusdem cum Corinthi versaretur : nam in hac urbe, multo ante quam eam relinqueret reversurus in Syriam, nazareatus votum pronuntiaverat (1) ; siquidem voti huius tempus implet cum Corintho solvit (Act. 18, 18). Itemque non multo post (2), iuxta eamdem normam, documenta aliis tradit hac de re (1 Cor. 7, 18). Quod vero haec agendi ratio in praxi nullo modo repraesentet in Apostolo aliquid alienum a suis principiis, sed e contra, prorsus conforme, apparet ex axiomate quod bis enuntiat in epistola ad Gal. 5, 6 et 6, 15 : " in christianismo summam rei esse in nova creatione vel creatura „ ; i. e. : ut quis christianus sit, et in via salutis con-

(1) Qui votum pronuntiat Paulus est, non Aquila ; Pauli enim, non Aquilae historiam et gesta describit Lucas : de Aquila mentio fit in adiecto, et quasi per parenthesin ut scite Vulgatus, apposito expresse hoc signo animadvertit.

(2) 1 ad Cor. scribebatur durante commoratione ephesina in tertio itinere.

stituatur, fieri " per novam creationem sive regenerationem aut renascentiam „, quae ex Christi institutione (Io. 3, 3. 5) et ipsius Pauli declaratione Tit. 3, 5 (lavacrum *regenerationis*), baptismo perficitur. Modo quis recta in Deum et Christum fide baptismum suscipiat, ea nimirum fide in Christum cuius protestatio est ipse ritus baptismalis, est verus christianus et iustitiam donaque Evangelii participat, sive praeputiatus sit sive circumcisus. Hoc principium statuebat Paulus iam anno 51 in aestu ipso controversiae de mosaismo ; idemque in memoriam revocat 1ª Cor. 7, 19 : " circumcisio nihil est, et praeputium nihil est „. Paulus proin constanter, saltem post Concilium apostolicum totam controversiam ad hoc revocabat : " modo quis firmiter profiteatur iustitiam et salutem haberi per solum baptisma protestativum fidei in Christum, i. e. per solam fidem in Christum et non per mosaismum, nihil interest utrum exerceat vel non exerceat mosaismum „. Si eum exercet, exercebit mente " non iudaica „, i. e. eum agnoscendo tamquam fontem iustitiae ; sed " christiana „, ex aliis rationibus. Cum ergo Paulus Iacobi et presbyterorum insinuationibus Act. 21, 24–26 assentitur, id consentanee ad sua principia et constantem agendi rationem facit.

Eadem exaggerata affectatione, imo aperta fictione affirmantur quae in ultimo capite adduntur de controversiae exitu. Prorsus fictitia sunt quae de diffidentiae et alienationis sensis in Apostolo erga hierosolymitanam ecclesiam proferuntur a Wrede et Weissio. Qualis esset hoc tempore i. e. sub finem tertii sui itineris et paulo ante suam capturam Pauli animus erga Iacobum et hierosolymitanos non ab alio discimus quam ab ipso Paulo Rom. 15, 30. 31. Paulum quidem minime fugit rerum conditio in iudaica metropoli relate ad se, imminere scilicet sibi gravia pericula, plane sicut brevi postea expressius proditur in historia reditus ex tertio itinere (Act. 20, 22–25 ; 21, 11). At Paulus 1) accurate distinguit inter iudaeos et iudaeochristianos hierosolymitanos, et pericula timet non ab his sed a iudaeis : 2) etsi agnoscat iudaeochristianos quoque non satis aequos sibi esse ex iudaeorum calumniis, nihilominus, nedum ullam ab illis animi abalienationem ostendat quae vel remotissime schisma aut dispositionem in illud insinuet, summam e contrario animi demissionem atque sollicitudinem ostendit qua eos demulceat sibique devinciat, dissipatis praeiudiciis quae ex commercio cum iudaeis contra se fovent. Affectus quos Paulus loco citato (Rom. 15, 30. 31) prodit, mire

concordant cum historia Actuum 20 et 21. 3) Paulus copiosam collectam pro hierosolymitanis pauperibus portat, quam magna sollicitudine corrogaverat (Rom. 15, 25; 1 Cor. 16, 1–4; 2 Cor. 8, 1–15; 9, 1–11). Nec eam affert tali animo ut hoc quasi pretio coëmat hierosolymitanorum suffragia pro sua causa: Hierosolymam adveniens statim Iacobum adit eiusque consilia admittit (Act. 21, 21–26). Nec rursus ut se a vexatione redimat: nemo eum cogit iudaicam metropolin adire. Veram suam mentem in facienda atque portanda collecta, sicut sincerum in Ecclesiam matricem affectum ipse nobis pandit cum adhuc Corinthi versatur ante quam reditus viam arripiat: collecta facta fuerat sponte illam offerentibus Achaiae Macedoniae et Galatiae fidelibus (Rom. 15, 26. 27); et Paulus laudat oblationem, asseverans hierosolymitanos dignos plane esse quibus rependatur per temporalia spirituale donum per eos ad gentiles delatum in Evangelii praedicatione (Rom. 15, 27). Paulus ergo donum Evangelii agnoscit " a Hierosolymis „ i. e. ab Apostolis et reliquis Domini discipulis proficisci. En vera Pauli erga hierosolymitanam ecclesiam dispositio in ipso momento quo suorum adversariorum odium extremam irritationem attigerat.

Lector procul dubio interrogabit: at quo pacto verba Pauli Gal. 2, 16 interpretantur adversarii quibuscum hic agimus? Nam secundum nostram exegesin nimis perspicuum est hisce verbis praecidi in radice omnem controversiam et controversiae fundamentum inter Paulum et Duodecim, nominatim Petrum. Si Petrus, Iacobus et reliqui apostoli iam a sua vocatione per Christum, vel saltem a tempore quo de eo rectam fidem conceperunt, professi sunt axioma de fide in Christum, unico iustitiae et salutis fonte, excluso mosaismo, indubium est ab ipsa prima iam Evangelii promulgatione ecclesiam hierosolymitanam professam fuisse nullitatem mosaismi ceu fontis salutis (1). Hoc autem posito, rursus evidens est iudaizantium thesin de mosaismi « necessitate ad salutem » aliud non esse quam radicalem subversionem verae doctrinae Ecclesiae, ac proin expositionem Lucae in Actibus fidelissimam exhibere controversiae eiusque decursus descriptionem. Quomodo igitur critici protestantici possent suam de oppositione inter Paulum et Duodecim doctrinam construere si locum ad Gal. non aliter interpretarentur?

Huic difficultati respondemus criticos quibuscum agimus utique non, sicut nos, Pauli locum interpretari. Weizsäcker scribit: « perver-

(1) De facto ita fuisse confirmant manifeste Petri orationes capp. 2, 14–36; 3, 12–26; 4, 9–12 ut iam superius expendimus, sed numquam satis inculcabitur.

sissima res foret (i. e. historiam et contextum Gal. 2 sus deque vertere) admittere Petrum participasse Pauli thesin de salutis impossibilitate ex lege » (1). Ait quidem p. 81 : « possumus admittere punctum in quo conformes erant (Petrus et Paulus in colloquiis hierosolymitanis de quibus Gal. 1, 18) hoc fuisse : quod Petrus declaraverit se propterea in Christum credere quia certus sit se non posse *nisi per eum* salutem obtinere » (2). Verum subdit continuo : « id non impedit quominus de legis observantia propriam quisque sententiam teneret » (3). Sed difficultas est quo pacto haec ultima verba potuerit Weizsäcker scribere postquam dixerat Petrum iam tempore hierosolymitani occursus (Gal. 1, 18) i. e. anno 37 in *solo* Christo iustitiam et salutem quaesivisse eodem modo quo Paulus ! Si *solus* Christus est salutis et iustitiae fons quae certissime erat ac fuit semper thesis Pauli fundamentalis, quo pacto simul cum eo potest mosaismus iustitiae et salutis fons esse ? Certe, si uterque simul requiritur, iam Christus nequit esse unicus ac solus salutis et iustitiae fons ; ac proin nequit dici Petrum in solo Christo deprehendere salutis ac iustitiae fontem. Multo minus, si ita loqui fas est, dici potest Petrum in tali hypothesi conformem esse cum Paulo in admittendo Christo ut unico salutis fonte ; nam certo certius est Paulum ita Christum adstruere salutis ac iustitiae fontem unicum, ut absolute excludat mosaismum. (4)

Praeterea, quaenam est ratio cur Weizsäcker admittit in Petro persuasionem communem cum Paulo de Christo unico salutis ac iustitiae fonte ? Certe ratio haec alia esse non potest quam Gal. 2, 16. Si autem ratio admittendae conformitatis est haec, certe conformitas inter Petrum et Paulum non sistit in admittendo Christo salutis fonte sine exclusione mosaismi, sed procedit ulterius ad absolutam huius eliminationem. Paulus in sua argumentatione (vv. 16-20) talem relationem supponit inter axioma de fide in Cristum unico salutis fonte, et axioma quod de valore mosaismi logice subaudit agendi ratio quam tenent Petrus et socii in sua secessione a mensis ethnico-christianorum antiochenorum,

(1) " Es wäre gewiss sehr verkehrt anzunehmen dass Petrus hienach (i. e. secundum Gal. 2, 16) die Theorie des Paulus von der Unmöglichkeit der Rechtfertigung and Gesetzeswerken geteilt habe „. (p. 61)

(2) " Wir werden nicht irren wenn wir als den Punkt des Einverständnisses annehmen dass *auch* Petrus erklärte er *glaube darum* an Christus weil er *nur durch diesen* die Gerechtikeit von Gott zu erlangen gewiss sei „. (p. 81).

(3) " Damit konnte aber ganz wohl zusammengehen dass jeder von beiden über die Beobachtung des Gesetzes eine andere Meinung hatte und behielt „.

(4) Loisy (Act. des Apôtres p. 580) alio modo se a difficultate expedit : perspicit quidem sensum verborum Pauli, sed dicit Apostolum ibi non Petri et sociorum mentem exprimere sed propriam ; applicare autem eam illis quia putat omnes teneri sua axiomata amplecti. Nos quoniam legimus Paulum vere sententiam Petro et sociis tribuere, Apostoli verba suo sensu obvio sumimus !

ut axiomata haec mutuo se et absolute excludant, ita ut, dum Pauli axioma negat absolute efficaciam iustificativam mosaismi, axioma eorum vim iustificativam fidei evertat penitus eamque ad mosaismum transferat. Nam secundum argumentationem Pauli, sicut susceptio fidei in Christum, qua fontis salutis et iustitiae, sponte secum tulerat derelictionem mosaismi, qua fontis iustitiae, in eorum conversione ; sic vicissim, resumptio mosaismi nunc fert secum derelictionem fidei ut fontis iustitiae, et devolutionem huius efficaciae ad mosaismum. Cum igitur Paulus attribuat Petro ac sociis, et quidem ab eorum conversione, idem axioma de valore fidei quod ipse profitetur, evidenter conformitas inter se et Petrum, quam Paulus Gal. 2, 16 affirmat stat in admissione fidei tamquam fontis salutis, cum absoluta exclusione mosaismi sub hoc conceptu.

Πρῶτον ψεῦδος Weizsäckeri sicut omnium acatholicorum in genere stat in hoc quod in exercitio mosaismi non distinguant diversos titulos quibus exercitium niti potest, ut inferius explicabimus : i. e. errant in definienda vera universalismi essentia.

3. Singularis quaedam perspectiva Professoris Harnack

Professor A. Harnack, pro sua conciliatrice propensione, singularem quamdam conciliandorum documentorum viam init. Duo, ait, sunt in Lucae narratione de gestis in conventu hierosolymitano quae suspicionem contra fidem eius historicam suscitare possent : 1um quod Duodecim iam ab initio (Act. 10) pro libertate ethnico-christianorum stare describantur ; 2um quod Paulus in apostolis tribunal se superius agnoscere videatur. At haec, subdit, potius specie quam re paulinae descriptioni in ep. ad Gal. contraria sunt. Ad 1um enim quod attinet, secundum Actus conversio Cornelii neque induxit apostolos ad aggrediendam ethnicorum missionem, nam admisso Cornelio, eos in iudaeis convertendis occupatos videmus relictis gentilibus ; nec effecit ut missionem ea forma qua iam a Philippo inchoata erat, approbarent saltem absolute et ex omni parte, cum ab ea alienos conspiciamus. Recordatio igitur eventus Cornelii in ore Petri (Act. 15, 7) est mera revocatio in memoriam facti iampridem consummati, quod tamen solitarium fuit ac sine ulteriori ullo effectu in historia missionis. Hinc Duodecim non exhibentur a Luca tamquam stantes iam ab initio ex firmo consilio pro ethnico-christianorum libertate sicut Paulus. Ad 2um vero, Actus 15, 12 ostendit apostolos Pauli et Barnabae successu ac persuasionibus adductos et quasi

compulsos esse ut ethnicorum admissionem sine mosaismi onere approbarent (1). Potius ergo Paulus apostolorum iudex quam hi Pauli iudices fuerunt. Summa rei eadem manet apud Lucam quae apud Paulum : Duodecim alieni sunt a libertate, et Paulus nullo modo eis inferior apparet (2).

Mirum profecto est quod Harnack conciliationem inter Actus et Epistolas hac via quaerat. Recordatio gestorum apud Cornelium in ore Petri coram conventu, cuius iustificatio historica habetur 10, 1–11, 24 i. e. in admissione Cornelii et eius annexis, haec tria in mente Lucae vult ostendere : 1°) a facto admissionis Cornelii et eius vi inchoatam esse " missionem „ ita ut nulla alia ad gentiles oblatio Evangelii exstiterit " nec ante nec simul „ cum Cornelii admissione. 2°) factum admissionis Cornelii exhibere non solum initium chronologicum missionis, sine consequentia tamen pro apostolis, sed " normam „ ab hoc tempore apud eos, et ex illis apud omnes vigentem pro admissione gentilium ; 3°) missionis proinde ad " massam gentilium „ inchoationem de qua Act. 11, 20 factam fuisse intuitu ac vi illius normae, et sic Apostolis, praesertim Petro, inspirantibus et propellentibus i. e. missionis opus suprema sua directione moderantibus, effectam esse. Haec est vera Lucae mens, et qui haec non admittit, verum Lucae sensum in historia 10, 1–18 ; 11, 20–15, 7 non attingit.

De 1° extremo nulla potest esse difficultas et ab omnibus admittitur nisi aut cum Harnack Cornelium gentilem fuisse negent, aut cum Dobschütz factum eius admissionis per anticipationem narrari teneant (3). 2um perspicuum est ex Act. 11, 18, quae verba non singularem Cornelii casum respiciunt, sed omnino generalem normam in posterum tenendam proclamant, ut eorum sensus obvius et contextus analysis docet. Neque enim Cornelii casus aliud est quam applicatio axiomatis per vocem coelestem Act. 10, 11. 12. 15 Petro suggesti, ac dein per Petrum 10, 35 in primo iam occursu cum Cornelio ante eius receptionem enuntiati de « gentibus quibusvis » iam nunc et in posterum sine mosaismi onere in Evangelium recipiendis. Praeterea Lucas, qui in conscribendis Actibus rigorosum ordinem chronologicum tenet ut facile ex libri analysi patet, praedicationem ad gentiles Antiochiae Act.

(1) " Die Darlegung des Barnabas und Paulus (ihre Missionserfolge) die Entscheidung gebracht hat „ (*Apostelg.* 189).

(2) *Apostelg.* pp. 188–189.

(3) i. e. reliqui omnes critici tam protestantici quam catholici.

11, 19. 20 inmediate post Act. 11, 18 collocat, id procul dubio insinuans : factum illud consequentiam esse gestorum Caesareae et Hierosolymae de quibus 10, 1-11, 18. Sed accurata textus analysis id confirmat : Cornelii admissio consummabatur currente anno 4° post Pauli conversionem, siquidem complebatur durante, nondum tamen multum progressa, Petri visitatione (Act. 9, 32-10, 48) (1) quae rursus nonnisi post Petri colloquia cum Paulo post huius reditum ex Syria, expleto ibi triennio, inchoabatur (Act. 9, 27-32 coll. Gal. 1, 18). Iam, eodem circiter tempore appellebant Antiochiam missionarii de quibus Act. 11, 20 quique antiochenum coetum ethnico-christianorum condebant (Act. 11, 20-21) ; nam vix condito hoc coetu, adveniebat illuc Paulus ab urbe Tarso quo post brevem hierosolymitanam commorationem expleto antea triennio a sua conversione (Act. 9, 30 ; 11, 20-25) seccesserant. « Circiter » eodem tempore dicimus : at antene, an simul, an postea ? Omnino postea secundum Lucam, non ante nec simul : secus enim iam Cornelius non est « primus gentilis » admissus in Ecclesiam sine mosaismi onere. Sed si Cornelius non est primus ethnicus ad Evangelium admissus, quo pacto salvantur Petri verba Act. 15, 7 et universus sectionis 10, 1-11, 18 sensus qui evidenter eo conspirat ut Cornelius demonstretur « primus gentilis » admissus ad Evangelium sine mosaismi onere ? (2) Admissio ergo Cornelii et praedicatio antiochena ad gentiles Act. 11, 20 **successione inmediata chronologica se excipiunt.**

Ad 3um vero demonstrandum id non sufficit ; hinc, consecutio haec est solum chronologica an strictior ? Id est, fuitne praedicatio antiochena ad gentiles Act. 11, 20 consectarium ex signo per Petrum in Cornelii admissione dato atque ex proclamatione normae pro admittendis gentilibus ? quaenam scilicet causa est cur missionarii illi, ex dictis, nonnisi post integrum triennium a dispersione, et nonnisi Antiochiae primum gentilibus praedicant ? Plerique nostra aetate non solum ex protestanticis passim, sed etiam ex catholicis (Fouard, Wikenhauser, alii) veluti causam assignant criterium universalisticum quo tamquam genuini hellenistae imbuebantur missionarii de quibus Act. 11, 20, utpote socii et heredes Stephani, i. e. hellenisticae scholae capitis, ubi quaerenda est germana universalismi origo et domestica evolutio. At si ita est, quomodo explicatur missionarios illos toto triennio et ultra, post dispersionem de qua Act. 8, 1, sic illud criterium oblitos esse ut quamvis in regionibus praedicarent ubi maxima incolarum pars ex gentilibus erat (Phoenice, Cyprus, regiones inter Palaestinam et Antiochiam) nulli ex eis in mentem venerit ut Evangelium aliis quam iudaeis offerrent

(1) Cum nimirum Petrus advocatur Caesaream a Cornelio, versatur Ioppe, tertia statione a missionis inchoatione (Lydda, Sarona, Ioppe) quae ceteroquin oppida parum inter se distabant.

(2) Si aliquis antea admissus est, non sine hoc onere admittebatur.

(Act. 11, 19) et tunc solum id facerent cum iam Cornelii admissio consummatur atque norma proclamatur in ecclesia matrice de gentilibus sine mosaismi onere admittendis? Iam enim ostendimus a dispersione usque ad adventum Antiochiam Act. 11, 20 ultra triennium fluxisse. Nec est cur spatium hoc temporis nimis diuturnum pro intinere videatur, cum Paulus, celerrimus inter evangelicos praecones illius aetatis, totum triennium Damasci insumat, triennium Ephesi et in Asia proconsulari, 18 menses in Achaia. Vera nimirum causa fuit quia donec per Petrum admisso Cornelio signum datum non est, nemo audebat ethnicos sine mosaismi onere ad Evangelium admittere. Et sic demum explicantur verba Petri in Conventu hierosolymitano (Act. 15, 7), quae apto sensu carent imo inmodicam arrogantiam sonant, si in historia missionis Petro solum conceditur materialis et solitaria, imo quasi coacta Cornelii admissio, dum spontaneus, domesticus et organicus missionis motus hellenistis et Paulo reservatur (1).

Explicationem nostram de Petri gestorumque Act. 10, 1-11, 18 narratorum influxu in missionarios inter gentiles, confirmant ea quae, etsi incomplete et fragmentarie, novimus, de reliqua per orbem ad gentiles praedicatione. Quod enim Antiochiae peregerunt illi quorum Lucas meminit, peregerunt sub idem tempus pari modo ubique ceteri omnes evangelici praecones, ut inter alia exempla, luculenter ostendit ecclesiae romanae fundatio. Haec quoque ecclesia condebatur sub eadem periodo, nam anno 58 (vel 54 secundum Harnack), cum ad eam Paulus scriberet, veterana et adulta erat. Haec vero ecclesia ethnico-christiana erat, et iam a suis primordiis ad normam ecclesiae antiochenae et reliquarum paulinarum constituta, basi nimirum plane universalistica. Et tamen ecclesia haec non a Paulo vel suis, sed omnino ab evangelicis praeconibus condebatur, qui ad Duodecim eorumve socios revocandi sunt.

Praestantissimi exegetae nexum hunc non chronologicum tantum sed plane pragmaticum recte perspexerunt. Patrizi ad Act. 11, 18 scribit: « id tempus fuit cum Apostoli decreverunt ut tandem ceterae quoque gentes christianis initiarentur » (*Comm. in Act. Apost.* p. 90). Et ad 11, 20. Lucas scribit « cum introissent Antiochiam (missionarii),

(1) Profecto Petri verba tam categorica sunt tamque generalia, ut sola Cornelii admissione, dum reliqui omnes gentiles ab aliis missionariis sine ulla a facto Petri dependentia recepti fuerint, atque ita ut motus universalisticus a Stephano inchoatus, ab eius amicis evolutus et completus sit, nullo ab aliis in eos influxu, explicari satis nullo modo possint. Si enim massa illa gentilium, excepta sola Cornelii familia, a missionariis illis proprio consilio proprioque periculo, sine ulla a facto Petri dependentia recepta sit, tametsi id chronologice post Cornelii admissionem evenisset, ianua Ecclesiae non minus quam a Petro, imo magis, ab iisdem aperta fuisset. Qua in hypothesi verba Petri certe praesumptuosa et inania essent.

comperto videlicet id iam procul dubio licere, coepisse et ad gentiles annuntiare Iesum Christum » (ibid).

Theodorus Zahn : « non concipitur hos... sine altiori mandato ausos fuisse rem aggredi quam Petrus nonnisi post graves vacillationes ausus est » (*Apostelg.* 367).

Beelen : « nec video quid obstet quominus coniiciamus rumorem de Cornelio suisque in Ecclesiam Christi admissis iam perlatum fuisse Antiochiam quo tempore illi cyprii et cyrenaei hanc urbem adeunt. Hi ergo, si non aliter, vel Petri exemplo induci potuerunt ut deinceps etiam ethnicis Evangelium praedicarent » (*Comm. in Act. Apost.* 248).

Idem docent omnes Patres quotquot dicunt a Petro datum fuisse « signum » cuius vi gentiles admitti in Ecclesiam coeperunt, ut Chrysost. Hom. 24 in Act. (1) et Aug. serm. 149. (2) Sensus nimirum horum Patrum hic est : ut ad Petri nutum, et non antea aut aliter, missionarii gentilium admissionem inchoaverint.

Nec obstat Act. 11, 22 ; quasi nimirum velit ibi dici nuntium de gentium admissione Hierosolymis quasi inexspectatum accidisse : nuntius respicit non incoeptum ipsum, sed factum consummatum cuius nuntius profecto antea advenire Hierosolymas non poterat. Sed nuntius non fuit magis inopinatus aut inexspectatus quam foret si manipulo missionariorum in Sina commoranti iuberetur a sacra Congregatione ingressus in Iaponiam ad praedicandum ibi Evangelium, et peracto ingressu collectoque magno fructu nuntius ad Congregationem perveniret ex quo ingens laetitia Romae sequeretur mittereturque illuc Vicarius Apostolicus.

Restat demum difficultas ex Act. 11, 19 ubi socii missionariorum Act 11, 20 in ipsa urbe Antiochia nondum audent gentiles adoriri : ergo ratio in sociis v. 20 non est ullus nuntius aut intimatio ex gestis 10, 11-1, 18, sed ipsorum missionariorum criterium : nonulli timoratiores erant, alii audaciores. — At mirum esset quod illi missionarii imbuti, sicut socii v 20 eodem criterio iisdemque principiis Stephani utpote socii eius, profecti simul cum illis Hierosolyma (8, 4. 5 ; 11, 19) tantopere discordent praxi. Unica solutio est quod profecti omnes simul Hierosolymis, post aliquod tempus ex. gr. cum Palaestinam relinquerent, divisi sunt in duplicem turmam quae respective orientales et occidentales provincias excolerent assignata ex condicto Antiochia veluti termino expeditionis. Cum vero non simul illuc pervenissent sed successive, prima turma urbem attigit antequam ad eam pervenirent nuntii de gestis Caesareae ac Ierusalem et sic nondum potuerunt praedicare ethnicis. Contra, alteram turmam attigerunt nuntii cum iamiam Antiochiam pervenirent et ideo potuerunt ethnicis praedicare

(1) M. 60, 185.
(2) M. 38, 802.

Quod secundo loco asserit Harnack, ex Luca etiam (Act. 15, 12) sicut ex Gal. 2, 7–9, apparere verum motivum quod apostolos ad consensum cum Paulo pertraxit, fuisse non eiusdem doctrinae professionem, sed Pauli et Barnabae miram de sua missione descriptionem, facilius exploditur. Lucas in sua narratione suffragia et sententias Petri, Iacobi ac deinde apostolorum et seniorum in decreto totidem eorum verbis tradit. Petri verba vv. 7–11 certe non consensum quomodocumque extortum, sed intimam animi persuasionem produnt de inanitate mosaismi ac vicissim de adaequata vi iustificandi ex parte gratiae Christi ob fidem in eum, idque non pro ethnicis tantum sed eodem quoque modo pro iudaeis. Iacobus deinde non solum Petri sententiam approbat sed ulterius ex Scriptura confirmat. In decreto demum, apostoli simul et seniores declarant se nihil habere vel habuisse commune cum iudaizantium doctrina, quam " perturbatricem atque evertricem animorum „ pronuntiant. Descriptiones vero Pauli et Barnabae de sua expeditione nonnisi post Petri sententiam veniunt : nihil igitur ad Petri suffragium contulerunt. Quamvis autem Iacobus post descriptionem missionis per Paulum et Barnabam loquatur, rursus suum suffragium fulcit non his, sed dictis a Petro et Scripturae testimonio. Conciliatio igitur cum Epistolis quam nos quoque possibilem, imo facilem affirmamus, non in arbitrariis et confictis interpretationibus, sed alibi quaerenda est.

Ad miracula quod spectat, quibus permotos esse apostolos a Paulo dicitur ut dextras sibi societatis porrigerent, non tam eo tendunt ut demonstretur approbatio *doctrinae*, quam *iurisdictionis* Pauli. In huius causa apud apostolos duo in quaestionem veniebant : 1°) Pauli *doctrina* sive Evangelium, 2°) eius legitima *iurisdictio ;* et Paulus Gal. 1, 12-2, 21 vult demonstrare se in utroque capite fuisse approbatum. Doctrina sive Evangelium poterat cognosci et approbari sine miraculorum testimonio, ex collatione praedicationis Pauli cum vero Evangelio cuius depositarii erant apostoli. Et de facto, Evangelium Pauli approbatum est ab apostolis hac methodo ; et hinc factum est ut « eius Evangelio per Apostolos nihil adderetur », ut addi debuisset si revera mosaismus necessarius ad salutem erat. Hanc approbationem significat Lucas tam cum Petrum loquentem inducit Act. 15, 7-11 et declarantem salutem et iustitiam obtineri per gratiam Christi excluso mosaismo ; quam cum Iacobum ac postea omnes Petri sententiam acceptantes et per solemne decretum consecrantes subdit. Haec omnia independenter fiunt a miraculorum in paulinae missionis favorem patratorum consideratione. Deinde veniunt illa ubi sermo est de manuum consertione ad amice distribuendum cam-

pum praedicationis plenamque inter gentiles libertatem Paulo relinquendam ob divina portenta quae inchoationem huius praedicationis confimarunt.

Adhuc tertium conciliationis caput suggerit Professor Harnack inter narrationem Actuum et Epistolas paulinas ex spiritu quo Lucas suam narrationem de mosaismi controversia coloribus a rei veritate alienis tingit. Facto namque de Cornelii per Petrum susceptione tale momentum tribuit Lucas a quo in rei veritate plurimum distat. Supponit scilicet eventum fuisse penitus decisivum in historia controversiae, quasi per eum, ob conditionem admissorum quos ut ethnicos venditare vult, nova in praedicando Evangelio suscipiendisque in Ecclesiam ethnicis norma inducta sit sublato mosaismi onere ; id quod dici vere non potest, cum casus Cornelii sit paris conditionis cum casu Eunuchi de quo in. cap. 8 ; cumque admissio ethnicorum vere talium nonnisi Antiochiae (Act. 11, 19) contigerit. Cornelius enim erat proselytus, nam dicitur φοβούμενος τὸν Θεόν (Act. 10, 2) sicut illi de quibus aut sub hac appellatione, aut sub synonyma σεβόμενοι sermo passim fit in historia Actuum (10, 22 ; 13, 16. 26 ; 16, 16. 18, 7. 13 ; 19, 27), " Proselyti „ autem, quantumvis latiori sensu tales, ut erat Cornelius respectu Eunuchi, censebantur quasi iudaei secundi ordinis. Ad similem autem gradum poterant etiam in christianismo admitti proselyti sine iudaeo-christianorum offensione. In casu Cornelii habetur utique aliquis progressus respectu doctrinae Stephani ; sed ad verum universalismum sicut Act. 11, 20 non pertingitur : Cornelius non est sicut ethnici antiocheni (1).

Sed haec obiectionis forma quae a praecedentibus haud parum differt, ostendit Professoris berolinensis vacillationes. Ante omnia animadvertendum in diiudicanda Lucae historia habendam esse prae oculis non scriptoris tantum vel mentem vel voluntatem, sed etiam, et maxime, lectorum conditionem. Lucas, annuente Harnack, librum Actum scribebat cum exspirabat biennium primae romanae captivitatis, anno scil. vel 60 secundum Harnack, vel 63 secundum nos ; i. e. eo tempore quo non solum Lucae sed lectoribus quoque passim apprime nota erat differentia inter iudaeos, proselytos et ethnicos, singularumque classium distincti-

(1) *Mission und Ausbr.*[3] 1, 52. 53 (textu et notis). Motivum hoc addidit Harnack in sua ult. edit. operis " Mission und Ausbreitung „ procul dubio quia prope perspexerat reliqua hactenus proposita futilia esse.

vus character. Hinc fieri non poterat quin, quaecumque esset vel oscitantia vel calliditas scriptoris, ab omnibus illico agnosceretur paritas vel disparitas casuum dummodo declararetur conditio eorum de quibus in triplici narratione sermo est. Quandoquidem igitur Lucas singulorum conditionem apertis verbis et fideliter indicat in singulis narrationibus 8, 26–39; 10, 1–11, 18 et 11, 19. 20 cumque aliunde nemo umquam eum vel inscitiae vel fraudis in his descriptionibus accusaverit, evidens est casum Eunuchi et casum Cornelii esse diversos, et e contra, casum Cornelii et casum antiochenorum de quibus 11, 20 eumdem. Ceterum difficile non est id ex textus analysi confirmare. Eunuchus, sive natura esset talis, sive de titulo solum aulico sermo siverat procul dubio aut proselytus iustitiae, aut, id quod multo probabilius est, stirpe ipsa iudaeus (1). Appellatur " aethiops „ eo modo quo Aquila " ponticus „ (Act. 18, 2) et passim iudaei ex Diaspora secundum geographicam eorum patriam (Act. 2, 9. 10; 18, 24). Adfuisse enim in Aethiopia iam ab antiquo iudaeos nuper splendide confirmarunt elephantinae papyri; multo autem plures postea illuc penetrasse, ipsa regionis cum Aegypto continuitas ferebat. Assertionem autem nostram de Eunuchi conditione textus Lucae ostendit: " venit Hierosolymam „ ad iudaicas solemnitates, id quod iudaei et proselyti iustitiae ex Diaspora faciebant, non proselyti portae utpote minime circumcisi; et a quibus solum postulabatur monotheismus et religionis naturalis observantia (2). " Legit „ Prophetam, non " audit „ tantum in Synagoga.

Cornelius e contra est " romanus „ (3) et quidem, quantum

(1) Certe Dt. 23, 1 prohibentur ingredi israëliticum coetum religiosum " eunuchi „ sive alienigenae illi essent, sive hebraei ob fecunditatis defectum quae secundum Ex. 23, 26; Dt. 7, 14 in omni israelita postulabatur. Sed vel in nostro textu Act. 8, 27 vox habet significationem aulicam non physiologicam, vel non obstantibus praescriptionibus Deuteronomii et Exodi, quibuscumque demum ex causis (ex gr. vis illata aut alia multiplex) invaluerat usus contrarius etiam in antiquo Israële (Isai. 56, 3. Adverte Prophetam, etsi de christianismi temporibus agat, arguere nihilominus per analogiam ex Vet. oeconomia, et sic praesupposita veritate conditionis eunuchorum in ea. Cfr Knab. in h. l.).

(2) Kortleiner *Archaeologiae* 352. 353 (ed. 1906).

(3) " Romanus „ i. e. gente et stirpe talis, ut ex descriptione colligere licet. Nam 1°) nomen est plane romanum 2°) addictio ad cohortem " italicam „ idem ostendit, nam cohors italica civibus romanis natu italis constabat (cohortibus apponebatur nomen ex militum patria quibus constabant) 3°) dignitas sive gradus in cohorte, minime probabilis in non italo. Schürer (1,⁴ 462. 463) factum de prae-

ex nomine iudicare licet, e gente Cornelia. Originem confirmat quod ad Cohortem " italicam „ pertineat quae ex voluntariis italis constabat. Erat proin certo incircumcisus, alienigena (11, 3) et talis ut communicatio cum eo in religiosis " abominatio iudaeo esset „ (Act. 10, 28). Tales vero etsi essent " colentes „ sive φοβούμενοι vel σεβόμενοι, censebantur ut gentiles et sedulo distinguebantur a " iudaeis „ ut ex Act. 14, 1 constat, ubi de iudaeis et colentibus, tametsi utrique ad concionem in Synagoga per sabbatha cogi solitam pertineant, non solum tamquam de classibus diversis fit sermo, sed ita ut " colentes „ inter hellenos deputentur. Quae ergo de facilitate communicationis sub corporis unitate ultra Synagogam ab Harnack supponuntur, contra documenta illarum aetatum sunt.

Demum, nec Eunuchum nec Cornelium admissos fuisse ad ullum gradum inferiorem sed sub plena aequalitate cum omnibus fidelibus evidens ex contextu historiae est. Ratio vero quare admittatur et tam ample narretur historia Eunuchi est momentum in historia propagationis christianismi et ut innuatur quam cito etiam in dissitissimis regionibus innotuerit. Casus igitur Cornelii differt plane a casu Eunuchi et vicissim nihil differt a casu antiochenorum (1).

Nullo igitur modo Lucas Cornelii admissioni exaggeratum momentum tribuit, sed eventum qualis de facto fuit describit,

---

sentia italicae cohortis in Caesareae urbe addubitat; sed ut bene notat Zahn (Einl.[3] 1, 4[4]), quae in contrarium afferuntur, coniecturae sunt, non testimonia, quae proinde contra formale Lucae testimonium non valent, maxime cum Lucas tam accuratus deprehendatur in historicis ac geographicis. (Cfr. etiam Zahnii *Apostelg.* 342–344).

(1) Posset adhuc obiici: si ita est, Evangelium gentilibus offerri coeptum est iam Damasci et in insula Cypro, imo et Caesareae; nam in his quoque Synagogis aderant ethnici Cornelio similes — At conditio iudaeorum in civitatibus " hellenistis „ Palaestinae eiusque circuitus erat respectu ceterorum civium admodum diversa atque in Diaspora proprie dicta. Dum in Diaspora, etsi iudaei invisi quidem essent, non tamen odio habebantur, unde fiebat ut plures ex gentilibus Synagogas frequentarent; in civitatibus hellenistis Palaestinae et regionum vicinarum iudaei mortali odio ab incolis paganis habebantur atque hinc fiebat ut Synagogas soli iudaei frequentarent. De mutua iudaeorum et ethnicorum consuetudine in his urbibus scribit Schürer II, 222; " wie gespannt das Verhältnis zwischen ihnen (iudaeos) und den heidnischen Bürgern war, zeigt am besten die blutige Verfolgung der Juden in manchen dieser Städte beim Ausbruch der jüdischen Revolution „.

verum nimirum missionis inter ethnicos initium et coetus antiocheni occasionem immediatam. Merito ergo Lucas tam ample historiam Cornelii narrat; agit quippe in ea describenda ex intima eventus magnitudinis conscientia.

II. Universalismus in Ecclesia primitiva

I. Paulus et Duodecim in universalismi historia

Quamquam ex dictis abunde constet nullam inter Paulum et Duodecim adfuisse substantialem discrepantiam in recta Evangelii intelligentia et nominatim omnes eodem modo axioma de Evangelii universalitate professos esse, dubium nihilominus adhuc post dicta subesse alicui posset vel de prioritate sive iuris sive facti in hoc axiomate proclamando, vel de qualicumque inter Duodecim et Paulum in intelligendo vel applicando axiomate divergentia; eo vel magis quod in Epistolis Pauli recurrunt quidam loci qui tenebras hac in re offundere possunt si cum Actuum historia conferantur. Inter alia hoc praesertim caput difficultatem facessit quod, dum ex Epistolis Pauli indubium est eum immunitatem a mosaismo ita essentialem esse Evangelio putasse ut Evangelium simul cum mosaismo consociari non posse videatur (Gal. 1, 8. 9; 2, 21; 5, 2. 4); Duodecim et in his Petrus, saltem ante lintei revelationem, utrumque non solum amice consociat, sed dissociari vix posse videatur exsistimare. Operae pretium igitur est argumentum sub hoc aspectu nominatim pertractare. Ut vero iam a limine perspicue disputationis cardo appareat, praestat exordium sumere a definiendis conceptibus. Nomine ergo " universalismi „ Evangelii intelligimus " huius a mosaismi oneribus immunitatem „. Ratio appellationis ex historia ipsa derivatur. Cum Evangelium primitus praedicatum et susceptum sit inter solos iudaeos, qui, etsi christianam fidem amplexi, non ideo mosaismi observantias dimiserunt, inde factum est ut quamdiu apud iudaeos tantum propagabatur, esset " de facto „ quasi sub mosaismi vinculis, et sic particularismo iudaico adstrictum, cum mosaismus exclusivus esset iudaeorum. Cumpostea hellenis praedicatum est, et ab iis sine mosaismi observantiis susceptum, ut Antiochiae et inter ethnicos conversos in primo Pauli itinere, Evangelium quasi sol-

vebatur a particularismi iudaici vinculis, atque eo ipso aptum ad quoscumque populos, et sic " universale „ reddebatur.

Quaestio igitur acriter agitatur 1) a quonam ex evangelicis praeconibus primum universalismus invectus sit; i e. quisnam primus fuerit qui Evangelium ethnicis obtulit sine mosaismi onere, et 2) quid tale factum significet : num scilicet inferat, an non, internam in ipsa Evangelii essentia mutationem.

Ad factum quod spectat de primo universalismi invectore, secundum Actuum narrationem nullum est dubium quin fuerit Petrus, quem ordine secuti sunt praecones illi cyprii et cyrenenses de quibus Act. 11, 20 ; tertio loco Barnabas et postea Paulus : id perspicue apparet ex serie narrationis. Paulus praedicat quidem Damasci brevi post conversionem, sed iudaeis (Act. 9, 20. 22. 23) quibus procul dubio mosaismi observantias non prohibuit (1). Praedicavit deinde etiam Hierosolymis (9, 27), sed in hac urbe ethnicis praedicare non poterat (2), et iudaeis rursus nullo modo mosaicas observantias prohibuit. De sua autem conmoratione tarsensi post egressum Hierosolymis, nec in Actibus (9, 30) nec in epistolis quidquam concrete narratur. Interea advenit Petri visitatio cum visione lintei et susceptione Cornelii (9, 32–10, 48) cuius notitia pervenit ad turmam praeconum evangelicorum ex dispersione post martyrium Stephani (8, 4. 40 ; 11, 19. 20), qui Antiochiam ingressi, fundamenta iaciunt ecclesiae ethnico-christianae antiochenae. Advenit dein illuc Barnabas ab Apostolis missus (Act. 11, 22–24) et tandem Paulus de cuius contactu cum ethnicis nihil hactenus narratur vel in Actibus vel in Epistolis.

Posset fortasse obiici ignorare nos utrum Lucas in hac narratione ordinem teneat chronologicum ; at praeterquamquod con-

(1) Non sequitur exinde aut sectiones illas Actuum esse suspectas, aut Paulum ignorasse adhuc eo tempore veram habitudinem mosaismi ad Evangelium : Paulus etiam eo tempore quo acrius mosaismum iudaizantem impugnabat, non solum permittebat libenter ut iudaei retinerent, sed retinebat ipse mosaismum, ut videbimus. Hinc evidens est Paulum Damasci et in genere ante ministerium antiochenum nullo modo indiguisse mosaismum impugnare. Si enim cum in coetibus versabatur ubi ethnicis inmiscebantur iudaei tam magno studio vitabat iudaeos quomodocumque iure offendere, quanto magis eamdem curam adhibiturus erat cum inter solos iudaeos versaretur ?

(2) Act. 9, 29 quidem Vulg. legit : " disputabat cum *graecis* „ ; at sermo est de " hellenistis „ quos utique Vulg. constanter appellat " graecos „ (Cfr. Act. 6, 1) : at graeci his locis sunt iudaei ex Diaspora, non " helleni „ de quibus Rom. 1, 16 ; 2, 10 ; 11, 3. 9. i. e. gentiles.

silium Lucae de retinendo hoc ordine perspicue apparet ex collatione 11, 19. 20 cum 11, 18, oratio quam ponit in ore Petri ad conventum apostolicum (15, 7–11) rem citra omne dubium collocat: iuxta haec verba, Petrus primus est ex cuius ore audiunt ethnici Evangelium, ac fidem evangelicam recipiunt sine ullo mosaismi onere. De mente igitur Lucae dubium subesse non potest.

At si Epistolas Pauli legimus, duo statim offenduntur quae lectoris mentem perplexam reddere possunt. 1um est quod in eis constanter tamquam articulum fundamentalem sui Evangelii proponat hunc: fontem unicum et adaequatum iustitiae et salutis solam fidem in Christum esse; mosaismum autem nihil ad salutem conferre. Sic Rom. 3, 28; 9, 32; Gal. 2, 16; 3, 2 et passim. Hinc apparet Paulum semper inde a conversione hoc axioma alte defixum in mente habuisse: cum ergo aliunde certo constet eum praedicare coepisse ante admissionem Cornelii, cumque non ita certo appareat eum in iis initiiis abstinuisse ab ethnicorum contactu, imo plura contrarium videantur suadere, proclive est concludere Paulum iam tunc universalismum, et sic ante omnes, invexisse. 2um est Paulum tam absoluta persuasione suum axioma professum esse ut, ubi primum in aliqua ex ecclesiis a se fundatis aliquid contrarium vel tantum subodoratus esset, statim magno zelo comprimeret, ut ex epist. ad Gal. apparet. Unde rursus vix capitur quo pacto Paulus vel brevissimo tempore post suam conversionem ab hoc axiomate applicando abstineret. Hinc dubium num historia Actuum hac in parte satis fidelis et completa sit.

Et critici protestantici a Baur et deinceps magna contentione et pari consensu tenent, si pauci quidam excipiantur (1), Paulum

(1) V. gr. Harnack qui distinguit inter primatum "praestantiae„ et primatum "temporis„. Tempore praecedunt Paulum cyprii illi et cyrenenses de quibus Act. 11, 20: hi de facto omnium primi et ante Paulum obtulerunt Evangelium ethnicis sine ullo mosaismi onere. Sed dificultatem quae inde contra Pauli praerogativam exsurgit ita solvit Harnack: Pauli praecursores nitebantur principio illo iampridem ab hellenistis proclamato "quod legis ritualis observatio impossibilis pro innumeris iudaeis esset„; unde cum praeterea Deus per Prophetas "sacrificiorum inanitatem declaraverit„ (Mal. 1, 10. 11) facile sequebatur caeremonialia allegorice intelligenda esse. At Paulus his minime contentus esse poterat: adiuncta mere externa temporis et conditionis populi legem positive non abrogant. Solus Deus id efficere potest, ac Deus id fecit cum Legem cumulate impletam vidit, id quod Christi morte contigit et eius resurrectione. Hoc pacto Paulus dedit solidum fundamentum universalismo: cruce Christi mosaismum iugulavit (*Miss. u. Ausbr.*^{3} 1, 55–57).

revera universalismi inductorem fuisse. Communem hac in re apud protestantes sententiam praeclare exponit Weizsäcker. Tria facta, ait, ostendunt Paulum fuisse primum universalismi inductorem : 1um, quod magnus ille progessus quem fides christiana illis initiis extra iudaeos obtinuit, unde ethnico-christianismus emersit, nullum alium agnoscit primordialem auctorem ; idque non solum ob personalem Pauli prae aliis praestantiam, sed quia " facto etiam omnes reliquos praecessit „ : (1) Paulus est verus novae conceptionis creator. 2um, quod illa missionis activitas inter ethnicos, sicut et fructus ex ea collecti, annectuntur inmediate apostolatui Pauli (2). 3um, at quantumvis ministerium Pauli iam a primo exordio universalisticum fuerit, tamen respectu ambitus quem complectebatur, fuit admodum restrictum per primos 20 annos, de quo tempore nihil ex Pauli scriptis directe scimus, cum Epistolae ad ultimum decennium eius ministerii omnes pertineant (3). Historia illa gloriosa paulinae missionis per Europam non inchoatur nisi post 17 annos a paulini ministerii initiis : et periodus haec Epistolis antiquior evanuit fere ex historiae memoria (4).

Analysin inchoamus ab ultimo facto. Concedit Weizsäcker ex annis plus quam 30 quibus perduravit Pauli ministerium, " septemdecim priores evanuisse fere ex historiae memoria „ si eorum notitia ex Epistolis comparanda est, et pro eis nihil nisi indirecte ex Pauli epistolis elici posse. Documenta ergo directa et positiva pro hac periodo continentur omnia in Actis. Restat igitur investigandum quid de his informationibus iudicari debeat secundum sanioris critices regulas. Iamvero praestantissimi ex criticis hodiernis, ut Harnack et plures alii, concedunt Lucam esse auctorem Actorum, ac fuisse Pauli socium ab initiis secundi eius itineris usque ad finem biennii captivitatis romanae. (5). Evidens

(1) " Sondern auch weil er der Vorgänger in der That ist „. (p 77).

(2) Apost *Zeitalt.* 77. 78.

(3) Id ibid. Weizsäcker tenet Paulum occisum esse in prima captivitate.

(4) " Diese ganze Zeit ist in der geschichtlichen Erinnerung fast verschwunden „ (p. 78). Loquitur Weizsäcker nimirum ex persuasione fere axiomatica inter multos criticos protestanticos de nullitate vel exiguitate valoris libri Actuum. Etsi Weizsäcker mortuus non sit nisi ann. 1899 et praestantissimi ingenii fuerit, nimium adhuc adhaerebat Baurii criterio et sensis, utpote eius immediatus heres et successor in tubingensi cathedra.

(5) Harnack in sua 3a editione (1915) operis Mission und Ausbreitung ... (1, 84) ait se non obstantibus obiectionibus sibi per plurimos factis, adduci non posse ut quidquam inmutet eorum quae de hoc argumento alias scripserat. Et

proinde est, sic nos concludimus, auctorem Actuum Pauli historiam ab eius conversione non ignorasse ; et quaestio solum potest esse de diligentia ac fidelitate Lucae in adhibendis suis notitiis. De diligentia testantur et factum ipsum tot rerum accurate narratarum, et principia quibus ipse Lucas se ductum fuisse prodit pro conscribenda historia in Prologo Evangelii (1). Ad fidelitatem quod spectat, Lucas non erat Pauli adversarius qui eius memoria aut gestis obscurandis delectaretur : imo, erat e contrario eius socius et admirator. Igitur liber Actuum scriptus non est animo Paulum deprimendi, sed potius exaltandi, praelucente semper veracium testimoniorum face. Nisi ergo in scriptis Pauli manifestam pugnam detegamus cum his quae Lucas de annis illis 17 ministerii Apostoli tradit, contra aequitatem et probitatem criticam est historiam Actuum affirmare aut confictam aut quomodocumque deformatam, cum de partibus agit quas in inducendo universalismo Paulus tenuit. Solutio huius haud levis difficultatis foret delere hos 17 annos ex Pauli ministerio : at quamvis id protestantici critici libenter cuperent ne nimirum importuno Actuum testimonio interpellarentur, eliminatio impossibilis est cum, sec. Gal. 2, 1, ex parallelismo passim admisso cum Act 15, a conversione Pauli ad conventum hierosolymitanum, 17 anni revera fluxerint (2). Igitur ex 3° facto per Weizsäckerum stabilito, validissima saltem praesumptio oritur contra thesin apud criticos heterodoxos communem de Paulo primordiali universalismi inductore ; nam in libro Actuum, unico fonte pro illorum 17 annorum historia, expressis terminis asseritur et factis historicis ipsoque historiae propagationis Evangelii processu demonstratur non a Paulo sed a Petro Evangelii universalismum inductum esse.

Veniamus ad duo priora. Pro primo : de " ingenti progressu fidei „ apud ethnicos qui " Pauli „, non ullius alterius ministerio alligatur, Weizsäcker tria affert argumenta : 1) " conscientiam Pauli „, in illis scilicet locis expressam ubi se " Apostolum gen-

---

si de his agatur quae unitatem auctoris Actuum atque eius concretam personalitatem respiciunt, merito quidem remanet firmus Harnack. De facto argumenta quae ab adversariis proponuntur, nullius valoris sunt, ut ex analysi apparet eorum quae novissime proponit I. Weiss, unus ex praecipuis contrariae sententiae patronis.

(1) Principia talia sunt ut vel egregium nostrae aetatis criticum honorarent.

(2) Tentamen ex lectione δ' pro ιδ' (4, 14) in Gal. 2, 1 nullius suffragium tulit nec *Loisy*.

tium „ appellat (Gal. 2, 7. 8. 9; Rom 11, 13; Eph. 3, 8. 9) per oppositionem ad reliquos apostolos et praecones evangelicos (1). Porro nota haec characteristica, ait Weizsäcker, nullam magis obviam explicationem admittit quam ut dicamus Paulum in hoc apostolatu inaugurando nullos habuisse vel socios, vel saltem praecursores. 2) ingentem fructum missionis et tragicum Apostoli finem: Paulus obiit victima iudaeorum et iudaizantium qui " discessionem a Moyse „ quam Apostolus inauguraverat, et per totam vitam prosecutus erat, in eo, eoque solo, ulciscebantur. 3) in historia Pauli nulla mora interposita fuit sicut nec inter fidem et vocationem, sic nec inter vocationem et eius executionem. Pro secundo facto provocat Weizsäcker ad " complexum eventuum „ qui in antiquissimis documentis historiae Apostoli conscientiae respondet (2).

At Weizsäcker in statuendo primo facto et in tota controversia miscet duo quae sedulo distinguenda sunt. Negari nequit, cum de complexu historiae propagationis christianismi inter ethnicos sermo est, prout in documentis canonicis traditur, Paulo longe ampliorem ambitum uberioresque partes atque fructum adiudicari quam Petro et reliquis apostolis; et rursus, si de Pauli ministerio agitur permanenti et non intermisso, quod antiochena eius praedicatione inchoatur, in iisdem fontibus fructum illum Paulo maxime et non ita discipulis Domini annecti: at exinde minime sequitur aut Petrum et alios ex hierosolymitana ecclesia prodeuntes non potuisse Paulum antevertere in evangelio a mosaismi vinculis solvendo pro ethnicis, ut historia Actuum tradit; aut, si historia propagationis universa prae oculis habeatur, etsi in Novo Testamento directe narrata non sit, communitatum ethnico-christianarum origines in suo complexu soli Paulo annectendas esse. Quam parum aequa sit weizsäckeriana iudicandi ratio, ipsum

(1) In his enim maxime locis suorum scriptorum vivam sui apostolatus gentilium conscientiam prodit.

(2) *Apostol. Zeitalter* 77. 80. Obiectio quae hic nobis oggeri posset quod critici illi quibuscum hic nobis lis est minime concedant conclusiones Professoris Harnack de auctore deque maiori proximitate inter " Actus „ et " Epistolas Pauli „, iam superius praeoccupata est: nec Harnack illas conclusiones semel et iterato statuisset nisi validissima pro eis in antiquitate et ipsis internis characteribus argumenta deprehendisset; nec opus nobis est tempus in demonstranda Actuum auctoritate terere, cum multo expeditius medium sit ex ipso Paulo narrationis Actuum fidelitatem demonstrare invicto " ad hominem „ argumento.

Novum Testamentum, imo ipse Paulus luculenter ostendit. Cum in Italiam advenit Apostolus anno circiter 61, plures iam in ea regione communitates christianas reperit ; imo pluribus annis antea cum scribit ad romanos, hanc ecclesiam non solum exstantem, sed optime constitutam et iam provectam describit. Coetus hi certe iudaeochristiani non erant, et puro universalismi principio regebantur ; nec tamen a Paulo vel ab ullo ex eius sociis aut discipulis conditi ac constituti erant. Amplissima ergo ethnicochristianismi pars non Paulo annectitur nec ab eius influxu ortum vel incrementa percepit (1).

At expendamus argumenta Weizsäckeri, 1um ex " conscientia Pauli „ locis allegatis expressa, " prioritatem „ quae probanda est, non probat, et commodam explicationem nanciscitur, secus atque Weizsäcker asserit, in " praevalentia „ theatri in quo Paulus laboraverat usque ad tempus in quo scribit, prae theatro quod eodem tempore discipuli Christi directe ac per se excoluerant. In locis Gal. 2, 2. 8. 9 ; Rom. 11, 13 ; Eph. 3, 8. 9 ubi Paulus peculiari modo gentium apostolatum sibi prae reliquis evangelicis praeconibus vindicat, habet prae oculis adversarios suos iudaizantes et confert proprios labores cum laboribus Petri usque ad Concilium apostolicum, vel usque ad initia europaicae missionis : tempora proin quae comparantur sunt : pro Petro, a prima promulgatione Evangelii usque ad ann. 51 vel 52 ; pro Paulo, eius praedicatio a ministerio antiocheno. Evidens est illo tempore Petrum maxime inter iudaeos laborasse, tametsi habeatur ratio romani itineris, quod relative breve fuerat, et fortasse bona ex parte, excepta Italia, inter iudaeos Diasporae ; dum Paulus evangelizaverat Antiochiam et Syriam cum regionibus peragratis in primo

(1) Sed praeter coetus in Italia, numerabantur infiniti alii in oris septemtrionalibus Africae, itemque in provinciis orientalibus Asiae atque in Arabia in quibus aut nulli aut rari erant iudaei, quae tamen mature admodum per apostolos et eorum adiutores evangelizatae sunt, atque eodem tempore quo Paulus europaicas regiones excolebat. Certe Duodecim et eorum auxiliares toto hoc tempore otiosi non fuerunt, nec in sola Palaestina aut in solis vicinae Diasporae iudaeis occupati. Lucas qui Act. 1, 8 omnibus apostolis iniunctam a Christo fuisse missionem narrat, nullibi aut asserit aut insinuat illos omnes praeter Petrum inertes fuisse ; imo accurata et eorumdem Actuum et Epistolarum Pauli analysis potius suadet apostolorum dispersionem fortasse maturius adhuc anno 12 post ascensum Domini consummatam esse sicut Evangelia (Mc. 16, 20 ; Lc. 24, 47) et scriptores ecclesiastici veteres tradunt. Quae certe immensa gentilium seges non Paulo et eius sociis, sed Duodecim eorumque adiutoribus adscribenda est.

itinere, i. e. maxime inter ethnicos (1). Nihil mirum proin quod Paulus suum apostolatum veluti inter ethnicos, apostolatum vero Petri veluti inter iudaeos impensum, quasi per propriam uniuscuiusque notam distinctivam designet. Sed evidenter restat penitus intacta quaestio de " primordiali „ universalismi in ethnicos inductione. Rom. 11, 13 sumit appellationem eodem sensu solius " praevalentiae „, non " prioritatis „. Ad Eph. vero, postquam 3, 3-6 descripserat revelationem Evangelii factam ex aequo " sanctis apostolis „, v. 8 addit sibi collatam fuisse gratiam praedicandi hoc idem Evangelium " gentibus „ ; sed non dicit aut sibi " soli „ aut sibi " ante alios „ collatam : proinde, si Evangelium suum est " identicum „ cum Evangelio reliquorum apostolorum, eo ipso quod universalismus erat de essentia sui Evangelii, apparet eamdem etiam fuisse de essentia Evangelii ceterorum, et sic non erat ratio, cur si illi ad ethnicos ante se praedicaverant, non etiam illud praedicarent sine mosaismi onere. Alterum argumentum de ingenti fructu ex Pauli missionibus collecto, eamdem solutionem patitur : probat videlicet Paulum maxime prae reliquis inter ethnicos laborasse, si de ethnicis imperii romani agitur, ac de provinciis de quarum evangelizatione tractat historia Actuum. Sed his non absolvitur historia propagationis Evangelii inter omnes ethnicos, et multo minus tangitur controversia de prioritate in inducendo universalismo.

Tertium argumentum utique maiorem vim prima specie habet nimirum Paulum in sua conversione, sicut simul accepit fidem et

(1) Si attente legantur et expendantur documenta, campus ipse characteristicus " ethnicorum „ pro Paulo, " iudaeorum „ pro Petro et sociis etiam in primis decenniis evangelicae praedicationis, sensu accomodo et admodum laxo intelligendus est ; nam in historia Pauli videmus eum semper primo Evangelium iudaeis offerre, et Rom. 11, 13. 14 dicit se constanter prae oculis habere " iudaeorum „ conversionem. Sicut igitur Paulus etsi gentilium apostolus, iudaeos quoque constanter prae oculis habebat, quare ergo vicissim Petrus et alii ex Duodecim, etsi iudaeorum praecipue apostoli, gentiles, absolute negligerent, et non potius data occasione excolerent ? Hoc autem posito, sicut Paulus cum inter iudaeos versabatur, mosaismum observabat, sic Petrus et socii, cum inter ethnicos, mosaismum relinquebant ut de facto Petrus mature admodum iam Antiochiae fecit (Gal. 2, 12). Quod ergo Petrus et socii Paulo dicunt se inter iudaeos, dum Paulus inter gentes, laboraturos, non de " exclusiva „, sed de " praevalente „ iudaeorum et gentilium messe utrisque assignata intelligendum est ; quia nimirum Petrus ac Ioannes primo illo tempore, cum adhuc multi iudaei in Diaspora Evangelium non audissent, eos evangelizandos susceperunt ; nec rursus de universa apostolorum vita, sed de primis annis, 20 circiter, propagationis Evangelii.

vocationem apostolatus ad gentiles (Gal. 1, 15. 16), sic nullam interposuisse moram inter vocationem et executionem (ibid. v. 17); quod enim dicit se continuo (εὐθέως) non acquievisse carni et sanguini, nec venisse Hierosolymam ad antecessores suos apostolos, sed abiisse in Arabiam, non aliud significat, ait Weizsäcker, nisi quod Paulus, cum ad exequenda Dei mandata de Evangelio gentilibus praedicando, illico summo studio properaret, noluerit Hierosolymam ad Duodecim venire " quia apud eos conceptionem Evangelii reperisset propriae conceptioni e diametro oppositam, nimirum 1) particularisticam et mosaismo alligatam, ut eorum ratio agendi per multos annos ostendit, dum ipse e contra conceptionem foveret universalisticam a mosaismo solutam ; 2) memoriis terrenae vitae Iesu imbutam, dum ipse Iesum coelestem et spiritualem agnoscebat „ (1).

At ex eo quod revelatio Paulo communicata in sua conversione ordinaretur ad hoc ut illam gentibus annuntiaret, non sequitur ordinatam fuisse ad hoc ut eam " illico „ annuntiaret. Nemo melius quam Paulus ipse potest nos de modo edocere quo divinam vocationem intellexit et executus est. Iam, Act. 22, 15-21 perspicue insinuat se, triennio post conversionem, nondum gentilium praedicationem inchoasse. Nec iuvat observare id in Actibus legi, non in Pauli monumentis : idem confirmat Gal. 1, 15-24 cum Evangelium suum ad gentes nonnisi in ministerio antiocheno innotuisse dicit, i. e. anno iam 4 a ministerii inchoatione. Demum interpretationem Weizsäckeri de motivis arabici prae hierosolymitano, itineris convellit ipse Paulus Gal. 2, 15. 16 ubi asserit non se solum, sed Petrum quoque et in genere apostolos ac primores inter praecones evangelicos ecclesiae hierosolymitanae venisse ad fidem praelucente intima persuasione de inefficacia et inutilitate mosaismi ad iustitiam et salutem (2). Id ipse Weizsäcker agnoscit (p. 81) cum ait Paulum in colloquiis cum Petro Hierosolymae ha-

(1) *Apostol. Zeitalt.* p. 79.

(2) Non est cur miremur Petrum, iam tum cum ad fidem venit, intimum hunc sensum fovisse quod Christus esset unicus ac verus iustitiae fons : Petrus ex Andrea fratre noverat Baptistae verba de Iesu : esse nimirum " Agnum Dei, peccatorum mundi ablatorem „. Hinc in secunda vocatione exclamat : recede a me, Domine, quia homo *peccator* sum „ (Lc. 5, 8). Eo ipso quod Petrus peccatum agnoscit veluti hominis haereditatem et hoc nomine se Christi praesentia indignum iudicat, Christum plus quam purum hominem, ac peccati deletorem declarat, fontem scilicet salutis ac iustitiae.

bitis post regressum ex Syria, declarationem ab eo audiisse quod " ipse quoque in Christum crederet quia certus erat *nonnisi per Christum* iustitiam coram Deo obtineri posse „. Hanc concessionem facit Weizsäcker procul dubio ob Gal. 2, 16 : cum vero haec Pauli verba persuasionem illam tribuant Petro iam eo tempore quo Christo se adiunxit, quo pacto conciliat Weizsäcker suam concessionem cum affirmatione de iudaica et particularistica Evangelii conceptione apud apostolos cum Paulus christianus fieret ? Nonne Petrus praestantissimus erat inter apostolos ? Argumenta ergo quibus Weizsäcker et cum eo schola liberalis protestantica ostendere conatur pugnam inter Epistolam et Actus circa primum universalismi inductorem nullam prorsus vim habent.

Tametsi controversia de primo universalismi invectore soluta sit, posset forsan videri nondum esse soluta illa de eius auctore : sed utraque controversia practice separari non potest ; etsi enim de se conceptio et usus rei diversa sint, in casu tamen de quo agitur non ita est. Cum enim Evangelium ad praedicationem essentialiter ordinetur et aliunde universalitas attributum essentiale Evangelii sit, soluta controversia de « inductore », ex hac solutione sequitur tamquam obvium consectarium solutio quaestionis de universalismi conceptione. Antequam Paulus in scenam prosiliat tamquam gentium Apostolus in ministerio antiocheno, universalismus proclamatus erat et in praxin deductus ab iis qui ante eum antiochenum ethnico-christianum coetum condiderant, et rursus antiocheni coetus fundatio in Petrum tamquam fundationis impulsorem refunditur. Huius universalismi iam pridem per apostolos proclamatio perspicuum testimonium ab ipso Paulo habet non solum Gal. 2, 16, sed etiam 2, 6-9 cum proprium Evangelium cum apostolorum Evangelio tamquam genuino Christi Evangelio conferre curat et identicum declaratur. Neque enim Evangelium Duodecim quocum Pauli Evangelium conferebatur, erat Evangelium recens ab ipsis cusum ; sed illud ipsum erat quod a Christo acceperant. Hinc verus universalismi auctor non alius est quam Christus. Restat explanandum historice quo pacto iam ante quamlibet controversiam, imo a prima Evangelii promulgatione Duodecim eius universalismum aperte professi sint.

2. Apostolorum mens de universalismo ante exortas controversias.

Plures tum inter protestantes, tum etiam inter catholicos historiae seriem in christianismi progressu sic digerunt. 1) ante visionem Iintei et Cornelii admissionem, apostoli, etsi nossent Evangelium gentibus esse praedicandum, ignorabant num in Ecclesiam

praevia incorporatione ad iudaismum admittendae essent, an sine ullo mosaismi onere ; 2) in visione lintei Petrus edoctus est ethnicos ad Evangelium immediate admitti posse, imo admitti oportere ; hierosolymitani vero iudaeochristiani utpote aemulatores legis, passim putarunt casum Cornelii singularem exceptionem, non normam generalem admittendorum in posterum ethnicorum repraesentare (1) ; 3) in Concilio apostolico declaratum est ethnicochristianos quidem immunes esse a quavis mosaismi observantia et sola fide in Christum effici veros christianos, iustificatos et in via ad salutem ; respectu iudaeochristianorum autem nondum quidquam definitum fuit ; donec 4) in conflictu antiocheno Paulus, longe ulterius progressus, aperte et sine ambagibus declaravit " legem nihil ad salutem conferre, eiusque abrogationem universalem, etiam pro iudaeochristianis, proclamavit „ (2).

Haec nisi distinctius explanentur partim ambigua, partim non vera videri possent. Ambigua quia cum strata distinguuntur in historia controversiae de valore mosaismi, non apparet num de valore *iustificativo*, i. e. de necessitate mosaismi ad iustitiam et salutem, an de valore citra hanc necessitatem agatur. Imo distinctio quae inter tertium et quartum stratum fit, satis perspicue prodit de necessitate ad iustitiam et salutem agi. Hinc non vera : nam si de necessitate ad iustitiam et salutem dicta in 3° et 4° puncto intelliguntur, concludendum esset apostolos aliquo tempore ignorasse aut dubios haesisse num mosaismus, etiam sub fide christiana, necessarius iudaeis ad salutem esset : id quod articulum fundamentalem christianismi everteret de Christo et eius fide unico et adaequato fonte iustificationis. Hinc cum nostris diebus critica protestantica veluti axioma teneat primitivos ecclesiae hierosolymitanae fideles, ducibus apostolis, conscie vel inconscie mosaismum exercuisse eodem modo atque eodem spiritu quo illum ante christianam fidem exercuerant, et quo eum iudaei qui Iesum non admiserant (3), exercebant, merito concludi forsan posset explicationem propositam non satis a rationalistica discerni a qua solum differret ratione durationis periodi ignorantiae vel haesitationis et

(1) Cfr. Cornely *Intr. spec.* in N. T.[3] pp. 366-385 ; *Comp. Corn.-Hagen* pp. 559. 560.

(2) Cornely *ibid.* p. 386.

(3) Quia etsi errarent in designanda persona, non errabant in " notione „ Messiae.

in gradu firmitatis quo, ea periodo durante, primitivi fideles iudaismo adhaerebant.

Quam gravis proin momenti controversia haec sit, et quantopere intersit eam recte definire nemo non videt : agitur de intima christianismi substantia, deque eius a iudaismo essentiali differentia. Nam, id quod sedulo animadvertendum est et numquam satis inculcabitur, Paulus « adaequatam virtutem iustificandi » quam in fide Christi agnoscit, veluti « penitus essentialem » Evangelio vindicat ita ut si hic articulus aut negetur aut in dubium revocetur, Evangelium penitus evertatur (Gal. 1, 7 ; 5, 2. 4). Si igitur initio christianismi ignorabatur num mosaismus ad salutem, saltem iudaeis, necessarius esset, ignorabatur fundamentalis christianismi articulus. Sedulo autem animadvertatur non agi de ignorantia aut notitia interna abstracta, theoretica ; sed externa, concreta et publica in quotidiana doctrinae catechesi. Ut ergo ordine procedamus et ex notioribus ad minus nota gradum faciamus, ante omnia, verum non est in conventu apostolico rem « in principio », i. e. inspecta rerum natura et tam pro iudaeis quam pro gentilibus definitam non esse, quae est thesis Augusti Sabatier. Sabatierii fundamentum est quod « in decreto praecipiuntur solum quaedam vitam practicam spectantia ; sed controversia, ad principia quod attinet, intacta relinqueba tur. » (1)

At decretum duplici parte constat, negativa : " nihil vobis oneris imponitur „ et positiva, qua adiiciuntur praecepta noachica. Harum partium praecipua est prior ; haec enim directe respondet articulo controverso de necessitate vel non necessitate mosaismi ad salutem. Haec pars id edicit : " nihil vobis oneris imponitur „ nimirum ex his quae novatores autumabant, scilicet, circumcisionis et legis mosaicae (Act. 15, 1. 5). Positiva pars quae sequitur, proprie ad " mosaismum specifice sumptum „ circa quem

(1) *St. Paul.* p. 120 - In solutione loquimur de decreto tamquam copulato cum conventu, i. e. lato per apostolos in ipso conventu, quia Sabatier utrumque non separat, imo addit quatuor illa quae Iacobus et decretum in 2ª p. addunt, solita fuisse commendari a Paulo in novis suis coetibus (procul dubio iam ante conventum). Ceterum duo quae contra copulationem decreti cum conventu secundum Actuum narrationem opponi solent, et ob quae dispositio differtur ad tempus post conflictum antiochenum absente iam Paulo, parum urgent. 1um est quod additio non concilietur cum assertione Pauli Gal. 2, 6-9 quod nulla sibi imposita Hierosolymis facta sit ; 2um quod Paulus Act. 21, 25 ignorat decretum. At Paulus loquitur Gal. 2, 6-9 de impositione " sibi „ facta ; deinde de impositione spectante articulum de necessitate mosaismi ad iustitiam, aut praxin aliquam mosaismi stricte dicti de quo erat controversia. Act. autem 21, 25 Paulus non ignorat decretum.

controversia agitabatur, nihil pertinet; sed sunt scita quae appellantur " noachica „ (Gen. 9. 4–6) quibus adiicitur " fornicatio „ i. e. adulterium vel matrimonia incestuosa, quae omnia, ut superius explicatum est, ad ius naturae revocantur (1). Iam vero, in parte negativa decreti duo rursus continentur 1) declaratur inefficacia mosaismi ad iustitiam et salutem et 2) declaratur " absolute „ i. e. inspecta natura mosaismi quae eadem semper et pro omnibus est; et declaratur cum expressa applicatione ad iudaeos aeque atque ad gentiles. Utraque assertio perspicue apparet ex prooemio decreti, ubi decernentes declarant se ad decretum procedere ob falsam iudaizantium doctrinam (Act. 15, 24): " quoniam quidam ex nobis exeuntes turbaverunt vos verbis quibus non mandavimus, placuit nobis... „ Decretum proin quoad primam eius partem non est " nudum „, sed " vestitum „ ut aiunt, munitum nimirum ratione qua ad decretum proceditur. Id quoque Lucas accurate expressit v. 22 scribens: " tunc (τότε) placuit... „ i. e. auditis et acceptatis suffragiis fundamentisque causae et eorum vi.

Suffragia autem ac fundamenta habentur in Petri et Iacobi orationibus, ceterorumque ad eos accessione. Iamvero Petrus suffragium suum munit 1) " natura ipsa mosaismi „ quem ineffacem ad iustitiam et salutem, et 2) " natura „ rursus gratiae Christi, quam unicum et adaequatum earum fontem declarat, idque pari modo pro iudaeis quam pro ethnicis (2). Petrum sequitur Iacobus; et postquam confirmat eius suffragium Veteris Testamenti

(1) Confer superius dicta cum de notione mosaismi.

(2) Verba Petri sunt: " nunc ergo, quid tentatis Deum imponere iugum super cervices discipulorum *quod neque patres nostri neque nos potuimus portare? Sed per gratiam Domini Iesu* credimus (nos iudaei) salvari sicut et illi (gentiles) „. Petrus iudaizantes qui adstabant alloquitur et exposita eorum postulatione de imponendo ethnicis mosaismo tamquam salutis fonte 1) negat mosaismi vim salutiferam ac iustificativam; 2) mosaismo innecessario et ineficaci substituit gratiam Christi: " sed per gratiam Domini Iesu credimus salvari „; i. e. ***non*** mosaismo, ***sed*** gratia comparatur iustitia et salus; 3) idque eodem modo pro iudaeis ac pro gentilibus: " per gratiam Domini Iesu *credimus* salvari (nos iudaei) sicut et *illi* „ (gentiles). Secundum Petrum norma salutis unica et uniformis pro omnibus est Christus excluso mosaismo. Quae dein suggerit Iacobus de quatuor mandatis controversiam proprie non tangunt: sunt solummodo scita quaedam iuris naturae, quae antiquiora mosaismo erant et recepta apud multos populos, etsi inter gentiles elanguerat haud parum eorum observatio. At cum affinitatem cum mosaismo praeseferrent, complanabant viam ad faciliorem omnium fidelium unionem.

testimonio, concludit: " *quapropter* ego iudico non inquietandos eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum „ ; i. e. quoniam sicut Petrus exposuit et Scriptura confirmat, iustitia et salus non ex mosaismo sed ex fide in Christum obtinetur, idque tam a iudaeis quam ab ethnicis, ego iudico nullo modo imponendum ethnicis mosaismi onus „. Petro et Iacobo adhaerent reliqui iudices ut ex v. 22 apparet et sic venitur ad decretum : " quoniam audivimus... „ In decreto igitur, etsi non expresse sicut in discussione et suffragatione singulorum, sed solum virtute et in compendio, vere tamen recoluntur et habentur prae mente fundamenta per Petrum et Iacobum allegata de nullitate mosaismi et cum applicatione ad omnes. Certe resolutio emanat occasione ethnicochristianorum et consequenter etiam ad eosdem dirigitur ; sed aliud est res definita aliud occasio definitionis. Bene habendum est prae oculis errorem de mosaismi necessitate fuisse " paucorum „ ut ex 15, 22 ubi etiam *coetus* (ultra apostolos et seniores) gesta in conventu approbat, apparet. Nimirum agebatur de doctrinae capite christianis passim notissimo ; et sic non fuit necesse aquam applicare nisi ibi ubi ignis fuerat accensus. Praeterea in decreto ultra partem negativam aderat positiva quae solos ethnico-christianos respiciebat. Demum pars prima, etsi ratione momentorum dogmaticorum praecipua esset, non ita erat ratione positivae disciplinae inter ethnicos stabiliendae in commercio cum iudaeis ; hinc semel bene stabilita in deliberationibus et prooemio decreti veritate dogmatica quae basis erat disciplinae, praecipua cura huic impenditur et his coetibus ubi constabilienda erat.

Dicetur forsan : si iam in Concilio apostolico declarata est nullitas iustificativa mosaismi in se et cum applicatione ad iudaeos non secus atque ad ethnicos, quomodo pergunt iudaeochristiani adhuc post Concilium in eius observantia sicut antea ? Cui interrogationi respondemus : et cur accidit idem etiam post declarationem Pauli in conflictu antiocheno ? Si ratio continuandi in observantia mosaismi apud iudaeochristianos post conventum hierosolymitanum haec erat, quod de mosaismo inter iudaeos nihil in conventu decretum erat, i. e. quia nondum erat declarata « absoluta » inanitas mosaismi in ordine ad salutem, quae tamen dein declarata est in conflictu antiocheno per Paulum ; semel facta hac declaratione, debebat cessare etiam apud iudaeochristianos usus mosaismi ; et tamen multo postea, approbante Iacobo et consentiente Paulo, pergunt iudaeochristiani eodem modo atque antea (Act. 21, 20-26). Nimirum ratio usus mosaismi tam ante quam post conventum

non erat aut persuasio de eius necessitate ad salutem pro ullo hominum genere, aut ignorantia vel dubium de eius nullitate in hoc sensu, sed alia diversa, et quae manebat etiam post conventum hierosolymitanum et conflictum antiochenum. Titulus necessitatis « ad salutem et iustitiam » cessaverat promulgatione ipsa Evangelii ; at quamvis hic titulus cessaverat, ac proin ex hoc titulo non poterat « umquam » exerceri mosaismus in fide christiana, aderant alii ob quos poterat mosaismus exerceri inter iudaeochristianos et antea Concilium et post illud. Πρῶτον ψεῦδος in tota hac controversia stat in permiscendo « exercitio mosaismi » cum « titulo exercitii », quasi titulus unicus esset, et communis christianis ac iudaeis : hic est verus ac genuinus fons rationalisticorum errorum in hac re.

At non solum quae in 3° et 4° puncto dicuntur ; sed neque quae in 1° et 2° affirmantur vera sunt, si vacillationes Petri intelligantur de mosaismi valore iustificativo ; et si quae de interpretatione facti in domo Cornelii, adduntur ad christianos excultos extenduntur. Ad primum quod spectat, libenter quidem concedimus, cum Concilium celebratum sit anno vel 50 vel 51 i. e. 22 annis post ascensionem et primam Evangelii promulgationem, ex eo quod apostoli in Concilio declaraverint mosaismi inefficaciam iustificativam in se et etiam pro iudaeis, nondum sequi eos iam ab initio habuisse persuasionem hanc. Concedimus etiam verum esse in conventu hierosolymitano Petrum, ut probet se suosque socios iampridem doctrinam de absoluta inanitate mosaismi ad iustitiam tradidisse, altius ascendere, nempe ad facta admissionis Cornelii et visionis lintei ; sed haec quoque pluribus adhuc annis post promulgationem Evangelii contigerunt. Si igitur apostoli illo temporis spatio a promulgatione usque ad conversionem Cornelii ignorabant aut dubii erant num sub fide christiana adhuc retineret mosaismus etiam pro solis iudaeis vim quam in veteri oeconomia habebat, sequeretur eos ignorasse toto hoc tempore articulum fundamentalem christianismi ; ac proin rediret, etsi restricta quidem quoad durationem, rationalistica thesis de iudaismo primitivi coetus. Nam ut iterum moneamus, sensus quo Paulus adversus iudaizantes intelligit universalitatem Evangelii talis est ut si universalitas negetur et admittatur valor iustificativus mosaismi pro quovis, etiam pro solis iudaeochristianis, totus christianismus corruat evertaturque penitus Evangelium (Gal. 1, 7–9 ; 5, 2–4). Quamdiu igitur evolutio christianismi explicatur per quatuor illa strata ut communiter a multis explicatur, incurritur semper

summum illud incommodum : apostolos aliquo tempore veram christianismi naturam, etiam post promulgatum Evangelium, ignorasse ; ac proin, christianismum toto illo tempore nondum ad rectam sui conscientiam venisse : Paulum tandem fuisse eum qui Evangelium aut induxit, aut intellexit ac definivit ; seu quod idem est, primitivam ecclesiam " christianam „ vere non fuisse, verumque christianismi auctorem in Paulo quaerendum esse ; quae est hodierni rationalismi thesis (1).

Ut igitur res perspicue appareat, observemus ante omnia, circumcisionem in oeconomia iudaica et ex Dei institutione fuisse ritum significativum et protestativum fidei in Messiam venturum (signaculum iustitiae fidei, i. e. iustitiae per fidem in Christum venturum obtentae (2) Rom. 4, 11) ; similemque vim habuisse totam oeconomiam mosaicam (Hebr. 8, 5) huic ritui ac fidei superstructam. Valor proin quem in Vet. Testamento habebat utraque (circumcisio et lex), nitebatur " spe ac praefiguratione futuri Messiae „. Igitur, adveniente Messia et consummato eius opere, evanescebat valor hic essentialis circumcisionis ac legis : cessabant *figurae* adveniente *realitate* ; cessabat *spes* rei *possessione*. Hinc consectarium palmare : praxis circumcisionis ac mosaismi " animo ac spiritu iudaico „ retenta, in christianismo sacrilega erat, quippe quae negabat messianitatem Iesu. Proin adveniente Iesu Messia, cessabat valor iustificativus (3) mosaismi ; et christianus, eo ipso quod

(1) Forsan quis dicat : christiana revelatio, testante ipso Christo (Ioann. 14, 20 ; 16, 12. 13) et admittente ac proclamante passim Ecclesia, solum completa est per revelationes Spiritus Sancti ad apostolos, qui per gradus complebat Christi opus, dum apostolorum vita duraret, quidni igitur aliquo tempore veram mosaismi ac fidei habitudinem ad iustitiam non plene et liquido intelligerent ? Resp. verba illa Christi non respiciunt nec possunt respicere nostrum articulum, cum Paulus reponat in eo essentiam intimam christianismi per respectum ad iudaismum, ita ut remoto tali articulo evanescat Evangelium et relapsus fiat in iudaismum. Et quod de facto apostoli a prima die promulgationis Evangelii hunc articulum probe noverint ac penetraverint, perspicue apparet ex toties citato et explicato loco ad Gal. 2, 16.

(2) σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ " obsignationem iustitiae fidei in praeputio obtentae „ : circumcisio proin erat mera obsignatio externa iustitiae iam per fidem receptae. Cum iustitia intuitu fidei conferretur, circumcisio non minus quam signum iustitiae, erat protestatio fidei subiectivae. Articulus autem praecipuus iudaicae fidei erat Messiae Redemptoris adventus futurus.

(3) i. e. valor eius veluti signi " protestativi fidei in Messiam venturum „. (Cfr. Rom. 4, 11). Circumcisio numquam habuit directe virtutem iustificandi ex se sicut baptismus : hic est *effectivus* gratiae utpote applicativus meritorum Christi, dum circumcisio solum " significabat „ iustitiam *ex fide obtentam*.

admittebat Iesum tamquam verum Messiam, non poterat retinere circumcisionem et cum ea mosaismum eidem superstructum eo spiritu quo eum prius adhibuerat et quo adhuc adhibebant iudaei: fuisset contradictio in terminis; fuisset apostasia a christianismo. Vacillationes igitur Petri de mosaismo ethnicis imponendo solum in hoc versari poterant: num mosaismus esset retinendus et imponendus gentilibus *sub iisdem titulis* sub quibus eum exercebant iudaeochristiani et ipse Petrus. Certe mirum videri forsan prima specie posset quod si semel mosaismus agnoscebatur inefficax ad iustitiam, adhuc Petrus dubitaret num Deus vellet eum ethnicis imponere, cum ab eo tantopere ethnici abhorrerent, ac proin seclusa eius absoluta necessitate, imponi non posset nisi admodum imprudenter. — At tandem ignorabatur quaenam esset Dei voluntas, et apostoli non poterant propria consilia ei substituere: opus proinde erat exspectare eius manifestationem dum, iuxta Domini tesseram (Act. 1, 8), durante prima periodo propagationis inter iudaeos apostoli horae adventum praestolarentur qua ethnicis offerendum esset. Cum haec adveniret, Deus, simul cum hora ipsa, designaturus erat modum ac formam communicationis ut de facto contigit oblata lintei visione (1).

In conflictu autem antiocheno obiurgatio Pauli Gal. 2, 14–21 non progreditur, ad principia quod attinet, ultra id quod iam erat in Concilio apostolico declaratum, quasi scilicet Paulus extendisset ad iudaeos id quod pro ethnico-christianis erat ibi definitum. Principia quae Paulus Gal. 2, 14–21 evolvit, gemina sunt iis quae cum expressa ad iudaeos applicatione a Petro et Iacobo proclamata erant in conventu. Paulus summam argumentationis his verbis colligit: " si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est „ i. e. unicus et adaequatus iustitiae et salutis fons in morte Christi, per fidem applicata, non in mosaismo, reponendus est. Quae ne lato quidem ungue discedunt a proclamatis in Concilio per Petrum et Iacobum. Et nullam fuisse discrepantiam inter Petrum et Paulum vel in principiis, vel in eorum in-

(1) Forsan quis regerat: sed tandem Petrus animalia inmunda, i. e. " gentiles sine mosaismo „ appellat " commune „ sive profanum, alienum a Dei populo — Non est ita: Petrus ignorabat quid per illa animalia significaretur (v. 17). Ceterum appellationem non alio sensu intelligit quam eo quo mosaismum intelligit " rem sacram „; scil. non sicut ante Evangelium, rem vel ritum cui alligata sit salus, sed rem vel ritum pium qui retinendus est quamdiu Deus aliud non iubeat.

telligentia cum amplissima eorum ad iudaeos et ethnicos applicatione, apparet tum ex toties citato Gal. 12, 16, tum ex ratione agendi Petri ante adventum subditorum Iacobi. Quamvis iudaeus esset, minime cunctabatur in relinquenda mosaismi observantia dum inter ethnico-christianos versabatur. Nec Paulus illum incompletae " principiorum „ intelligentiae insimulat : tantum exprobrat *inconsequentiam in praxi.* Paulus Petro dicit : " tua ratione agendi ethnicos cogis iudaizare et in hoc contra tua principia agis „. Et admonitionis rationem reddens subiungit : " quandoquidem iustitia, ut concedis, ex sola fide quaerenda est, non ex mosaismo (v. 16), cum postea te ab ethnicis subducis, fundamentum praebes ethnicis suspicandi contrarium, iustitiam scilicet in mosaismo esse quaerendam : nam cum te ab eis subtrahas *quia* mosaismum non sequuntur, et vicissim te adiungas eis qui eum exercent, *quia* illum exercent, simplicibus cogitatio subit num mosaismus ad salutem necessarius sit, cum ex una parte te ab eis subtrahas quia non mosaïzant, ex alia eis nonnisi ex hac necessitate mosaismus imponi possit. Hinc, subductio Petri efficiebat ut ethnicochristiani si vellent ad Petrum in agapis (1) consociari, id nonnisi mosaismi exercitio possent obtinere : illinc, nisi titulo necessitatis ad iustitiam non poterat prudenter mosaismus ethnicis imponi : cogebat igitur eos iudaizare, idque contra propria principia.

(1) Agi de " agapis „, et cum celebratione eucharistiae, ex toto contextu apparet. Agitur enim in primis de communicatione in " mensis „ ; aliunde mensae non sunt communes et ordinariae ad cibum, hae enim per familias fiebant et non erat cur miscerentur iudaeochristiani cum ethnico-christianis. Ad agapes vero sive convivia charitatis totus coetus confluebat ut ex 1 Cor. 11 apparet. Rursus autem, etiam in his conviviis, nisi accederet Eucharistia, non tam facile explicatur quo pacto commiscerentur ita ut ethnico-christiani compellerentur cibis propriis abstinere et solummodo legalibus vesci ; cum ex eodem loco ad Cor. singulae familiae proprios cibos afferrent (1 Cor. 11, 21. 22) quos seorsim consumebant.

At ex eadem ad Cor. sectione simul constat in his conviviis solitam fuisse confici Eucharistiam. Hinc, si iudaeochristiani secernebantur, atque non solum communes fideles e plebe sed etiam ministri Ecclesiae (Gal. 2, 12. 13), cum in communitate antiochena ministri eo tempore iudaeochristiani essent (Act. 11, 20-27 ; 13, 1) ethnicochristiani remanebant seorsim quasi derelicti, sine ministris Eucharistiae. Hinc si volebant cum suis ministris versari atque ab iisdem Eucharistiam sumere, " cogebantur „ aut ad mensas iudaeochristianorum accedere, aut proprias sternere cibis mosaicis. Sedulo tamen distinguendum inter ipsam coactionem quam patiebantur ethnici et modum ipsum coactionis : coactio certa est et negari nequit : modus est incertus ; nos proponimus eum qui ex contextu sectionis probabilior videtur.

At quo pacto Petrus si eadem principia quae Paulus profitebatur eaque plene perspiciebat, potuit nihilominus ita se contra haec principia subducere? Facile. Quamvis apud omnes constaret mosaismum minime necessarium esse ad iustitiam, cum tamen posset retineri et de facto retentus sit, ex aliis titulis, inter iudaeochristianos, fieri haud difficulter potuit ut apud nonnullos vel simplices, vel pios, vel nimium zelantes traditionum, crederetur obligatorius non solum quamdiu fideles stirpe iudaei versabantur in propriis coetibus iudaeochristianis, sed etiam in ethnicochristianis si ex qualibet causa reperirentur simul plures iudaeochristiani ad quamdam communitatem iudaeochristianam pertinentes. Id videtur contigisse in nostro casu. Quamdiu Antiochiae pauci solum aderant ex hierosolymitana communite, aut inter illos non erant pusillanimes, minime cunctabantur, semota mosaismi observantia, cum ethnico-christianis convivere (Gal. 2, 11-13). Simulatque veniunt subditi Iacobi, hi qui scrupulosiores erant, putarunt adesse casum talis obligationis. Traxerunt dein in suam sententiam alios quosdam, tum Petrum et Barnabam, hos postremos forsan plus ad pacem cum contentiosis servandam, quam ex animi persuasione. At non animadverterunt ex sua agendi ratione sequi apud ethnico-christianos incommoda superius insinuata. Paulus incommoda haec satis gravia exsistimavit, attenta saltem neophytorum imbecillitate, ut remedium applicaret: id quod egit ostendendo quomodo perfecta ex principiis consequentia maiorem independentiam in Ecclesiae duce postularet, cum in certis adiunctis errores etsi leves si in se inspiciantur, possint scandala provocare.

At neque illud 2um est verum: Cornelii admissionem a " multis „ etiam non e plebe exsistimatam fuisse veluti casum exceptionalem. Talis interpretatio excluditur manifeste tam declaratione congregatorum in conventu de quo Act. 11, 2 seqq. quam nexu gestorum Antiochiae Act. 11, 20 cum praecedentibus 10, 1–11, 18. Obiurgatio qua congregati Petrum coarguunt finitur hac declaratione: " ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam! „ quae certe normam generalem sonant iam nunc in posterum gentibus applicandam; neque enim apparet in sententia ullum signum restrictionis ad praesentem casum; sed quod Cornelio et eius familiae concessum est, omnibus gentibus concessum agnoscitur. Et revera verba Petri tam 10, 28.^{b} 35; 11, 1. 9. 10 in eventu ipso, quam 15, 7 cum illum in memoriam revocat ut rationem agendi Pauli in sua missione tueatur, eundem universalem sensum prae se ferunt. Quod si Petrus talem sensum fovebat iam tempore receptionis Cornelii, eumdem iam tunc procul dubio externe et in agendo manifestabat v. gr. in missionibus a se eo tempore su-

sceptis (ut Act. 12, 17); nec poterat ei per annos 14 ab admissione Cornelii (ann. 37) usque ad Concilium (ann. 51) falsus sensus attribui. Sequentium autem eventuum evolutio post Cornelii casum plane ostendunt normam 11, 18 proclamatam, illico in praxin deductam esse; etenim, ut iam expendimus, 11, 20 chronologico et reali nexu inmediate cum illa proclamatione connectuntur.

3. Quid factum praedicationis ad gentiles in Evangelii historia secum ferat.

Propositum nobis erat in sectionis initio explanare factum oblationis Evangelii ad ethnicos sine mosaismi onere, eiusque significationem in fidei christianae historia. Factum oblationis per suos veros auctores hactenus explanavimus: restat explicanda facti significatio. Quae profecto ex disputatis levis negotii est. Prima quidem specie ethnico-christianismus i. e. Evangelium sive christianismus sine mosaismo, et iudaeo-christianismus i. e. christianismus mosaismo consociatus, videntur substantialiter inter se differre et ita putant rationalismi critici sectatores, secundum quos Evangelii oblatio ad ethnicos fuit verum initium christianismi genuini, transitus ad verum christianismum, dum primitivi christiani veri iudaei essent. At quam praepostera talis opinatio sit, iam ex disputatis constat. " Universalismus „ in se, in suo essentiali conceptu dicit solum " immunitatem a mosaismo, qua salutis et iustitiae fonte „, estque cum eo incompossibilis; sed hanc solam immunitatem postulat et semper postulavit. Ad salutem et iustitiam sufficit fides in Christum per baptismum practice expressa. Quod huic fidei adnectatur vel adnecteretur aut non, mosaismus ritualis ex aliis titulis, res erat adiaphora, quae nihil vel detrahebat vel conferebat ad universalismum Evangelii proprium. Universalismus Evangelio essentialis, i. e. immunitas a quovis alio ritu veluti iustificationis principio clarius quidem percipiebatur in iis qui de facto nullimode mosaismum exercebant, i. e. in ethnico-christianis, quia in illis removebatur non solum mens iudaica sed ipsa talis mentis radix in mosaismi exercitio. At exinde non sequitur ullum substantiale discrimen inter iudaeo- et ethnico-christianos, cum utrique convenirent in vero universalismo Evangelii proprio. Et hic fuit universalismus quem professi sunt apostoli tam Paulus quam Duodecim semper a prima Evangelii promulgatione.

Quod vero non obstante hac absoluta uniformitate utrorumque, iudaeo-christiani mosaismum retinerent, ethnico-christiani vitarent, ratio fuit obvia in utrisque. Ethnici generatim mosaicos ritus refugiebant; hinc, cum aliunde necessarii in christianismo ad salutem non essent, obvium erat ut ab eis absolute et quovis titulo liberarentur. Vicissim iudaeo-christiani, cum ob reverentiam in Moysen et patriam saeculorum traditionem religiosam mosaicos ritus diligerent, eos retinuerunt utpote innoxios remota mente iudaica, quae aliunde haud aegre seponebatur, cum iuxta ipsum Moysen et totum Vetus Tetamentum solius antiquae oeconomiae propria esset. Si postea supervenerunt difficultates hac in re, id fuit ex rationibus politicis aut quomodocumque terrenis, non ob motiva ex Scripturis deprompta. Talia fuerunt genuina Pauli principia ut apparet ex pluribus eius testimoniis. Locus princeps est Gal. 6, 15: modo quis firmiter retineat " novam creaturam „ i. e. modo baptizetur baptismo protestativo fidei in Christum; in eoque solo quaerat " regenerationem „ i. e. iustitiam; cetera, scilicet circumcisio vel praeputium, lex vel eius absentia, nihil sunt, i. e. adiaphora penitus sunt. Huic fundamentali loco consonant Gal. 5, 12; 1 Cor. 7, 18 etc.

4. Stephanus et hellenistae hierosolymitani in universalismi historia.

Secundum hodiernorum criticorum placita universalismus sive universalistica Evangelii conceptio non iudaica est, i. e. non ab inmediatis Christi discipulis, sed ex hellenismi influxu manavit per hellenistas hierosolymitanos qui crediderant. Erant quidem hellenistae stirpe iudaei, sed cum diuturno tempore inter graecos in Diaspora versati essent et hellenico spiritu imbuti, aptiores quam iudaeo-christiani, non exceptis apostolis evaserant, dicitur, ut semel fidem amplexi, semen evangelicum, per Iesum suis discipulis transmissum, fecundarent. In Diaspora enim iudaei ex contactu cum graecis mosaismum vix non in sectam stoicam mosaicae scientiae pallio contectam commutaverant. Iam pridem nonnulli cultum in hierosolymitano Templo ac praesertim cruenta sacrificia inania declaraverant, atque dubia de legis valore moverant. Haec igitur eadem sensa audaciores quidam inter hellenistas hierosolymitanos, fidem christianam amplexi, in christianismo expresserunt. Rectius atque intimius quam Duodecim veram religionis Iesu naturam penetrantes, probe perspexerunt exhibitum in ea

fuisse aliquid " novum „ quod veteres terminos longe transcenderet ; et per " regnum Dei „ non solummodo *Templum* extenuari, sed *universam legem* ritualem superfluam declarari. Inter hellenistas hierosolymitanos hoc spiritu imbutos eminebat Stephanus cuius adventus non solum iudaeos, sed etiam fideles valide conmovit ; atque ex eius praedicatione is effectus consecutus est, ut, dum Iacobus cum suis strictius quam antea mosaismo se obstrinxit, alios, ut Philippum et socios, ad samaritanos et proselytos primum, paulo post ad ipsos ethnicos evangelizandos impelleret. Petrus et cum eo magna fidelium pars, etsi personaliter perseverarent mosaismo addicti, aequis tamen oculis missionem extra iudaeos contemplabantur (1).

Weizsäcker et Harnack, retenta rei substantia, mitius aliquantulum historiam explicant. Stephanus revera contra Templum et Legem (sive Moysen) locutus est veluti evacuanda per Iesum et eius Evangelium : sed utrumque tamquam tempore adhuc futuro complendum. Quamvis narratio Actuum accusationem contra Stephanum ceu calumniosam velit traducere, oratio tamen martyris ostendit falsam non fuisse. Ad effectus vero quod spectat, etsi Stephani thesis nondum sit thesis Pauli de universalismo iam nunc in praxin deducendo, est tamen via ad illum, et de facto paulo post ex Stephani praemissis deductus est per cypriotas et cyrenenses de quibus Act. 11, 20. Ad apostolos quod attinet, certe eo tempore, observat Harnack, procul adhuc aberant a largiori Stephani conceptione, nam persecutio eos non tangit (Act. 8, 1). (2)

Quid de historica fidelitate dicendum talis expositionis ? Per singula capita quibus constat, mirum quantopere ab ea aberret. Non est verum sed plane falsum id quod veluti basis proponitur totius descriptionis de dispositionibus iudaeorum hellenistarum sive in Diáspora sive in patria vel metropoli. Quidquid de pau-

(1) Dobschütz *Das apostol. Zeitalt.* p. 10. 11. — Accedunt aliqui catholici. " La première manifestation de ce dessein (segregandi Evangelium a mosaismo) *ne vint* pas des apôtres ... Il était naturel que cette idée se présentât d'abord à l'esprit des Hellenistes, dégagés, par leurs habitudes étrangères, du lien gênant des observances. Vivant loin de la cité sainte, adorant le Dieu d'Israël sans victimes sanglantes, *ils étaient plus ouverts* que les Hébraïssants (inclusis apostolis) aux enseignements de Jésus ... Rien d'étonnant qu'ils aient pressenti ce que l'Esprit de Dieu devait enjoindre à Pierre ... et *compris les premiers certaines paroles du Maître qui demeuraient encore voilées pour les apôtres* „. (Fouard, *S. Pierre*[10] [1908] p. 75. 76).

(2) Weizsaecker, *Apostol. Zeitalt.* 50-53 ; Harnack, *Mission und Ausbr.* 1, 49-54.

corum quorumdam ex illis benevola dispositione in philosophicas paganorum sectas sit, generatim loquendo iudaei oderant et contemnebant paganos (1). Etiam illi qui peculiari modo philosophiae aut philosophicis disciplinis excolendis incumbebant " remanebant semper intra iudaismi terminos „ idque non solum ratione monotheismi quem semper retinuerunt firmum et incolumem, id quod nec de maximis inter graecos philosophos dici potest, sed etiam quia ceu indubium iudicabant " in revelatione mosaica tradi perfectissimam divinarum humanarumque rerum notitiam quae possit ab hominibus obtineri, ita ut iudaismus unica via sit ad veram scientiam veramque virtutem „ (2). Classica de hac re et vere epigraphica est descriptio Pauli Rom. 2, 17–20 : quae ceteroquin certissime iudaeos Diasporae, i. e. hellenistas respicit, non palaestinenses qui paedagogiam et magisterium in " caecos, insipientes, infantes „ i. e. paganos, non exercebant sicut iudaei Diasporae in Synagogis. Quod si tales erant in genere dispositiones iudaeorum erga hellenismum, infensiores ei erant illi qui sub vitae finem, pietatis causa, in Palaestinam veniebant ut extremum diem prope Templum clauderent et ex quibus originem trahebant hellenistae palaestinenses. Veniebant nempe Hierosolyma ob specialissimum affectum in cultus externi observantias. Haec in genere dicta sint de fundamentis quibus Dobschütz suam theoriam superstruit, pro qua ceteroquin nulla historica testimonia affert (3).

Ut vero nominatim de Stephani causa agamus, in primis ignoratur utrum noster diaconus hellenista fuerit. Ex nomine nihil

(1) Cfr. Weber, *Iüd. theol.*[2] § 15-17 pp. 57–79 ubi describitur iudaeorum in Diaspora erga gentiles dispositio iam ante Hierosolymorum excidium.

(2) Schürer III, 504.

(3) Negari nequit hodie multos tam protestantes quam etiam catholicos (Knab. *in Act.* p. 110, 115; Wikenhauser, *Apostelg.*, p. 170; Belser, *Die Apostelg.* p. 87) putare et quasi per se patens habere diaconos fuisse " hellenistas „ : id nomina septem electorum, id scopum ut contra hebraeorum in suos praedilectionem hellenistae praemunirentur quasi postulare. At contextus talem opinionem non confirmat. Nomina, fatente Knab. (p. 115) rem non conficiant, cum etiam inter eos qui maxime a quovis hellenismi influxu immunes essent, nomina graeca abundarent (inter Duodecim Andreas, Philippus, Dydimus); adiuncta autem electionis contrarium suadent. Ad designationem diaconorum convocatur ab apostolis " universa fidelium multitudo „ (τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν) quae certe non solis hellenistis, sed maxime hebraeis constabat ; et ex universa multitudine seliguntur : " considerate viros *ex vobis* „ (6, 3). Non est verisimile omnes septem per universum coetum designatos, ex hellenistis electos fuisse. Hellenistae potius Stephano adversantur (Act. 6, 9–14).

certum concludi potest, cum etiam in Palaestina ea aetate, graeca nomina communissima essent. E converso, illud est indubium: infensissimos Stephani adversarios hellenistas fuisse. Et quamquam hi erant iudaei, non conversi; si conversi largiorem illum spiritum conceperant in Diaspora aut ex Diaspora ob contactum cum hellenismo, etiam eorum fratres nondum conversi eumdem spiritum ostensuri erant, et sic multo minus quam hebraei adversaturi Stephano. Ad ipsam martyris causam et orationem quod pertinet, accusatio contra eum intenta vere calumniosa fuit. Accusatio erat quod Stephanus locutus erat *a*) contra Templum; *b*) contra Moysen. Probatio vero sic sonabat: Stephanus dixerat evertendum esse Templum et Legem mutandam a Christo. Certe, secundum falsam conceptionem iudaeorum de natura utriusque institutionis quam exsistimabant aeternam et immutabilem, accusatio calumniosa non erat; sed cum Stephanus sua oratione probet tum Templum, tum Legem, iuxta Prophetas (Isai. 66, 1) et ipsum Moysen (Dt. 18, 5), institutiones provisorias esse, utraque pars accusationis et demonstrabatur et erat calumniosa. Stephanus nihil aliud quam haec duo asseruerat: adveniente Christo, et Templum et Legem veterem cessatura esse; atque haec duo ex allatis testimoniis demonstrat. Nihilominus cessationem intelligit Stephanus sensu " essentiali „ i. e. quoad valorem iustificativum et salutarem quem tam oeconomia mosaica quam Templum veluti eius centrum habebant ante Messiae adventum, quatenus " Messiam venturum „ portendebant, quo proin veniente, eo ipso cessabant; non sensu " materiali „, de eorum exstantia sive continuatione et usu sub aliis titulis, qua de re nihil in Stephani praedicatione prolatum erat, ut ex eius defensione perspicuum fit. Defensio duplex accusationis caput ordine refellit: 1um de Templo: non calumniatus sum Templum cum ea de illo protulerim quae Scriptura ipsa profert: illud non esse necessariam Dei mansionem quippe sine eo Patriarchae Deum coluerint (7, 2-19); nec iam extructum adaequatam Dei habitationem exhibere ut Prophetae (Is. 66, 1) testantur (7, 47-50); qua loquendi ratione Scriptura satis insinuat futuram temporibus messianicis adorationem in spiritu (Ioann. 4, 23) veluti cultum veteri subrogandum (7, 37).

Hunc autem sensum quem Stephanus tenuerat atque expresserat accusatores malitiose detorquent ad invidiosum illum de destructione, de qua Stephanus nihil dixerat. Certe Stephanus in sua apologia in illo sensu sistit quem diximus, et nec verbulum ex ea potest afferri quod

aut ad abolitionem mosaismi sub omni titulo, aut ad Templi destructionem alludat. Cum aliunde oratio longissima sit nec possit dici Stephanum inepte propriam causam egisse, quidquid de applicatione universalismi a Stephano pronuntiatum vel etiam insinuatum dicitur, gratuitum est.

Ad 2um caput de Moyse, ex orationis contextu perspicue apparet Stephanum velle ostendere se de Moyse ac eius munere nonnisi honorificentissime sensisse: de persona, cum tam longum de ea sermonem facit, et cum tam emphatice illam vv. 37. 38 extollit. De munere, cum eius legislationem appellat " verba vitae „ λόγια ζῶντα (v. 38): certe nec ferventissimus inter iudaizantes honorificentius de Moyse loqui poterat. Inde praesumere licet Stephanum potius fervidum iudaeo-christianum fuisse, etsi utique minime iudaizantem, cum Iesum declaret Veteris oeconomiae consummatorem. Quamvis vero eius adversarii martyris verba ad sensum detorserint quem non habebant, de facto tamen in Stephano eos non tam fictitium hunc sensum quam verum, de Iesu Messia, odio suo esse prosecutos apparet ex orationis clausula. Quamdiu enim ad verba illa non pervenit: " ecce video coelos apertos et Iesum stantem a dextris Dei „, impatienter quidem (7, 54), sed tandem sustinuerunt eum; cum autem illa protulit, obturant aures et, impetu facto, occidunt. Evidens est " blasphemiam „ eos maxime deprehendisse in declaratione messianitatis Iesu. Hinc etiam apparet non posse dici Stephanum apologiam non absolvisse, et ideo non pervenisse ad caput de praedictione Christi. Stephanus absolvit plene suam orationem: si ergo nihil de destructione templi dicit, nihil etiam hac de re in praedicatione dixerat. Stephanus nequidem lato ungue progreditur ultra Petri conceptionem iam in primis suis orationibus cap. 2 et 3: in prima declarat Iesum Messiam " sedentem a dextris Dei „ (2, 32. 33); in altera allegat sicut Stephanus vaticinium Deuteronomii (3, 22).

Hinc demum etiam apparet causam cur apostolos non persecuti sint iudaei hac occasione, nullo modo eam fuisse quod mosaismo fideles manserint dum Stephanus ab eo discedebat: Petrus et Stephanus discedunt a mosaismo et ei adhaerent eadem prorsus mensura: discedunt, cum Iesum proclamant consummatorem veteris oeconomiae quae, eo adveniente, cessat in suo valore salvifico: adhaerent, cum nihilominus mosaismum retinent ex aliis titulis. Vera ratio cur apostolos non persequantur est quia timent

populum qui eos carissimos habebat et in summa veneratione (Act. 4, 21 ; 5, 11. 12); item ob Gamalielis auctoritatem. Cap. 5, 29–32 habet Petrus orationem quae eosdem prorsus motus, apud principes iudaeorum excitat quos Stephani oratio cap. 7 (cfr. Act. 5, 33 et Act. 7, 54). Denique Praesidum romanorum auctoritas sedulo in Synedrium invigilabat ne in saevitias contra apostolos effunderentur. Inde, cum primum Iudaei autonomiam recuperant sub Agrippa (cap 12), extemplo apostolos saevissime persequuntur (1). Theoria igitur Dobschützii et eorum qui ipsi adhaerent, est prorsus artificiosa, ex rationibus subiectivis conficta ad substituendam fictitiam evolutionem veritati historicae.

5. Nonnullorum catholicorum sententia de hellenistis.

Explicatio Dobschützii et Harnackii quae primum universalismi impulsum in hellenistis hierosolymitanis et Stephano reponit, etiam nonnullis catholicis partim saltem arrisit. Secundum hos catholicos 1) mature admodum erupit in ecclesia hierosolymitana dissensus inter « hebraeos » et « hellenistas », cuius radicale fundamentum in spiritu stabat quo dum priores in mosaismum ferebantur, hellenistae propensiores in universalismum et missionem se exhiberent (2). 2) Primus in hoc sensu expressior impulsus a martyre Stephano prodiit qui, procul

(1) Quantum ex historia Actuum a primis capitibus ad 15 colligere licet, potuit etiam fieri et factum revera videtur, ut Synedrium diversis occasionibus diversam viam tentaverit ad christianismum extirpandum: vel multitudinem insectari relictis ducibus, quasi nimirum si duces asseclas non invenirent, eo ipso inanitate extingueretur: vel duces e medio tollere quo radices arbori praeciderentur. Sic de facto videmus egisse iudaeos primo modo [in persecutione Stephani et secundo postea sub Agrippa. Cum igitur in sincera factorum historicorum ac obvia interpretatione satisfactoriam progressus fidei explicationem inveniamus, quid opus est ad peregrina confugere quae nullum in historia fundamentum habent, imo aperte eidem opponuntur? Profecto, cum iudaei ex Diaspora Hierosolyma confluerent ut prope Templum extremam aetatem agerent et mortem obirent, id non faciebant nisi ex magno quo aestuabant fervore in iudaicas traditiones. Tales igitur iudaei minus adhuc quam ipsi qui in patria remanebant idonei erant ad liberiorem animum qui eis tribuitur. Illud est penitus certum; tam Paulum (Act. 9, 29) quam Stephanum (Act. 6, 9–14) infensissimos sibi prae reliquis iudaeis reperisse hellenistas hierosolymitanos; id quod nostram, non adversariorum quos hic refutamus, explicationem confirmat.

(2) " Die Urgemeinde ... trug in ihrem Schosse bereits die späteren Pioniere der Heidenmission, Proselyten aus der Diaspora „ (p. 20).

dubio, hellenista, non hebraeus erat (1). 3) « Ecclesia » hierosolymitana iam a persecutione Stephani, cuius victimae hellenistae fuerunt, ad solos fere hebraeos redacta, Act. 11, 2. 3 missionem ethnicorum detrectabat (2). 4) Petrus quidem coelesti monitu, Cornelium in Ecclesiam admisit, sed per viam quam inierat progressus non est, quasi cohibitus hierosolymitano coetu. 5) Quo interea spiritu hic coetus duceretur apparet ex eo quod, cum eo tempore ex hebraeis fere tantum constaret, inmolatis vel dispersis hellenistis (cfr. n. 2) rationem quasi obiurgando postularet a Petro ob Cornelii admissionem (3). 6) Revera, Actus expresse tradunt primum ethnico-christianorum coetum ab iis conditum esse qui spiritus martyris Stephani participes, illius haeredes fuerunt ; viris illis cypriotis et cyrenensibus qui hellenisticae hierosolymitani coetus factioni cum Stephano addicti, persecutionis tempore dispersi sunt relicta Hierosolyma (Act. 11, 19.[b] 20) (4). 7) A coetu hierosolymitano prodierunt iudaizantes illi qui Act. 15, 1. 5 mosaismi necessitatem proclamarunt. 8) In postrema Apostoli hierosolymitana conmoratione Iacobus eum monet de magno iudaeo-christianorum numero in illa ecclesia, qui mosaismo strictissime adhaerebant, Paulumque ut apostatam habebant (5).

Explicatio haec eo animo invecta est ut traditionalem opinionem de impulsore et promotoribus « missionis » inter ethnicos cum recentiori critica conciliet. Lucas nimirum nimium perspicue prodit missio-

(1) In dem Auftreten des Diakons Stephanus wird die weltgeschichtliche Arbeit des heil. Paulus, die Loslösung des Christentums vom Iudentum, vorgebildet und vorbereitet. Die Apostelgeschichte sagt ausdrücklich dass die Gesinnungsgenossen und geistigen Erben dieses Märtyrers die eigentliche Heidenmission begonnen haben. Die Gründer der ersten heidenchristlichen Kirche in Antiochia waren einige Männer von Cypern und Cyrene, die zum hellenistischen Teil der Urkirche gehört hatten und wegen der Verfolgung, die nach des Stephanus Tod einsetzte, aus Ierusalem fliehen mussten „ (p. 277).

(2) " Wie sich die Urkirche, die nach dieser Verfolgung, der wohl im wesentlichen nur die Hellenisten zum Opfer fielen, in der Hauptsache aus Hebräern bestand, zur Heidenmission stellte, ergibt sich daraus, dass sie von Petrus wegen der taufe des Heidens Cornelius Rechenschaft verlangte „. (ibid).

(3) " Man beachte besonders den Bericht über die Stellung der jerusalemischen Iudenchristen zu diesem Ereignisse : sie stritten mit ihm „. (p. 20) " Iudaeo-christiani hierosolymitani „ sunt ex nota praeced. fere omnes fideles illius coetus.

(4) Eo ipso quod secundum 3) coetus hierosolymitanus post persecutionem Stephani ad solos hebraeos redactus est pulsis hellenistis qui secundum 1) in universalismum, secus atque hebraei, propellebantur ; et quod de facto hebraei secundum 4) et 5) Petri consiliis obsistebant ; perspicuum est, quidquid in missionis ethnico-christianae campo coetus hierosolymitanus peregit, per hellenistas peregisse.

(5) Sic Wikenhauser ; ***Apostelgeschichte*** (1921).

mentum hellenisticum, plebs christiana in suo complexu acquiescit cum plausu (Act. 15, 22) (1) apostolorum ac seniorum decreto quod iudaizantes declarat " animorum perturbatores „ (Act. 15, 24); similiter iam superius Petro graviter iudaizantes obiurganti cum reverentia adhaeret (15, 12[a]), Paulumque et Barnabam suos labores inter ethnicos ac Dei portenta in eorum Evangelii favorem narrantes libenter auscultat (15, 12[b]). 2) Act. 11, 18 etsi initio concionis Petro succensent, audita eius explicatione exclamant: " *ergo* et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam „. " Gentes „ in mente loquentium non esse familiam Cornelii, sed omnes gentiles, et verba normam universalem in posterum cum ethnicis servandam sonare, et ipse eorum tenor et historia quae immediate subiungitur de antiocheni coetus fundatione sine ullo mosaismi onere veluti historiae praecedentis (10, 1–11, 18) consectarium satis aperte produnt. 3) Paulus Gal. 1, 22–24 expressis verbis asserit " ecclesias Iudaeae „ antiochenam suam praedicationem et probe cognovisse et ob eam Deum fervide laudasse. Praedicatio autem haec erat ea ipsa quae describitur Act. 11, 20–25. Iam tempore quo haec gerebantur quae nn. 2) 3) dicimus, coetus Iudaeae secundum patronos sententiae quam examinamus iamdiu quovis hellenistico elemento carebant. 4) Dispositio animi in fidelibus hierosolymitanis ante dimidium circiter sexti decennii (54/55) nihil prodit quod ethnicorum missioni qualis a Paulo fiebat, adversetur: in fine primi itineris (ann. 51) visitat coetus palaestinenses cum plausu fidelium quamvis optime scirent quodnam esset eius Evangelium (Act. 15, 3. 12. 22); et in fine secundi (ann. 54) sine ullo periculo difficultate vel obiurgatione (Act. 18, 22). 5) Dispositio animi in fidelibus hierosolymitanis quam insinuant verba Act. 21, 20 (ann. 58) etsi non careat amaritudine in Paulum (Act. 21, 21), minime tamen est ob ethnicorum missionem sine onere mosaismi. Fideles illi procul dubio obsequuntur libenter suo Praesuli Iacobo huiusque senioribus (Act. 21, 22); hi vero dissertis verbis liberant ethnicos a quovis mosaismi exercitio etiam Hierosolymis (Act. 21, 25). Animadversio illa erat ob calumniam de avocatione " iudaeo-christianorum „ a mosaicis ritibus. 6) Crisis quam revera expertus est coetus hierosolymitanus cum inminenti

(1) " ecclesia „ quae decretum probat certe distincta est ab apostolis et senioribus; et cum praeterea Lucas adhibeat epiteton " omni „ (ὅλῃ), non agitur de uno alterove, sed de plurimis.

relapsus in iudaismum periculo, imo cum plurium defectione, ut ex Epist. ad Hebr. apparet, consummabatur annis circ. 58–66. Iam anno 58 illa contra Paulum animadversio, etsi nondum in apertum errorem erumperet, erat quidem sinistrum germen, sed crisis advenit postea. Eius causas evolutionem et effectus alias exposuimus. Sed auctor Epistolae ad Hebr. apprime distinguit inter " pristinos dies „ in quibus christiani illi fervidissimi erant nullumque tale sinistrum germen fovebant, et praesentem, cum Epistola scribitur, periculosam dispositionem (Hebr. 10, 32–34).

5. Veterum de universalismo Evangelii apud Apostolos sententia.

Ex disputatis perspicere licet nostram explicationem de historia controversiae circa universalismum Evangelii hoc duplici axiomate veluti cardine inniti: 1) quod non solum Paulus, sed prorsus eodem modo atque ille, apostoli et cum eis ecclesiae palaestinenses universim articulum de Christo unico salutis ac iustitiae fonte, excluso penitus mosaismo, idque a primordiis Evangelii, professi sint. 2) quod si tam Duodecim quam Paulus nihilominus mosaismum et exercuerint ipsi et iudaeo-christianos exercere concesserint, id explicetur ex mosaismi liceitate ob alios titulos, praesertim reverentiae erga patriam traditionem, sicut haud raro cernimus factum in historia Ecclesiae inter neophytos variarum gentium respectu quorumdam rituum iam antea in usu apud eosdem qui in se ipsis nihil aut superstitionis aut impietatis continerent. Utrumque axioma constanter invaluit in Ecclesia christiana, in qua nullus umquam Doctor exstitit qui aut evolutionem rationalisticam agnoverit qua ex iudaismo ad Evangelium transitus fieret; aut etiam mitiorem illam qua apostoli, postquam certo quodam temporis spatio articulum de Christi et eius fide, unico iustitiae et salutis fonte non satis distincte perspexerunt, ad eius perfectam notionem devenerint. Nostrae huius assertionis veritas perspicue apparet in celeberrima controversia inter Hieronymum et Augustinum de ratione agendi Petri in conflictu antiocheno. Hieronymus et Augustinus plane conformes erant 1) in absoluta inefficacia obiectiva mosaismi ad iustitiam et salutem, semel promulgato Evangelio. 2) in correlativa apud apostolos notitia et certa persuasione de tali inefficacia ac de adaequata virtute iustificandi in sola gratia Christi, mediante fide in ipsum. Augustinus libenter concedit " cerimonias iudaeorum et perniciosas esse et

mortiferas christianis: et quicumque eas observaverit, sive ex iudaeis, sive ex gentibus, eum in barathrum diaboli devolutum iri „ si tamquam necessarias ad salutem et iustitiam cum iudaeis exsistimaret, sicut Hieronymus declaraverat (1). Quod consequens est, non minus conveniebat inter utrumque, apostolos, cum mosaismum exercebant, non eum exercuisse vel agnovisse sicut iudaei, veluti ad salutem et iustitiam necessarium. Discrimen inter Augustinum ac Hieronymum stabat in modo vindicandi apostolos a iudaismi labe quam incurrissent si mosaismum ut necessarium ad salutem exsistimassent. Hieronymus quoniam Paulus rationem agendi Petri appellat " simulationem „ (ὑπόκρισιν) dum nihilominus ipse quoque " eadem noxa teneretur „, putat exercitium mosaismi per apostolos tam Paulum quam Petrum vere fuisse " simulationem „. " Didicimus, ait, (ex Gal. 2, 13) quod et Petrus et Paulus *finxerint* se legis praecepta servare „ (2). " ego dico et Petrum et Paulum legis exercuisse, imo *simulasse* mandata „ (3); " eos *simulasse* quod non erant „ (4). Simulant iudaismum, re illum non exercent: sic ab eorum animo removet labem Hieronymus. Quid vero simulationis nomine intelligat S. Doctor, non ita facile apparet: cum Augustinus eam appellasset (in hypothesi Hieronymi) " officiosum mendacium „, Hieronymus appellationem non admittit; et quod antea dixerat " simulationem „, dicit " honestam dispensationem „ (5) i. e. prudentem oeconomiam ob iudaeochristianorum metum; sed quocumque modo se res habeat, evidens est in sententia Hieronymi, apostolos " optime novisse et numquam ignorasse „ mosaismum " nihil ad iustitiam valere.

Augustinus vero nolebat " simulationem „ in apostolis audire et potius asserebat Petrum et Paulum id fecisse non " mentientis astu „ (simulatione), sed " compatientis affectu „ (6); quid vero hac ultima expressione velit significare explicat dicens " Paulum dimisisse ex iudaeis (reiecisse ex synagogae doctrinarum complexu cum fidem amplexus est) quod post passionem et resurrectionem Christi adhuc putabant sacramenta vetera (mosaismum) *ex necessitate salutis* esse celebranda (exercenda); at non observan-

(1) Aug., *Epist.* 82 n. 18 (M. P. L. 33, 283).
(2) Hier. in Ep. ad Aug. (inter august. 75; n. 11: M. 33, 257).
(3) ibid n. 17 (M. 33, 261).
(4) Ibid.
(5) Ibid. n. 11 (M. 33, 297).
(6) Epist. 40 n. 6 (M. 33, 157), Ep. 82 n. 26 (M. 33, 287).

tum (quam legis et more patrio celebrarentur praeceptum), sicut et ab ipso [illegible] post [illegible] salutis necessi-tate, (1). Augustinus utrumque [illegible] mosaismi retinendi titulos distinguebat: "necessitatem salutis", et "patrium morem", i. e. nationalem traditionem, [illegible] necessitatem salutis vel iustitiae. Iuxta Augustinum, in Veteri testamento et quamdiu non advene-rat Messias, mosaismus exercebatur et exercendus necessario erat inter Iudaeos ex primo titulo, quia circumcisio et legales obser-vantiae tunc [illegible] populo Iudaico in signum ac protestationem fidei in Messiam venturum (2). Hic titulus evidenter cessabat Messiae adventu, fuissetque in christiano contradictio in terminis ac vera apostasia a fide. Sed poterat permanere et permansit alter titulus. Apostoli igitur et iudaeo-christiani primitivi, sec. Au-gustinum, accurate facta hac distinctione, primum titulum repu-lerunt, alterum retinuerunt.

Hieronymus hanc distinctionem aut non perspiciebat, aut [illegible] admittere nolebat, ideoque agnoscebat in exercitio sin-cero mosaismi titulum necessitatis et mentem iudaicam. Hinc, cum in Apostolis admitti nequeat exercitium mosaismi sub tali ti-tulo et tali mente, non restabat nisi fictio. De christiana plebe, quid senserit, i. e. quo spiritu mosaismum exerceret, an putans nihil adventu Christi hac in re immutatum fuisse, an secus? Hie-ronymus nihil dicit; sed modus loquendi videtur indicare eum putasse fideles ex parte quasi fide implicita sese remisisse ad [illegible] apostolorum et [illegible]; [illegible], plus minusve [illegible]. Augustinus fuit perspica-cior; et cum in historia christianismi primitivi tam prout apparet ex Epistolis Pauli, quam ex Actibus, inveniret explicite proclama-tum per Apostolos a primordiis fidei articulum de Christo unico salutis ac iustitiae fonte cum expressa exclusione mosaismi, puta-vit [illegible] plus minusve distincte christianas plebes cogitasse et apostolos secutas esse.

(1) Ep. 82 n. 8 (M. 33, 279): [illegible] ad [illegible], [illegible] aliquo tempore post passionem et [illegible] Christi [illegible] [illegible] [illegible], sed [illegible] [illegible] usu christiano retinuit.

(2) Ep. 82 n. 15 (M. 33, 281): "ad significationem [illegible] quae per Christum [illegible] [illegible]".

Quid traditio Hieronymo et Augustino antiquior senserit, partim ex utriusque testimonio, partim ex aliis fontibus iudicandum est. Hieronymus affert pro se nonnullos graecos, maxime Origenem ; Augustinus Ambrosium et Cyprianum. Ex Hieronymi provocatione ad Origenem (1) videri posset Origenes non distinxisse sicut distinguebat Augustinus plures titulos in observantia mosaismi, atque ex exclusione tituli necessitatis ad salutem, conclusisse, sicut Hieronymus, ad simulationem ; quasi nimirum nullus suppeteret titulus legitimus intermedius. At merito dubitari potest, num Origenes omnem mosaismi observantiam in christianis simulationem exsistimaret ; nam non audet damnare illos qui ceteroquin, cum bonis christianis in fide conformes, incluso articulo de iustificatione non ex mosaismo sed ex fide in Christum, nolunt a mosaismi exercitio divelli (2). Hinc vel non omnem mosaismi observantiam in Apostolis appellabat simulationem sicut Hieronymus, sed solum illum specialem casum Petri ; vel simulationem lato sensu intelligebat hoc nempe : quod cum de se mosaismus solorum iudaeorum esset proprius, de se exercitium mosaismi iudaicam fidem ac mentem denotat in exercente ; ac proin exclusio motivi huius fundamentalis quasi fictio vel simulatio mosaismi est. Iustinus iam ante Origenem Augustini distinctionem expresse facit, ac iudaeum qui, excluso titulo necessitatis salutis ac iustitiae, ob studium tamen in Moysem vel instituta proprii populi, cum recta fide in Christum mosaismum copulat, a communione excludere non audet (3).

Procul dubio igitur Augustinus repraesentat genuinam traditionem christianam non solum in excludenda omnino evolutione in Ecclesia primitiva aut in apostolis, quod spectat ad articulum fundamentalem de Christo unico iustitiae fonte ; sed in vera explicatione apostolicae praxis. Ceterum iudaei illarum aetatum probe perspiciebant christianos ex sua stirpe non servare mosaismum ea mente et titulo quibus ii qui in iudaismo remanebant ; et ratio cur eos non cruente semper persequerentur etiam in Palaestina et per Synedrium, non erat quia illos eamdem cum Synagoga fidem fundamentalem participare putarent, ut perperam autumat Harnack ; sed quia non obstante radicali divergentia in dogmate de divinitate Christi eiusque, per consequens, unici iustitiae fontis munere, Synedristae, ob populi reverentiam in apostolos atque ob romanorum vigilantiam, non valebant evangelicos

(1) Commentarii Origenis ad Gal. interierunt.

(2) *Contr. Cels.* 2, 1 (M. 11, 796).

(3) *Dial.* 47 (M. 6, 577) Cum Iustino sentiebant alii permulti catholici illa aetate, licet alii dissentirent.

praecones opprimere ut voluissent. Hinc rursus apparet nostram explicationem, in utroque membro, traditionis vestigia fideliter premere.

Augustinus loco superius citato cum exercitium mosaismi « in barathrum » ducere declarat, id non solum intelligit de mosaismo tamquam ad salutem et iustitiam necessario, sed ex quavis ratione exercito. Motivum nimirum quod exercitium mosaismi legitimum reddebat, non ultra illud temporis spatium valuit quo iuxta S. Doctorem Evangelium sufficienter propagabatur (1). Quantum vero sese hoc spatium protendit? Certe cessaverat ante tempora Augustini et Hieronymi quorum aetate censebatur haereticus vel saltem schismaticus quicumque sub quovis praetextu mosaismum exerceret. Perdurabat tamen certo aetate Iustini (160) imo et Origenis (250). Qua via ad cessationem ventum sit, non est facile definire. Synodus Florentina haereticos declarat omnes « observatores legalium post tempus sufficientis Evangelii promulgationis »; (2) at nec dicit quale fuerit hoc tempus, contenta Augustini formulis, nec assignat ullam taxativam dispositionem Ecclesiae hac de re. Concilium supponit exstare in Ecclesia statutum quo exercitium mosaismi vetatur sub quovis praetextu, atque ita ut transgressores huius statuti ab Ecclesiae communione arceantur. Eamdem communem inter fideles persuasionem pro suo tempore testatur Augustinus epist. 82. Quando aut quibus documentis vel statutis? En quod hac de re, expensis antiquitatis documentis statuendum videtur: 1) Nullum ullibi taxativum Ecclesiae decretum quod id statuat ostenditur. Proinde potius via factorum id contigit. Nempe, cum certo quodam tempore, apostolico nimirum, sine ulla difficultate christiani stirpe iudaei, qui mosaismum spiritu christiano exercebant, ad communionem admitterentur cum reliqua Ecclesia, imo selectissimam eius partem constituerent, postea, sicut ex Augustino constat, haec tolerantia cessavit et ab Ecclesia exclusi sunt. Quando? Certe, satis longo tempore ante Augustini aetatem 2) Rursus tamen non ante Iustinum, sed postea; cum in Dialogo n. 47 dicat quosdam catholicos excludere a communione eos qui mosaicos ritus exercent, quosdam vero quibus ipse Iustinus se connumerat, non excludere dummodo spiritu non iudaico id faciant. Igitur Ecclesiae prohibitio inter Iustinum et Augustinum collocanda est. Qua via? 3) Ipse locus Iustini id nobis insinuat. Certe catholici qui cum Iustino sentiebant et ii qui in contrariam praxin abibant nullo modo

(1) " ut in illorum iudaeorum vocatione quos praesentia Domini et apostolica tempora sic (i. e. vigente Synagoga) invenerant, omnis illa actio (exercitium) consumeretur umbrarum ... ultra vero non haberet progressum „ (Epist. 82 n. 15 M. 33, 282).

(2) *Decretum pro Iacobitis* Denzinger p. 427 (ed. 1911).

doctrina ipsa dissentiebant, quasi nimirum Iustinus et sui qui ad communionem admittebant mosaizantes, mosaismo vim iustificativam concederent, alii non ; id enim impossibile esse iam vidimus : discrimen erat in hoc quod illi qui contra Iustinum sentiebant, iugi experientia ad persuasionem devenerant quod iudaei, etsi ore dicerent se mosaismum christiano et non iudaico spiritu exercere, falso id asserebant ; dum Iustinus et sui, nimium creduli, adhuc mosaizantium verbis credebant. Postea, hi quoque animadverterunt se decipi ab illis falsariis, et sic persuasio evasit generalis, ac mosaismus quovis praetextu prohibitus est, forsan statutis episcoporum particularibus, nec nisi longa annorum aut decenniorum periodo, cum Iustini aetate in quibusdam provinciis vel dioecesibus iam prohibitioni plures proclives essent, dum in aliis adhuc aetate Origenis nonnulli id facere cunctarentur.

III. Particularismi mosaici diversae formae.

1. Epistola ad Galatas : eius tempus ac lectores.

Controversiae in christianismi primordiis suscitatae de mosaismi valore, non unica forma illa fuit quam in ore perturbatorum apud antiochenos et in conventu hierosolymitano prae se tulit. In Epistola 2ª ad Corinthios et in Epistola ad Philippenses Paulus rursus vehementer iudaizantes impugnat ; et tamen iudaizantes hi non illam thesin propugnant de necessitate mosaismi ad salutem et iustitiam. Hinc perspicuum fit sectam iudaizantium varias decursu temporis formas affectasse, rigidiorem et minus rigidam ; quo autem ordine hae formae sese exceperint, ex serie historiae haud difficulter disci potest. Controversia evidenter, ut ex Actibus et Paulo constat, coorta est sub rigidiori forma : proinde, si praeterea alias mitiores prae se tulit, certissime hae illa rigida recentiores sunt. Hinc, spectata chronologia obvium est ut Epistolae Pauli quae mosaismum impugnant, parallelo ordine cogitentur decurrere cum diversis formis quas iudaizantium secta successive induit, ita ut in singulis aut, definito tempore, argumentum ; aut, definito argumento, possit tempus vel certo, vel magna probabilitate definiri. Nihilominus, absolute loquendo (1), etiam posito quod nostra Epistola serius scripta sit et durante tertio iti-

(1) Bene animadvertatur id nos concedere " absolute loquendo „.

nere, nondum sequitur adversarios non posse esse iudaizantes rigidos, quia potuit controversia aut recrudescere postquam deferbuerat, aut etiam manifestari sub rigidiori forma in ecclesiis recentioris originis, sicut etiam in antiquioribus sub mitiori et recentiori. De facto P. Lagrange v. gr. tenet scriptam fuisse Epistolam in tertio itinere, et tamen sectarios de quibus agitur esse iudaizantes rigidos qui in Galatia stricte dicta non in Pisidia et Lycaonia errores disseminabant (1): dum Cornely multo maturius scriptam putat, adversarios vero a Paulo impugnatos existimat esse iudaizantes mitigatos (2).

Ratio muliplicitatis opinionum de tempore conscriptionis Epistolae praecipua est quod dum in plerisque paulinis Epistolis tempus facile definiri potest ex collatione contextus et argumenti cum historia Actuum (3), in Epistola ad Galatas nexus non ita definitus apparet, et aliunde iam ab antiquitate magna est incertitudo apud Patres de conscriptionis tempore. Hinc, etsi non penitus neglecta quaestione, de argumento et tempore, solent investigationem inchoare a definiendis lectoribus, id quod putant facilius posse definiri ; et hoc fundamento praeiacto, ad penitiora de tempore et adversariis procedunt, attento plurium adiunctorum complexu.

Tam inter protestantes quam inter catholicos multi existimant lectores esse incolas Galatiae proprie ac stricte dictae, i. e. regionis quae ad septemtrionem occidentalem Lycaoniae ac Pisidiae, atque ad meridiem Bithyniae ac Paphlagoniae iacebat, quamque Paulus in secundo ac tertio itinere visitaverat (Act. 16, 6 ; 18, 3); praecipuum ex ipsa Epistola praesidium est Gal. 4, 13 (πρότερον).

Ad argumentum et adversarios quod spectat, iudaizantes quos impugnat Paulus possunt esse iudaizantes rigidi ; et nulla est difficultas quominus etiam damnati in Concilio, in sua thesi persistant : id passim in omnibus haeresibus accidit.

Alii ut Lightfoot v. gr. et Loisy putant retinendam quidem esse Galatiam septemtrionalem ; at argumentum et adversarios chronologiae accommodant dicentes sectarios illos minime iam fuisse primitivos iudaizantes; sed mitiores quosdam alios qui post decretum modificarunt suam doctrinam, ac mosaismum docebant necessarium quidem, sed ad perfectiorem donorum Evan-

(1) Epître aux Galates Introd. p. XXVIII, XXIX seqq.
(2) *Introd. special*[3] p. 430 et 422. 423 ; *Comm. ad Gal.*[3] 364. 365.
(3) Sic 1[a]. 2[a] Thess. ; 1[a]. 2[a] Cor. ; Rom. Philipp. Col. Hebr. Philem.

gelii participationem, minime ad salutem et iustitiam. Quod si obiicitur Paulum nimis aperte prodere iudaizantes quos impugnat non mitiores sed rigidos esse, qui mosaismum ad salutem et iustitiam prorsus necessarium docerent (1, 8; 5, 2–4); respondet Loisy Paulum, conscium vel inconscium, illorum sectariorum doctrinam exaggerasse, cum necessitatem mosaismi ab illis praedicatam de necessitate ad salutem et iustitiam explicat (1). Sententiae ergo hactenus expositae ceu rem indubiam assumunt Galatiam apud Lucam, sicut constanter apud reliquos scriptores antiquos, nonnisi pro *regione* huius nominis; i. e. pro Galatia stricte sumpta usurpari: proin non esse verisimile Paulum Galatiam alio sensu sumere. Imo, cum lectoribus galatarum nomen ethnographico sensu, sicut potissimum ex 3, 1 apparet, assignet (non enim est verisimile Apostolum usurum fuisse epitheto " insensati „ si appellatio totius romanae provinciae galaticae incolis posset applicari) vix dubium esse posse existimant quin Apostolus quoque de Galatia et galatis proprie dictis expressiones adhibeat.

Ex adverso praecedentium criticorum in utraque classe, qui Galatiam et galatas regionem et incolas stricte tales intelligunt, provinciamque romanam penitus excludunt, sunt alii, et non pauci nec minus docti, qui pro certo habent in nostra Epistola et sub Pauli calamo appellationes Galatiae et galatarum non ethnographice sed omnino politice esse sumendas. Sic fere Zahn (2). Ad argumentum epistolae quod attinet, Zahn agnoscit errorem iudaizantium ridigiorum; non tamen curat difficultatem de concilianda tali forma cum decreto apostolico edito et promulgato iam apud galatas, cum Epistolam Corinthi scriptam statuat.

Zahnium praeierat diligentissimus P. Cornely; qui tamen difficultatem de strato controversiae solvit dicens controversiam non iam eo in strato versari quo ante Concilium apostolicum. Agebatur, ait, ut ex conflictu antiocheno post conventum hierosolymitanum apparet (Gal. 2, 11-21), non iam de ethnico-christianorum exclusione ab Evangelii donis, sed de quadam conditionis disparitate prae iudaeo-christianis. Ethnico-christianis antiochenis non denegabatur ius ad salutem et iustitiam: iudicabantur tantum minus digni ut iudaeo-christiani cum illis veluti cum aequalibus agerent. Quod si Paulus Gal. 5, 2. 4 controversiam

(1) " L'antithèse: salut par la loi ou salut par la foi existe seulement dans l'esprit de Paul „ (Gal. p. 27).

(2) *Der Galaterbrief*. p. 5.

videtur revocare ad mosaismi necessitatem absolutam pro salute et iustitia, id exinde explicatur quod vel neophyti galatae iudaizantes illos mosaismum tamquam ad salutem et iustitiam necessarium sibi imponere velle perperam intelligerent, vel illud « nihil » οὐδέν (Christus vobis nihil proderit οὐδὲν ὠφελήσει) pro « non admodum » dictum a Paulo esse statuamus. Accedit hoc non leve argumentum : collatio Epistolarum Pauli cum historia Actuum satis perspicue ostendit Lucam in conscribendis Actibus id prae oculis habuisse ut illas regiones et urbes maxime memoraret quas Apostolus suis Litteris honoraverat, Philippos, Thessalonicam, Corinthum, Ephesum. Hic parallelismus miro modo deficeret si Galatia et galatae de quibus in Epistola agitur, forent Galatia et galatae stricte dicti : magnopere confirmaretur si de provincia romana intelligantur. Dum enim Galatia proprie dicta vix in historia Actuum, idque cursim, nominatur, atque ita ut dubium admodum sit num Paulus ibi vel obiter praedicaverit (Act. 16, 6 ; 18, 23) ; e contra, Pisidiae et Lycaoniae evangelizatio tota duo capita implet (13 et 14).

2. Solutionis conditiones : quaenam legitima videatur.

Cum dubitari nequeat quin status controversiae de mosaismo in Epistola repraesentatus, idem ille sit qui Act. 15, 1. 5 et Gal. 2, 4 describitur, cumque concipi nullo modo possit iudaizantes rigidos talem sibi potuisse successum qualis ex epistolae contextu apparet, promittere, imo et vix non obtinere in communitate a Paulo fundata, si decretum apostolicum promulgatum supponatur tempore conscriptionis, tota controversia huc revocatur ut tali modo " Galatia „ et " galatae „ explicentur, quo admisso, neque ex parte documentorum historicorum profanorum, neque ex testimoniis ipsis Epistolae ubi aetas diversa prodi prima specie videtur, seria difficultas opponi possit. Statum controversiae eumdem esse cum illo Actuum 15, 1. 5 ; Gal. 2, 4-6 perspicue apparet ex 5, 2-4 et 1, 8. Ex 5, 2-4 si galatae pseudapostolis assentiantur admissa circumcisione qualem praedicantes proponunt, Christus galatis " nihil „ prodest ; excidunt a " gratia „ : iuxta 1, 8 excidunt a " vero Evangelio „, " anathema „ incurrunt, Evangelium amplectuntur " falsum „. Haec omnia, evidenter, dici non poterant si circumcisio galatis imponebatur solum ad perfectiorem gradum in christianismo. Si ita foret, conditio quam obtinerent suscepta circumcisione similis esset, si conferatur cum ea quam sine circumcisione habent, conditioni qua fruuntur ii qui evangelica consilia sectantur, comparati cum his qui contenti sunt praeceptis. At certe de his qui praeter praecepta non

amplectuntur consilia, nequit dici Christum eis nihil prodesse, excidere a gratia etc. Non posse autem concipi iudaizantes hos post latum et promulgatum apostolorum decretum potuisse sibi illum successum promittere in ulla communitate paulina quem sibi promiserunt et vix non obtinuerunt apud galatas sectarii iudaizantes de quibus in Epistola, facile suadetur. Quamvis ageretur de communitate prorsus nova, quae ante primam Pauli praedicationem nihil de mosaismi controversia audierit; itemque etsi concedamus coetum ex solis fere ethnico-christianis coaluisse, fieri omnino non potuit ut Paulus, cum Evangelium iuxta propriam conceptionem galatis proponeret, i. e. immune plane a quovis elemento praeter fidem in Christum, quaestionem de mosaismo non attingeret, controversiam et eius per apostolos solutionem saltem summatim non exponeret, obiectiones iudaeorum breviter non proponeret solveretque; cum semper illi neophyti obnoxii essent iudaeorum ac iudaizantium qui procul non aberant, insidiis. Ita videmus Paulum romanos ipsos, quamvis a theatro controversiarum multo remotiores loco et tempore essent, contra iudaizantes accurate praemunivisse. Imo Gal. 1, 8 aperte apparet Paulum quaestionem de mosaismo saltem in altera sua visitatione nominatim pertractasse. Nec sufficit respondere iudaizantes " non primo ictu pulsos resiliisse, insultus iterare potuisse ; idem passim in omnibus haeresibus cerni „ (1). Nam non tam agitur de sectae et sectariorum eorumdem persistentia, quam de tali persistentia quae " eumdem errorem sub eadem forma post eius reprobationem per apostolos vellet persuadere „, idque invocata pro eo apostolorum auctoritate, in ecclesiis recens a Paulo fundatis quae eius Evangelium gaudentes susceperant ; demum de sectariis qui talem successum praedicationis suae obtinent ut parum absit quin massam fidelium in errorem abducant. Haec quae, dum controversia agitabatur, atque ad apostolorum tribunal deducebatur et adhuc quo sensu solvenda vel soluta esset ignorabatur, commode explicantur ; aptam explicationem non habent, si Galatia et galatae Paulum non viderunt nec audierunt nisi in secundo ac tertio itinere.

His igitur positis, solutio aenigmatis posset esse haec : Galatia et galatae sunt aut meridionalis pars totius romanae provinciae huius nominis, i. e. Phrygia, Pisidia et Lycaonia quae, utpote membrum provinciae " Galatiae „ huius nomine designa-

(1) Lagrange, *Epître aux Gal.* p XLIII.

tur ; aut forsan melius, angulus septemtrionalis Pisidiae, qui vel pars erat Galatiae proprie dictae, vel propter immediatam proximitatem et affinitatem, proprius quam reliquae romanae provinciae partes, Galatia, et eius incolae galatae appellabantur. Haec fuit prima regio a Paulo evangelizata in Asia minore durante primo itinere apostolico (1). Epistola scribebatur utique post conventum hierosolymitanum ex parallelismo Act. 15, 1–20 et Gal. 2, 1–10 ; unde Epistolae compositio ante conventum (Belser Weber) certe vera " impossibilitas „ est (Steinmann pp. 119–131) ; sed ante promulgationem decreti apostolici apud lectores (Act. 16, 4) et dum Paulus, post Concilium, requiem Antiochiae sumebat, seque ad secundum iter accingebat (Act. 15, 33).

Hoc tempore scriptam fuisse epistolam totus eius contextus suadet. 1) inscriptio, ubi Paulus non unum alterumve socium qui se comitantur nominat ut in Epistolis Corintho aut Epheso vel ex Macedonia in 2° et 3° itinere (1 et 2 Thess. 1, 1 ; 1, 2 Cor. 1, 1) scriptis, sed " omnes „ qui secum sunt eo tempore : πάντες σὺν ἐμοί (Gal. 1, 2) (2), quia nimirum habet prope se Barnabam, Marcum, Silam et alios plures (Act. 15, 30–35. 37). 2) 1, 11–2, 21 perspicue ostendit Litteras brevi post conventum scribi. Apostolus evidenter complecti vult hoc fragmento totam controversiam ab ovo ut dici solet, totumque eius processum, item conatus omnes tum adversariorum tum proprios usque ad tempus quo se ad scribendum accinxerat ; secus non apparet ad quid rem inchoet a sua conversione nullumque alicuius momenti episodium omittat. Iamvero, in expositione sua Paulus non progreditur ultra conflictum antiochenum qui brevi post Concilium contigit : de subsequenti tempore usque ad commorationem ephesinam in tertio itinere, imo et usque ad corinthiam in secundo, altum silentium,

(1) Suo loco exposuismus quem ordinem tenuerit Paulus cum Barnaba in evangelizanda Galatiae provincia in primo itinere. Initium sumpserunt non a finibus orientalibus Lycaoniae Ciliciae conterminis, sed a Pisidiae montanis.

(2) Πάντες hi non sunt fideles illius coetus ubi Paulus scribit : in inscriptionibus Epistolarum numquam nominat fideles communes, quia qui nominantur in inscriptione censentur quasi scribere litteras una cum Paulo. Nec obstat quod eos appellet ἀδελφούς : id non probat sermonem esse de communibus fidelibus : etiam Silam, Timotheum, Sosthenem quorum nomina meminit in inscriptionibus 1ª et 2ª Cor. et Col. appellat in ipsa inscriptione ἀδελφούς. Sunt proin sine ullo dubio, socii Pauli i. e. praecones evangelici sicut ipsemet. Revera Antiochiae erant eo tempore cum Paulo " multi alii docentes et evangelizantes „ μετὰ ἑτέρων πολλῶν διδασκόντων καὶ εὐαγγελιζομένων Act. 15, 35.

cum tamen tot praeclara pro se in causa quae ventilatur, in medium afferre posset : nempe quod nulla iam pressus anxietate sicut antea (Gal. 2, 2), sed plenissimo ac omnibus notorio Petri et reliquorum apostolorum testimonio et consensu ministerium obierit ; quod Deus non minus, imo plus, suos labores benedixerit ; quod sine ullo obstaculo novas in Europa communitates fundaverit immunes penitus a quavis mosaismi observantia. Haec Paulus si Ephesi in tertio, imo si Corinthi in secundo itinere Epistolam scribebat, omittere nullo modo poterat utpote maxime ad suam causam conferentia. 3) Contentio qua totum se in controversiam immergit vel inmersum se prodit dum scribit, nullo prodito indicio quod agatur de controversiae iamdiu resolutae ac sopitae renovatione (1) 4) Ipsa syntactica sententiarum perturbatio (2, 3–6) quae animum haud parum conmotum denuntiat ; id quod mera eventus recordatio post plures annos explicare nequit. 5) Nullum in tota epistola nec directe nec indirecte, i. e. vel ob causae necessitatem vel alia ratione indicium proditur propagationis Evangelii per Europam (2), aut de ingentibus gentilium turmis Ecclesiam, ingressus causa, invadentibus ut in recentioribus epistolis (3) : nulla itinerum, laborum, aerumnarum pro fide exantlatarum enumeratio. Certe haec omnia, attento Pauli ingenio, indicia sunt aetatis admodum tempestivae scriptionis.

Quae pro maturiori et iam ante Conventum apostolicum redactione afferuntur congestis argumentis ex iudaeo-christianorum in genere contra Paulum animositate quasi nativa et illico iam in Apostoli initiis erumpente afferuntur (4), facile dissipantur, dummodo mediocri attentione legatur historia controversiae in eius fontibus, Luca in Actibus et ipso

(1) Dicere Epistolam scriptam fuisse tempore quo Paulus " similem controversiam „ (cum illa de qua Act. 15 et Gal. 2, 1–10) agitabat, unde eventus antiocheno-hierosolymitani sponte in examen revocabantur, non sufficit ad explicandam violentam animi commotionem sub qua Paulus scribit : mera *recordatio* non provocat tam vehementes motus.

(2) Collecta de qua sermo fit Gal. 2, 1–10 quae non solum postulata a Petro, sed „ peracta „ a Paulo dicitur (Gal. 2, 10) nequit esse illa de qua 1ª Cor. 16, 1 ; 2 Cor. 8, 1 ; 9, 1, nam haec non finita est nisi cum tertio itinere, quo tempore secundum omnes iamdudum epistola scripta erat.

(3) Gal. 3, 28 ubi de diversitate ingredientium in Ecclesiam et signate de " graecis „ (Ἕλλην) sermo est, optime explicatur ex momento quo in Ecclesiam ingressi sunt gentiles etiam ex provinciis Asiae qui certe Ἕλληνες erant per contrapositionem ad iudaeos.

(4) Belser, *Einleit.* p. 411.

Paulo. Uterque expressis terminis asserit controversiam nonnisi annis aut 17 aut 14 post conversionem et inchoationem paulini ministerii exortam esse, nec nisi « Antiochiae » et « a paucis » quibusdam ex pharisaeorum secta, i. e. ex iudaizantibus (1). Ante hoc tempus nihil ab ullo etiam inter iudaeo-christianos contra Pauli vel doctrinam vel personam tentatum legimus. Imo Paulus expressis terminis dicit fideles Palaestinae, qui utique iudaeo-christiani erant, quamvis apprime cognoscerent quodnam esset Apostoli « Evangelium » in articulo de mosaismi valore, de eius praedicatione « gavisos esse Deumque in se laudasse » (Gal. 1, 21-24). Nec rursus audimus vel legimus quidquam alicuius momenti a iudaeo-christianis Syriae, Pisidiae aut Lycaoniae ; i. e. a iudaeis ibi conversis, disputando tentatum contra Apostolum : si quid contra Paulum intentatur, id a « iudaeis », non a fidelibus est.

Nec multo difficilius est iis argumentis respondere quae, e contrario, compositionem retardant. In primis scena historica de controversiae super mosaismo ex Syria in dissitas regiones propagatione, de contentione qua Pauli doctrina impugnabatur, de galatarum dispositione qua fere manus victas iudaizantibus dant, quae omnia haud breve temporis spatium postulant, possunt sine magna difficultate explicari. Iam cum de chronologia Pauli egimus, vidimus a fine primi itineris usque ad conventum fluxisse forsan ultra duos annos. Hoc tempore et dum in ipsa urbe Hierosolyma nondum res soluta erat, bene potuit controversia per Galatiam propagari, haud paucos ad iudaizantium partes inter galatas pertrahere, graves contra Apostolum impugnationes et calumnias propalare. Summa igitur descriptionis et rerum conditio sub his respectibus qualis in Epistola apparet, nihil offerre videtur quod sufficienter explicari non possit. Reliqua nunc argumenta examinemus. πρότερον 4, 13 vel sumendum sensu positivo non comparativo (2) ; vel, quod in idem fere recidit, dicitur per ordinem ad tempus quo Paulus scribit, sicque non necessario infert duplicem praeviam Pauli commorationem in Galatia ; vel demum explicari poterit de primaevo Apostoli ad galatas adventu in Pisidiam, quem alter, in regressu nempe, intra idem primum iter

(1) Distinguendum inter iudaeo-christianos et " iudaizantes „. Iudaeo-christiani sunt ii qui iudaei stirpe sive ex Iudaea sive ex Diaspora, fidem christianam amplexi erant. Hi initio susceperunt sine difficultate articulum fundamentalem de Christo " unico iustitiae et salutis fonte „. Ex his postea exorti sunt qui controversiam provocarunt ; sed tales iudaizantes initio nulli penitus exstabant.

(2) Ut Hebr. 10, 32 τὰς πρότερον ἡμέρας dies quae (fuerunt) primum, initio.

secutus est. Nec potest dici hanc duplicem commorationem vix distingui posse utpote vicinissimam et moraliter unam: nescimus qualis fuerit itineris duratio; et cum Pisidiae regio, Galatiae contermina, prima fuerit quam Paulus in itu, ultima in reditu visitavit, si itineris duratio quatuor, trium aut duorum annorum fuit, certe utraque commoratio satis distat ut duplex in pleno rigore dici possit. 1, 8 non necessario supponit denuntiationem controversiae iam exortae et Galatiam minitantis: potest sine ulla violentia referri ad aliqualem quorumdam insinuationem iam tempore primae praedicationis expressam, id quod in iudaeis recens conversis penitus obvium erat; hinc nec locus Gal. 1, 8 infert duplicem Pauli commorationem. Ad morbum quod attinet in capite 4 verss. 13 et 14 significatum, ex quo concluderetur primam Pauli praedicationem apud galatas non esse illam de qua Act. 13, 14 cum hoc tempore Apostolus nulla aegritudine afficeretur; argumentum hoc parum urget. Aeque enim incertum est, imo et inverosimile, Paulum ullo morbo affectum fuisse cum "Galaticam regionem„ (Act. 16, 6) traiiceret. Deinde incertum est num sub nomine vel expressione ἀσθένεια τῆς σαρκός intelligendus sit morbus physicus; et sane Zahn concedit hic idem significari quod 2 Cor. 12, 7–9: quod si ita est, cum in hoc loco, iuxta omnem probabilitatem, collatis inter se illis locis ubi Paulus de ἀσθενείᾳ vel ἀσθενείαις τῆς σαρκός agit, non morbus sed potius quaedam deficientia sive infirmitas sensu potius morali ac religioso sub illa expressione intelligendum veniat, nostro quoque in loco aliquid huius generis significatur. Est admodum probabile Paulum initio sui apud galatas adventus aliquid simile atque apud corinthios (1 Cor. 2, 3) passum fuisse (1), id quod tamen, utpote omnino subiectivum, Lucas, cum de galatis, nullo modo, cum de corinthiis subobscure tantum insinuavit (Act. 18, 5. 9). Nihil igitur est in epistolae contextu quod vetet ne Galatiam latiore et romano sensu intelligamus (2). Posset etiam infirmitas carnis de aerumnis

(1) Cfr. dicta superius. Certe in ingressu ad Galatas non aderat eadem ratio quae Corinthi Achaiae metropoli: sed poterat adesse similis ex aliis causis.

(2) Quod ex 1 Cor. 16, 1 obiici potest et obiicit Steinmann (saltem virtualiter p. 77) de relatione ad collectam de qua Gal. 2, 10 unde sequeretur Epistolam scriptam fuisse post 1 Cor., negari debet: collecta quam Paulus promiserat Petro et peregerat cum scribebatur Epistola, non est, ut diximus iam superius, collecta de qua in tertio itinere quae nonnisi hoc finito allata ab ipso Apostolo fuit. Paulus fecit plures collectas pro hierosolymitanis ad normam illius primae de qua Act. 11, 30; 12, 25.

explicari quas Paulus passus est " Antiochiae Iconii et Lystris „ (Act. 13, 50 ; 14, 2-5 ; 2 Tim. 3, 11) quae despectum, humanitus loquendo, Paulum coram incolis ethnicis reddebant, quibus tamen non obstantibus, gentiles eum et susceperunt et retinuerunt.

Certe recurrunt identidem in serie epistolae nonnulla quae prima specie multo recentius tempus denuntiare videntur 1) quod galatae « observent dies, menses et *annos* » ex persuasione praedicantium, non paucos menses, sed multo diuturnius tempus inter discessum Pauli et epistolae conscriptionem postulant ; 2) stilus tam elegans ac fluidus ; 3) doctrinae corpus quod certe perfectissimum est, magna brevitate ac praecisione concinnatum atque omnibus numeris absolutum ; id quod vix concipitur eo tempore, imo maturius adhuc quam epistolae ad Thessalonicenses scriberentur. — At 1) Paulus non dicit aliud quam galatas adoptasse anni distributionem liturgicam iudaeorum quae dies a diebus distinguit (calendas, neomenias) ; festa per certos menses (Pascha in Nisan, Tabernacula in septimo mense) annum sabbaticum et iubilarem ; non vero dicit eos percurrisse iam plures annos. 2) Quo minus recedebat Paulus a floridis suae litterariae iuventutis annis, eo venustior erat eius stilus si curam in eo expoliendo adhibebat. 3) Nemo demonstravit hactenus Paulum semel accepto per divinam revelationem Evangelio, non iam ab initio illud perfecte comprehendisse. Et indubium omnino est pericopen 2, 14-21 pertinere ad illud tempus quo breviter post Concilium Antiochiae versabatur ; et nihilominus in illis brevissimis vv. 19. 20 continetur quidquid per plura capita Rom. evolvit.

Veniamus ad locos qui ex Luca Act. 16, 6 et 18, 23 obiiciuntur quique gravissima contra sententiam a nobis propugnatam difficultas existimantur. Perspicuum ante omnia est obiectionem supponere eamdem nomenclaturam a Paulo et Luca adhiberi. At hypothesis incerta est ac semel demonstrata et concessa, prout a pluribus conceditur, etiam contrariae sententiae, existentia provinciae romanae quae *Galatia* appellaretur, quaeque ultra Galatiae regionem, plures alias complecteretur, nihil vetat quominus Paulus, sicut de Achaia, Macedonia, Illyrico, romanam nomenclaturam adhibet, de Galatia quoque adhiberet, quamvis Lucas hac in re a Pauli usu discedat. Utique Schürer hanc divergentiam penitus inverosimilem putat, et categorice asserit « usum *prorsus constantem* (ganz constant) veterum scriptorum esse ut sub Galatiae appellatione numquam aliud nisi regionem huius nominis significent » (1). At certissime errat ; nam saltem Plinius Hist. nat. 5, 147 ;

(1) *Jahrbücher für protest. Theol.* 1891 p. 441. Ibid. p. 471 scribit : " ein amtlicher Sprachgebrauch wonach der Begriff Galatia auch die Landschaften Pisidien und Lycaonien umfasst hätte, hat nicht existiert „ ; sed assertionem retractavit, cum in sua " historia iudaici populi „ ita loquitur ut communem nomenclaturam etsi non sequatur, velut fundatam admittat (I, 423 ; III, 22 seqq.).

Ptolem. Geogr. 5, 4 (ubi Galatiam dicit a meridie conterminam esse Pamphyliae, et postea Antiochiam Pisidiae inter Galatiae urbes recenset) Galatiam provinciam romanam intelligunt, quae, ultra Galatiam proprie dictam, Pisidiam et Lycaoniam complectebatur. Posito autem hoc usu, obvium est etiam Tacitum (Annal. 13, 35 ; 15, 6) eadem acceptione vocem intelligere. Adde inscriptionem iconiensem (Corp. inscr. graec. n. 3991) ubi complexus Galatiae Phrygiae Pisidiae et Lycaoniae appellatur Γαλατικὴ ἐπαρχεία (1), i. e. Galatia.

Id sufficeret ad plenam difficultalis solutionem ex Luca ; non enim apparet quare Paulus quamlibet ob causam non posset a Luca in nomenclatura discedere. At probabiliter Lucas quoque non aliter quam Apostolus Galatiam intelligit. Locus videlicet Act. 16, 6 non : διῆλθον ... κωλυθέντες ..., sed : διελθόντες ... ἐκωλύθησαν legi potest, ita ut Galatia non post Asiam Paulo versus septemtrionem proficiscenti, sed ante eam, et Apostolo via recta ex Syria accedenti obversetur. Hanc lectionem et sensum suadet collatio Act. 18, 23 cum Vulgatae versione ad 16, 6 et recensione K ad eumdem (2). Iuxta Act. 18, 23 " galatica regio „ Paulo venienti recta via ex Syria in Asiam, est *ante* Phrygiam, cum expressis verbis dicat Lucas Apostolum hoc ordine utramque provinciam traiecisse : id autem verissimum est si Galatia intelligatur lato sensu pro romana provincia huius nominis Lycaoniam et Pisidiam complectente, secus si de Galatiae regione proprie dicta sit sermo. Profecto, Lucas praedicto loco iter Pauli Antiochia (Syriae) in Asiam ita describit : " et facto ibi (Antiochiae) aliquanto tempore, profectus est *perambulans ex ordine galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos* „, procul dubio complectens iter Pauli completum. Sed si " galatica regio „ est Galatia proprie dicta, ex itinere Pauli per Ciliciam, Lycaoniam, Pisidiam, Galatiam, solum memoratur extrema eius pars occidentalis i. e. angustus angulus Galatiae inter Pisidiam et Phrygiam penetrans, nulla facta indicatione regionum intermediarum quae tamen latissimae sunt et totalitatem fere itineris faciunt. Praeterea, quomodo in tali hypothesi confirmat " omnes „ discipulos :

(1) Schürer (ibid.) obiicit unitatem ἐπαρχείας peti ex unitate gubernatoris, non vero applicari complexui regionum nomen unius ex iis quae complexum conflant. At perspicuum est ex testimoniis Plinii, Ptolemaei et inscriptionis iconiensis demonstrari contrarium.

(2) Von Soden : *Griech. N. Test.* p. 260.

πάντας τοὺς μαθητάς? Si vero Galatica regio est romana provincia Galatiae, nulla pars omittitur cum in Syria contineatur Cilicia, et nullus etiam discipulorum coetus negligitur. Hinc sequitur etiam Act. 16, 6 " galaticam regionem „ esse Galatiam late dictam; id quod optime intelligitur in lectione recensionis K: διελθόντες ... ἐκωλύθησαν ... (1) quam plane confirmat Vulgata: " transeuntes (cum transissent) Phrygiam et Galaticam regionem, vetati sunt ... „: versus non continuat praecedentia, sed recapitulationem facit itineris hactenus emensi per Lycaoniam et Pisidiam (16, 1–5): Galatia nimirum est plaga quam relinquit, non quam attingit Paulus.

Restat difficultas quae ex usu scriptorum profanorum desumitur. Probe adhuc animadvertendum qualis sit praecipuus quaestionis praesentis cardo. Non de simplici possibilitate agitur applicationis nominis Galatiae per Paulum ad tractum Lycaoniae et Pisidiae: possibilitas haec negari nequit quam primum certo constat de exsistentia provinciae romanae huius nominis de qua ceteroquin constat certissime ex inscriptione iconiensi. At quamvis provincia talis exstaret, si extra inscriptionem Iconii numquam *Galatiae* nomine appellaretur in documentis et apud scriptores sive geographos sive historicos, sed memorato constanter toto partialium regionum complexu quibus provincia constabat, quas inter Galatia, possibilitas talis usus apud Paulum vix non pure abstracta dicenda videretur; nam in inscriptione provincia non Γαλατία sed Γαλατικὴ ἐπαρχεία appellatur; Paulus autem non erat creaturus nomen a nemine adhibitum. Hinc patroni Galatiae late dictae conantur totis viribus ostendere usum huius denominationis certum apud scriptores et documenta etiam ultra inscriptionem; dum eorum adversarii acriter talem usum negat. Audivimus superius Schürer categorice abnuentem; et e contrario Zahnium, quem sequitur Ramsay, eadem asseveratione affirmantem et afferentem disserta huius usus testimonia; hoc tamen discrimine, quod Schürer suam assertionem minime probat, et de facto

(1) Certe recensio K etsi legat διελθόντες non legit ἐκωλύθησαν, sed parum consequenter ut ex contextu et Vulgata edocemur: una lectio sponte alteram secum fert. Duo equidem sunt quae difficultatem creant: ordo regionum in 16, 6 qui inversus est, et tamen Paulus hic idem iter facit atque 18, 23; et taxativa appellatio Pisidiae et Lycaoniae in cap. 13 ut acute observat Moffatt (*Introd.* 92. 93); at 16, 6 debet explicari per 18, 23 cum hic expressis verbis dicatur regionum ordo. Quod vero cap. 13 appellet regiones minores nomine proprio non impedit quominus alias nomen officiale provinciae adhibeat. Cap. 13 describitur iter Apostolorum intra ipsam provinciam Galatiae: nihil ergo mirum quod distinguantur regiones.

postea eius generalitatem retractavit, dum de facto testimonia Plinii Ptolemaei et Taciti indubia sint.

Absolute loquendo, sola iam inscriptio iconiensis sufficeret ad usum adstruendum ; nam si revera extstabat ἡ ἐπαρχεία τῆς Γαλατίας, fieri non poterat ut cum nominanda esset provincia, qua talis, in documentis publicis, non illo nomine et quidem solo appellaretur ; sed accedunt testimonia Plinii, Ptolemaei et Taciti. Non requiruntur plura : evidens est ex his unam saltem ex appellationibus usualibus provinciae hanc fuisse, et sic Paulus potuit ob quamlibet rationem ea prae aliis uti. Usus reliquorum vel documentorum vel scriptorum contrarius, cui maxime insistunt ipse Schürer et alii post eum, solum probat appellationem « Galatiae » non fuisse ita communem ut non aliae adhiberentur. Difficultas in ipso Paulo ex 3, 1 ubi, cum de characteristico stirpis defectu agatur, non videtur usurpari ab Apostolo potuisse talis lectorum designatio quae plurimos comprehendisset quibus characteristica non quadrabat, unde ex consequentia sermonis sequeretur eadem restrictio in inscriptione, aliquam certe vim habet ; at non tantam ut argumenta multo fortiora in contrarium annullare possit, eo vel magis quod si aliam propriorem designationem adhibuisset, gravius lectores vulnerasset.

Urgetur demum in contrarium traditio ecclesiastica : ad quam quid Zahnius respondeat vidimus. Ramsay ulterius progreditur citatque pro Galatia late dicta testimonium Asterii amaseensis sub finem IV et initia V saeculi, qui τὴν Γαλατικὴν χώραν Actuum 18, 23 explicat per τὴν Λυκαονίαν καὶ τὰς τῆς Φρυγίας πόλεις (1). Certe collatio verborum Asterii cum parallelis Euthalii explanantis Pauli tertium iter apostolicum, hanc fuisse Asterii mentem confirmat. Cum sedes Asterii Amasea urbs Ponti esset, huius viri testimonium anno circiter 401 haud exigui ponderis est (2).

At si Paulus epistolam scribit in aestu primae controversiae et ad incolas Galatiae late dictae, quomodo contra iudaizantes non affert decretum apostolicum, cuius efficacia peremptoria fuisset utpote directe contra eorum thesin, et ab iis emanatum quorum auctoritatem tantopere reverebantur ? Responsio difficilis non est : facta distinctione inter " formulam „ vel " nomen ipsum decreti „ et " rem ipsam „ per apostolos decretam, vix dubium subesse potest quin Paulus Apostolorum decisionem in controversia de mosaismo, et quidem qua emanatam auctoritate apostolica, diserte

(1) Hom. 8. de Petro et Paulo (Migne PG. 40, 293).

(2) Cfr. Ramsay, " The *Galatia* of S. Paul „. in " Studia biblica et ecclesiastica „ IV, 15-57.

in medium afferat. Habeantur prae oculis quae superius ex mente ac descriptione Pauli explanata sunt, et his praelucentibus percurramus rursus breviter Apostoli descriptionem. Vv. 1. 2 ait se ascendisse ad apostolos ut cum eis suum Evangelium conferret ne frustraneum eius ministerium evaderet. Ascensum intelligit Paulus utique veluti ad " tribunal „ quod " pro auctoritate „ controversiam decideret; sane Paulus apostolos " columnas „ appellat, eo scilicet sensu quo ecclesiam (docentem) appellat 1 Tim. 3, 15 " columnam „ sive " firmamentum veritatis „, sustentaculum verae doctrinae. Et secus, si apostoli controversiam vera auctoritate non decidebant, quidquid illi dicerent, praedicatio Pauli eadem manebat et in se et in efficacia ad gentiles Ecclesiae vere adiungendos.

His positis quid apostoli statuunt? 1) v. 2 Paulus ait Titum etsi gentilem compulsum ad circumcisionem non fuisse non obstante pertinaci iudaizantium importunitate. Certe nisi apostoli serio suam auctoritatem interposuissent, Paulus non obtinuisset Titi exemptionem. Iam, in Tito eximebantur omnes gentiles. 2) addit v. 2 se contulisse suum Evangelium cum " columnis „ ut auctoritate praecellentibus, et vv. 6–9 subdit eos quoque collationem ex sua parte peregisse; demum 3) eos declarasse paulini Evangelii cum suo conformitatem. Nimirum auctoritate apostolorum discussa diligenter fuisse singula capita controversiae atque in suum favorem ex plenitudine potestatis per apostolos declarata. Ipsum documentum proferre necessarium non erat, cum brevi postea promulgaturus illud esset Apostolus (1).

(1) Pro coaeva Epistolae ad Gal. et Epistolae ad Rom. compositione, ac proin pro recentiori tempore urgentur plures ac vere mirae analogiae quae mentem Apostoli immersam ostendunt eodem penitus idearum circulo cum utraque scriberetur. Ac 1) thesis utriusque Epistolae eadem est (Rom. 3, 28: Gal. 2, 16). 2) Historia Abrahae et eius per singulas partes applicatio (Rom. 4, 1–25; Gal. 3, 6–18). 3) Usus triplicis testimonii cum simili argumentatione super illud fundata. *a*) Gen. 15, 6 (Rom. 4, 3. 9; Gal. 3, 6). *b*) Levit. 18, 5 (Rom. 10, 5; Gal. 3, 12). *c*) Hab. 2, 4 (Rom. 1, 17; Gal. 3, 11). *d*) Coincidentia plurium locutionum quae non sententia solum, sed vocabulis fere conveniunt (Prat, *Theol. de S. Paul* post Lightfoot, *Galatians*[3] 45–8. At tales affinitates non probant Epistolas simul aut brevi intervallo conscriptas fuisse. Certe Epistola ad Rom. et ad Gal. habent non quidem eamdem thesin sed plurima in argumento communia: tamen id mirum non est tametsi scripta distent inter se pluribus annis: sed cum controversia de mosaismi valore deque iustificatione per fidem et non per legem aut mosaismum absorpserit fere totam Apostoli vitam ministerialem;

3. Controversiarum de mosaismo resonantia: cur praecipuus earum sustentator inter apostolos sit Paulus.

Controversiae de Christo unico salutis ac iustitiae fonte, i. e. de Christo vero generis humanis Restauratore per crucem, non solum habebat adversarios domesticos in iudaizantibus quos Paulus tam in conventu hierosolymitano quam in sua praedicatione acriter confutaverat, sed etiam, et multo magis, in iudaeis incredulis quibus mosaismus ita erat res sacrosanta et intangibilis ut, etsi in Messia libenter agnoscerent attributa quaedam maiestatis, attributis Moysis sublimiora, sub aspectu tamen religioso vix non Messiam Moysi subordinarent et messianismum mosaismo. Pharisaeismo novissimarum aetatum Synagogae Messias aliud non erat quam mosaismi bellicus propugnator et propagator per orbem. " Israelitae „ aliter concipere non poterant religiosum Dei obsequium quam sub forma " cultus liturgici in templo, et observantiae legis „ ; ac de facto haec fuit forma longe communior " messianismi „, sive " aevi messianici „ apud rabbinos hebraeos, praesertim ex pharisaeorum schola. " In Sanctuario aetatis messianicae cultus Deo impendetur ea forma quae statuitur in lege scripta et orali traditione. Discrimen inter vetus et novum Templi servitium in hoc solum stare potest, quod Ierusalem locus futurus est quo confluant omnes gentes, ita ut Sanctuarium non Israëli tantum, sed omnibus terrae populis destinandum sit „ (1). Et quamvis sub quodam respectu graviorem perniciem fidei christianae parare possent iudaizantes, quia specie pietatis ac fidei in

---

cum uterque articulus essentiam constituat *Evangelii* paulini, cum Paulus demum per plurimos annos ubique iudaeos inveniret qui acerrime impugnabant illos articulos atque vel per se vel per iudaizantes indefesso labore errores contrarios spargebant in communitatibus a Paulo fundatis quas Apostolus postea suis litteris excolebat; profecto haud difficile explicatur 1) quod argumentum, etsi sub diversis respectibus, idem tamen saepe in Epistolis recurreret, 2) etiam quod idem argumentum eademque Evangelii capita pertractans iisdem Veteris Testamenti testimoniis aut factis Paulus confirmaret, cum in omni fundamentali capite doctrinae id accidat ut paucis quibusdam classicis testimoniis nitatur. 3) Ex eodem principio explicatur recurrentia similium formularum: quia sicut capita doctrinae fundamentalia classicis quibusdam testimoniis nituntur, sic classicas etiam formulas quasi mnemonicas provocant, quibus praesertim catechistae, qualis erat Paulus, et quidem egregius, doctrinas neophytis inculcant.

(1) *Mischna*, Ioma 5b ap. Weber *Jüdische Theol.* p. 359. Revera hodierni " sionistae „ eamdem conceptionem fovent.

Christum itemque reverentiae in apostolos eius, facilius poterant neophytos decipere, fundamentalior tamen et radicalior erat error iudaeorum, quippe qui non solum dignitatem veri atque unici Salvatoris Christo eripiebant, ut iudaizantes, sed ulterius qualemcumque ei fidem detrectabant. Hinc Paulus in sua praedicatione vehementer imo vehementius et crebrius iudaeorum quam iudaizantium errorem convellit. At orali praedicatione non contentus, sicut contra iudaizantes in Epistola ad Galatas, sic contra iudaeos reliquit nobis insigne monumentum in Epistola ad Romanos. Paulum in hac Epistola iudaeos maxime prae oculis habere perspicuum fit iam ex thesi quam propugnandam assumit: " Evangelium efficacissima Dei virtus est quandoquidem prae se fert atque mundo pandit Dei iustitiam salutiferam „, quam nonnisi ex fide comparari asserit. Paulus absque dubio iudaeos prae oculis habet cuius thesis fundamentalis ac celeberrima illa erat eo tempore, de iustitia ex operibus vel ex lege. Et sane Paulus cum demonstrationem evolvit, " fidei „ opera contraponit, negataque horum efficacia ad ingenerandam iustitiam, ad Scripturae testimonia proferenda procedit quae operum inefficaciam fideique e contra virtutem proclamant. Plura deinde sunt quae per totam tractationem usque ad 8, 39 iudaeos constanter respici confirmant. 2, 1-4, 25 aliud proprie non exhibent quam perpetuum dialogismum nonnumquam quidem non adeo expressum, qui tamen identidem vividissime se prodit in quo ille quocum Paulus colloquitur non alius quam iudaeus est. (Cfr. 2, 1. 14. 17-24; 3, 1. 9. 19. 20; 4, 1 etc.). At etsi non tam perspicue, idem se prodit 6, 1. 15; 7, 7. Adversarius hic certe non sunt lectores qui utpote pientissimi nec talia possunt proferre qualia sunt ea quae 6, 1. 15; 7, 7. 13 nec censeri prolaturi. Sunt profecto qui formas has vel artificia pure rhetorica exsistimant et formulas transitionis ab ipso scriptore excogitatas, aut modos " diatribae „, quam vocant, proprios, generis litterarii inter graecos eo tempore usitati quem Paulus in usu reperit quemque prout tempora ferebant, adoptavit in suis Epistolis. At multo probabilius omnes hae difficultates et tricae ad singula alicuius momenti capita in themate quod evolvit, totidem offendicula repraesentant quae Paulus expertus erat aut auscultaverat a doctoribus iudaeis spatio plurium annorum quibus controversiam cum eis hac de re per synagogas aut familiares sermones foverat. De facto pleraeque ex his obiectionibus

technicae sunt atque ex intimo iudaicae doctrinae ac conceptionum iudaicarum derivatae.

Manifestiora adhuc sunt exempla in sectione 9-11 ubi Apostolus salebrosissimam de Israëlis electione difficultatem proponit ac solvit, qua iudaei totam de salute per Evangelium fabricam a Paulo structam, evertere se posse confidebant. Quare Apostolus tales difficultates etsi sponte non erant suborituraе apud lectores, pertractet, ratio, potius quam in « diatriba » (1), aut in satisfactione propriae ac personalis propensionis ad subtilia, neglecto lectorum profectu, quaerenda est tum in thematis momento, tum maxime in adiunctis illius aetatis ob iudaeorum diffusionem et odium in Evangelium. Agebatur nimirum de fundamentis atque intimis christianae fidei rationibus in controversia cum adversariis qui se « magistros religionis » in orbe iactabant, penes quos solos thesauri reperirentur divinorum consiliorum atque omnigenae honestatis normae (Rom. 2, 17-20). Cum igitur aliunde iudaei colonias haberent florentissimas per totum imperium et orbem graeco-romanum diffusas, interat maxime ut fideles, praesertim in summo imperii capite, funditus callerent non solum Evangelii thesauros, sed etiam artes quibus ab infensissimis eius adversariis impetebatur. Neque enim dubium subesse potest quin iudaei eadem ipsa impugnationis capita quibus Paulum et christianismum in provinciis Orientis soliti erant oppugnare, per totum orbem propagare festinarent. Huic periculo prospecturus, aequum iudicavit Paulus in hac Epistola breve compendium totius controversiae tradere, redactis in summam his quae per decursum oralis praedicationis inter gentiles de tali argumento disputaverat. Hinc haud inmerito Epistolam dixeris resonantiam simul et epilogum controversiarum de mosaismo.

At illud forsan mirum nonnemini videbitur quod controversia de mosaismo, cum capitalissima sit utpote quae totius Evangelii intima fundamenta pertingat, fere tantum apud Paulum et in eius scriptis pertractetur, quasi nimirum aut solus ipse aut praecipuus universalismi assertor ac propugnator exstiterit : sed ratio phaenomeni habetur in adiunctis historicis paulinae praedicationis. Porro Paulum nec unicum nec primum nec praecipuum auctoritate fuisse in inducendo et propugnando universalismo iam vidi-

(1) Sic ex novissimis criticis et interpretibus tam protestanticis quam catholicis, plures conantur explicare dialogismum Epistolae. Ita v. gr. Lietzmann : " die Polemick des Paulus bewegt sich durchaus in den von der stoïschen Diatribe gewisenen Bahnen „ (*Handb. zum N. Test.* 3, 9); Lagrange (*Epître aux Rom.* Intr. LIII-LX). Nobis multo probabilior videtur explicatio quam damus. Plenius de his cum de " Pauli scriptis „.

mus: at quoniam, attento ordine quo propagatum est Evangelium, universalismus immediatam applicationem nactus est inter ethnicos illarum regionum ubi statim post Iudaeam primo praedicabatur bonus nuntius, i. e. in Syria et finitimis Palaestinae regionibus, et has regiones evangelizavit Paulus: inde factum est, nec aliter fieri potuit (utique sub Providentiae ductu) ut Paulus et praecipuus explanator universalismi et validissimus eius propugnator exsisteret: ibi enim et eo tempore se prodidit iudaizantium inquieta conditio. Illi autem alii praecones Evangelii qui aut serius aut in regionibus a centro controversiae remotis praedicabant, non eamdem occasionem habebant aut difficultatibus quae suscitabantur respondendi, aut obscuriora puncta explanandi, sicque universalismi thema uberius evolvendi sicut in centro controversiae, quantumvis eadem hac de re principia profiterentur quae Paulus, ut ex Act. 11, 20 et ex communitatibus in Italia fundatis indubie constat.

4. Pauli prudentia et magnanimitas in sua doctrina de universalismo.

Duo praecipue iudaeos contra Paulum irritabant: quod christianismum latissime propagaret, et quod id cum mosaismi iactura, ut putabant, efficeret. Iudaeis, hac ultima in re, libenter sese adiungebant iudaizantes; quamvis enim iudaei religione non essent, sed christiani; tamen, ex inmodica in mosaismum affectione, praecipuum evangelicae immunitatis assertorem non aequis oculis aspiciebant, atque in retinendo inter suos ac propagando inter ethnicos mosaismo, causam communem cum iudaeis faciebant, imo vix non maiori, si fieri poterat, zelo, mosaismi iura vindicabant. Nec solum iudaei et iudaizantes, sed etiam ipsi iudaeo-christiani orthodoxi praesertim in Palaestina ab hac animadversione in Apostolum immunes non erant. Ex hac animorum dispositione, processu temporis, valida contra Paulum utriusque factionis coniuratio exorta est, quae eum accusabat quod " discessionem a Moyse „ inter iudaeos Diasporae praedicaret (1), i. e. " mosaismi desertionem „. Accusatio factum ipsum " desertionis „ (ἀποστασία) a mosaismo, praecisa mente qua hic exerceretur, respiciebat, ut

(1) Act. 21, 21: " audierunt de te quia discessionem doceas a Moyse eorum quae per gentes sunt, iudaeorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos neque secundum consuetudinem ingredi „.

ex Act. 21, 21 apparet. Ratio enim agendi Pauli quae tali accusatione denuntiabatur, non iudaeis tantum ac iudaizantibus, sed etiam iudaeo-christianis Iacobi subditis, qui neutrum erant, displicebat: si autem de mosaismi desertione sermo esset qua mosaismus declaretur salutis ac iustitiae fons sive adaequatus ut tenebant iudaei, sive partialis ut iudaizantes, nulli sincero christiano, quales sine dubio erant Iacobi subditi, iure displicere poterat. Nec solum Iacobi subditi, sed ipse Iacobus non aliter accusationem intelligebat; nam putabat accusationem dissipandam fore si Paulus mosaismum in Templo exerceret, ut exercuit; et aliunde certo certius est nec Iacobum consulturum fuisse nec Paulum exerciturum mosaismi actus nisi mente christiana.

At quale erat fundamentum talis accusationis? Quantopere talis vox veritate destitueretur ex plurimis epistolarum Apostoli locis liquido perspicitur. 1 Cor. 9, 19–22 Paulus ait hanc fuisse suam agendi normam in suo ministerio, ut " iudaeis tamquam iudaeus fieret, et iis qui sub lege erant, quasi ipse esset sub lege „ i. e. ut cum inter iudaeos stirpe, scilicet iudaeos ac iudaeo-christianos, versaretur, legem observaret. Sic procul dubio se gessit per varias Diasporae urbes non solum quamdiu in Synagogis iudaeorum praedicabat, sed etiam relicta Synagoga, ut, inter alia, apparet ex voto nazaraeatus quod Corinthi pronuntiavit et explevit (Act. 18, 18). Revera vix nisi hoc pretio pacem cum iudaeis habere potuisset eorumque apud magistratus romanos lites de religione declinare. Suam agendi rationem hac in re sic 1 Cor. 7, 18 aperit: " circumcisus quis vocatus est? non adducat praeputium „. Iis nimirum qui ex iudaismo ad fidem veniebant, non solum non iubebat a mosaismo discedere, sed, e contra, mosaismi retentionem suadebat. Nec solum sub finem tertii itineris, cum hanc epistolam scriberet, quasi ad placandos adversarios quorum furor contra se succreverat, sed constanter atque multo iam antea, etiam in ipso aestu controversiarum de mosaismo, hanc fuisse suam tesseram constat ex circumcisione Timothei sub initiis secundi itineris facta, statim post Conventum apostolicum (Act. 16, 3). Atque eodem iam tempore, imo et antea in epistola ad Gal. suam ea in re tolerantiam hac generali formula exprimit: " in Christo Iesu, i. e. in christianismo, neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura sive creatio „ (κτίσις Gal. 6, 15); id quod rursus 5, 6 fere iisdem verbis scripserat. Paulo igitur, dummodo retineretur axioma de " nova creatura „ i. e. dummodo

firmiter crederetur " iustificationem sive regenerationem (novam creaturam sive creationem) haberi per baptismum sub fide in Christum „, perinde erat quod quis praeputiatus sive circumcisus esset. Et usque adeo indubium est Paulum haec axiomata non ficte, sed sincere professum esse, ut ex hac eius tolerantia aliqui ansam arriperent ut eum accusarent quod " circumcisionem praedicaret „ (Gal. 5, 11).

Verum est Apostolum ad eosdem galatas dicere, " si circumcidantur, Christum eis nihil profuturum, excessuros a gratia, amplexuros Evangelium quod verum Evangelium non est, quod est Evangelium perversum „ (Gal. 5, 2. 4; 1, 7. 9); sed haec non contradicunt praecedentibus, et solum probant praedicatores qui talia suadebant galatis, non retinere incolume axioma de " nova creatura „ per baptismum sub fide in Christum, sed quaerere " iustitiam ex lege „ (Gal. 5, 2); probant nimirum praedicantes illos a galatis postulasse exercitium mosaismi non ex quovis titulo, sed tamquam necessarium ad salutem et iustitiam, id quod axioma fundamentale fidei christianae evertit.

Ex dictis de practicis Pauli axiomatis super mosaismo sequitur universalismum paulinum non excludere, imo amice conciliari cum particularismo apostolorum; sicut particularismum apostolorum ab universalismo Pauli non abhorrere: utrosque scilicet eadem axiomata theoretice secutos fuisse, sicut eamdem axiomatum applicationem in praxi. Universalismus Pauli eiusque in praxin deductio in hoc solo differt ab universalismo apostolorum et eius in praxi limitatione: quod, cum Paulus iam ab anno 37 fere constanter inter ethnicos praedicasset quibus mosaismus imponi non poterat, universalismum multo largius, particularismum multo parcius et verbis et factis in usum et praxin deduxit quam apostoli qui inversam agendi rationem tenuerunt, quia in adiunctis e regione oppositis versati sunt. Quoties autem vel Paulus inter iudaeos et iudaeo-christianos, vel apostoli inter ethnicos laborarunt, eamdem prorsus normam utrique tenuerunt, ut abunde constat ex praxi Petri inter fideles antiochenos (Gal. 2, 11–13) et ex reciproca Pauli inter hierosolymitanos (Act. 21, 26). Sedulo praeterea notandum est, historiam v. gr. Petri dum Romae et in genere inter ethnicos versaretur nobis esse ignotam; unde sequitur perperam apostolorum normam tamquam Pauli normis diversam proponi, cum nemo possit exempla hac de re ex apostolorum ministerio inter gentiles proferre.

5. Singularis Professoris Harnack sententia de Pauli universalismo.

Contra ea quae de normis Pauli per respectum ad exercitium mosaismi dicta sunt obiicit Harnack Apostolum non fuisse satis in hac re sibi cohaerentem. Certe in epistola ad Gal. et in aestu controversiae iudaizantis Paulus, ait Harnack, statuit ceu fundamentale Evangelii axioma quod christianus sive ex ethnicismo venerit, sive ex iudaismo, relate ad iustitiam " primam „ fiat filius Dei per spiritum quem in baptismo recipit; relate autem ad iustitiam " secundam „ quae est ex operibus sive observantia legis sit quoque inmunis a lege, quia Christus pro eo legem vel legis, iustitiam plenissime implevit. At processu temporis Apostolus hunc principiorum rigorem temperavit, ut ostendunt tam adversariorum eius obiecta, quam sententiarum quaedam complexiones in suis scriptis. Adversarii Pauli Apostolum accusarunt prout ex Gal. 5, 11 constat, quod " circumcisionem adhuc doceret „. Haec accusatio non fuit sine fundamento. Praeter casum circumcisionis Timothei, 1 Cor. 7, 17 seqq. hortatur huius ecclesiae fideles qui ex iudaismo ad fidem venerant, " ut in mosaismo exercendo permaneant „. Certe, ait Harnack, Paulus id a iudaeo-christianis non postulabat " titulo necessitatis salutis " (i. e. oeconomiae per Christum inductae) cum iuxta 7, 19 " circumcisio ac praeputium in christianismo nihil sint „, i. e. sint adiaphorae res; sed utique titulo " necessitatis ex providentiae ordine „ quae quosdam ordinavit ut in ethnicismo, alios ut in iudaismo nascerentur: talis autem ordo utpote a Deo statutus, negligi non potest. Similem exhortationem continent verba Gal. 5, 3 ubi Paulus ait " quemvis hominem semel circumcisum, etiamsi christianus sit, ad legem reliquam teneri „ (1).

Qui ea prae oculis habet quae de vera significatione mosaismi ante et post Christi adventum ex testimoniis tum Pauli tum ceterorum apostolorum superius exposuimus, nullam habebit difficultatem in dissolvenda Harnackii argumentatione quae tota nititur aequivocatione simplicis " permissionis „ cum " praecepto „. Et ipse locus 1 Cor. 7, 19 ad quem Harnack recte provocat ut ostendat Apostolum non de necessitate " salutis „ agere, aequo

(1) *Neue Untersuch.* pp. 28-31. Distinctio quam Harnack inducit similis fere est ei quam statuunt theologi de necessitate *medii* ac *praecepti*.

modo ostendit non agi de necessitate providentialis ordinationis. Si iuxta hunc versum " circumcisio et praeputium nihil sunt „ i. e. si aeque sunt adiaphora, ac neutrum sub ulla dispositione ex parte Dei alterutrum determinate ab ullo fideli postulantis cadit, perspicuum est non agi v. 18 de ullo praecepto, sed de simplici permissione vel concessione circumcisionis et mosaismi pro iudaeo, sicut praeputii pro ethnico, ad utriusque tranquillitatem.

Quoniam cum de salutis ac iustitiae fonte ageretur Paulus magnopere fidem extollebat ac circumcisionem prae fide quasi deprimebat, fieri potuit ut aliqui ethnico-christiani hanc doctrinam exaggerantes, iudaeo-christianis circumcisionem exprobrarent usque adeo ut pusillanimes ex eis, ob ruborem, praeputium in circumcisione amputatum, quibusdam artificiis rursus sibi protrahere curarent (1). Similiter in aliis coetibus forsan aliqui ethnico-christiani, ob gloriam circumcisionis in Patriarchis v. gr. aut Prophetis, circumcidi se pio quodam fervore, mente utique minime iudaica ambiebant. Paulus dicit utrisque : modo retineatis tesseram de « nova creatura » ac proin tu iudaee, mosaismum mente christiana exerceas, et tu, ethnice, circumcidas cor, potestis ambo tranquilli, unusquisque in sua conditione, circumcisus vel praeputiatus, manere. Paulus igitur nullam in singulorum conditione, providentiae dispositionem cernit quae praecepto aequivaleat et necessario retinenda sit. Ratio obiectiva cur Apostolus iuxta respectivam singulorum conditionem casum solvat, non est necessitas ulla conditionis in qua quis natus est, sed « indifferentia » eius ad salutem. Membrum alterum « sed observatio mandatorum Dei » non respicit neque mandata ulla ritualia neque mandatum (virtuale) contentum in ordine providentiae quo circumcisus inter iudaeos, praeputiatus vero inter ethnicos natus est. Talis dispositio non fert secum in mente Pauli ullum mandatum nec formale nec virtuale : sententia refertur ad mandata moralia quae omnem fidelem, sicut omnem hominem, ligant, et sine quorum observantia nemo salvari potest. Si « mandata Dei » significarent hic in mente Apostoli ordinem providentiae iubentis vel statuentis viam

(1) Artificialis praeputii protractio ad dissimulandam circumcisionem in iudaeis antiquissima erat et iam auctor 1 Mach. 1, 16 praxin hanc memorat in quibusdam iudaeis suae aetatis, et similiter plures id postea vel etiam antea faciebant in Diaspora hellenico-romana. Pudebat nimirum eos apparere in balneis tamquam iudaeos. Affectus quo hi ferebantur in tali actione certe rectus non erat. Sed hi de quibus Paulus in citato loco ad Cor. non hoc sed admodum diverso affectu ducebantur : eos quoque pudebat iudaicae originis, sed ob motivum longe diversum : exaggerabant nimirum motivum religiosum de inefficacia mosaismi.

praeputii aut circumcisionis ex praecepto tenendam, quomodo potuit in membro praecedenti circumcisionem dicere « rem indifferentem », nihil, οὐδέν ?

Vicissim Gal. 5, 3 « lex » non est lex moralis, sed ritualis, nempe de festis, de cibis etc. quam negligebant praedicatores galatarum, Apostolo adversarii, quamvis circumcisi essent. Sed rursus obligatio totius legis servandae posita circumcisione non intelligitur a Paulo absolute et obiective, sed in hypothesi sub qua volebant galatae sub pseudapostolorum persuasione, circumcisionem recipere, scilicet, veluti ex necessitate salutis. Si circumcisio ita recipitur, circumcisus evadit iudaeus, et sic obligatur lege iudaica. Hoc monitum dat galatis Paulus, ut rabbinus probe ac bene in iudaicis ritibus versatus, contra sophismata iudaizantium, qui abutentes galatarum imperitia, circumcisionem extorquere ab eis volebant, dum, vel silebant, aut falsa tradebant de nexu circumcisionis cum complexu legis ritualis iudaicae ; vel, quod videtur probabilius, etsi theoretice necessitatem observandae legis docebant, practice observantiam negligebant decepti titulo « filiorum Abrahae » quo putabant se salvandos etsi legem non observarent (Cfr. Mt. 3, 9 ; Rom. 2, 17. 23).

Sed neque axioma fundamentale Pauli in epistola ad Galatas enuntiatum, postea tamen, opinione berolinensis Professoris, temperatum (in rei autem veritate constanter, ut vidimus, retentum ab Apostolo), exponitur recte a Professore Harnack. Quamvis verum sit iustitiam primam haberi, " efficienter „, a Spiritu Sancto; ab infuso, " formaliter „ ; et etiam ultra hanc iustitiam, haberi et requiri in adultis secundam, ad opera pertinentem ; non est verum a Paulo doceri hanc iustitiam, quae in alia providentia, et in Veteri Foedere obtinenda foret mediante impletione legis (moralis), in christianis obtineri ex imputatione iustitiae Christi qui, pro omnibus, legis plenitudinem cumulatissime impleverit, et exinde christianos lege morali non ligari sub necessitate salutis, sed vel nullo modo, vel certe non ex tali necessitate. Nullibi docuit hoc Paulus. Paulus clarissime docuit duo : 1um iustitiam tam primam quam secundam esse aliquid reale et inhaerens iustificato, non mere imputatum. 2um omnes homines, minime exceptis fidelibus, teneri ad observantiam legis moralis ad salutem. Id Paulus saepissime docet. Rom. 2, 13-16 ; 13, 9. 10 ; 1 Cor. 7, 19 ; Gal. 5, 6 etc. Haec autem explicabuntur cum de iustificatione iuxta Paulum.

6. Controversiae de mosaismo exitus.

Bene dici potest epistola ad Rom. sicut sub doctrinali aspectu supremum fastigium paulinae conceptioni de mosaismo et fide, sic etiam personalibus Apostoli litibus cum mosaismi fautoribus et antesignanis finem imposuisse. Comprehensus enim brevi postea Hierosolymis, atque procul a theatro quod hactenus excoluerat avocatus per appellationem ad Caesarem, in posterum iam non iis quibus hactenus, sed aliis penitus et litibus et terris distentus est. Postrema Pauli fata in ordine historico superius exposuimus: nunc internas eventuum causas propius enucleabimus. Animi aversio quam ab exordio iam ministerii contra Paulum conceperant iudaei eius adversarii, quaeque ex controversia de mosaismo renovata erat, nedum processu temporis mitigaretur, exacerbata potius apud plerosque fuit. Id respectu iudaizantium quorum placita funditus Hierosolymis everterat, facile explicatur; sed etiam de iudaeis haud aegre intelligitur, cum Pauli potissimum opera et indefessis laboribus per eosdem gradus quibus res christiana amplificabatur, iudaeorum religiosus influxus decresceret. Hinc eorum insidiae contra Apostolum quae iam ab initio sui ministerii ortae (Act. 9, 23-29) quaeque processu temporis latius propagatae erant, (Act. 14-18), grassabantur maxime in Diaspora, inter eos scilicet qui quotidiani testes erant eventuum: non ita in Palaestina, saltem diuturno tempore; nam videmus Apostolum potuisse reverti et manere in pace non solum Antiochiae sed etiam Hierosolymis post primum (Act. 15, 2–30) et secundum iter apostolicum (Act. 18, 22). At ex Diaspora postmodum propagatae sunt ad iudaeos Palaestinae; ac sub finem tertii itineris Paulus non solum periclitabatur vita inter iudaeos Dispersionis si cum eis mare traiecisset (Act. 20, 3), sed Hierosolymis quoque calumniosas voces contra eum late grassatas fuisse (Act. 21, 21) ita ut gravia ei imminerent pericula, ex tota historia reditus ab eodem itinere constat (Act. 21, 22. 23; 21, 11). Harum machinationum contra se, atque ambiguae fidelium ipsorum benevolentiae nuntii iam in Achaia ad Apostolum pervenerant (Rom. 15, 30–32); moxque per singulas ecclesias in reditu Caesaream usque (Act. 20, 22; 21, 11), ad portas Ierusalem, confirmantur.

Propagatio calumniarum ex Diaspora in metropolin facilis erat, cum inter utriusque regionis iudaeos vivum semper vigeret commer-

cium, tum per legatos Synedrii in iudaicas colonias sive ad tributum didrachmatis sive ad alia negotia expedienda missos (1), tum per turmas eorum qui ex provinciis quotannis ad magnas festivitates celebrandas confluebant ; tum demum per eos qui sub vitae finem, ut extremum diem prope templum clauderent, adveniebant. Quo pacto demum iudaei Pauli personam comprehendere valuerint iam vidimus et quo demum exitu plurium annorum pugna finita sit. Iudaei quidem voluissent eum occidere, et protestantes critici plurimi putant eos de facto Paulum non quidem per se, sed utique gladio Caesaris occidisse. Nos scimus rem non ita expeditam fuisse, etsi utique ex iudaeorum machinationibus effectum sit ut Apostolus procul a Iudaea et regionibus Orientis pelleretur.

Sed controversia de mosaismo ad tristiora fata quam Paulum duxit suos adversarios. Relinquamus iudaeos quorum fortuna qualis post annos 62-68 fuerit omnes norunt. Veniamus ad iudaizantes et iudaeo-christianos nimis mosaismo addictos. Quo eos hoc imprudens in mosaismum studium raptarit ab ipso Paulo edocemur in epistola ad Hebr. ubi brevibus sed gravissimis lineamentis eorum historia describitur. Initio quidem, " in pristinis diebus „ (Hebr. 10, 32) fervide susceperant fidem atque magno animo gravissima perpessi erant (allusio fit ad historiam Actuum 2–12, ad persecutiones Synedrii contra apostolos et fidelem populum post martyrium Stephani ; ad furores Agrippae). In his persecutionibus amiserunt " magnos duces „ (Hebr. 13, 7) ; procul dubio Stephanum, Iacobum maiorem, alios. Postea vero elanguit eorum fides, et iam anno 58, etsi tot millia numero essent (Act. 21, 20), multum distant a pristino fervore, cum ita facile contra sanctissimum apostolum cuius merita et labores non ignorabant, se abripi sinant. Iacobus quidem sua prudentia potuit eos retinere in fide : at cum Iacobus quoque anno 62 martyr obiisset, in peius ruerunt ; et eorum conditio cum Paulus eis scribebat anno circ. 63 erat admodum periculosa, ut ex tota epistola ad Hebr. apparet, praesertim 4, 12 ; 6, 1–8 ; 10, 26–31 ; 12, 25 etc. Quomodo aut quibus passibus ad tam deploratam conditionem devenerint, explicatur ex historiae adiunctis. Cum non satis novissent verum spiritum christianum contra iudaicum retinere in mosaismi exercitio, sed nimium erga legem se affici sivissent (Act. 21, 19–26), accidit ut hoc tempore (58 circ. et deinceps) magnum contra romanos odium in Palaestina excitaretur, vel cresceret in immodi-

(1) Eus. *Hist. ecc.* 4, 5 (M. 20, 309).

cum illud quod plus minusve semper exstiterat. Hinc zelotarum secta mosaismum veluti patriotismi vexillum extulit. Cum vero zelotae essent iudaei fanatici, facile eos qui iudaismum non profiterentur, etsi mosaismum retinerent, veluti patriae proditores traduxerunt, quasi nimirum mosaismum non ex animo sed ficte profiterentur. Hinc multi rursus ad iudaismum deflexerunt. Nondum tamen hierosolymitana ecclesia extincta est: plures adhuc fideles manserunt etiam post excidium urbis, et sub Simeone post Iacobum, atque quatuordecim aliis successoribus iudaeo-christianam Hierosolymorum ecclesiam usque ad ultimum bellum continuarunt (1). Non multo post, Iustini tempore, nonnisi reliquiae remanebant, persistentes in retinendo mosaismo. Seriam tamen plurimi ex illis diffidentiam plerisque inspirabant, ita ut Iustinus dicat eos a multis ut christianos non haberi, etsi addat se huic severo iudicio non assentiri (2). Fundamentum huius diversitatis in iudicio de illis circumcisis erat, ut diximus, non quod Iustinus et qui ab eo dissentiebant diversam fidei regulam haberent, et ideo diversimode de iudaeis illis iudicarent; sed quod varia de illorum sinceritate sentirent cum se christianos esse ac mosaismum christiana mente exercere dictitarent. Iustinus putabat eos sincere loqui; alii, quoniam saepissime eos mendaces ac deceptores detexerant, se eis nec debere nec posse fidem adhibere arbitrabantur. Processu temporis crevit potius quam imminuta est diffidentiae ratio usque adeo ut Ecclesiae praesules unus post alium exercitium mosaismi penitus interdicerent. Hinc factum est ut et plurium apostasia iam ante hanc Ecclesiae decisionem et hac demum superveniente, iudaeo-christianorum coetus prorsus extincti sint.

(1) Eus. *Hist. eccl.* 4, 5 (M. 20, 309).
(2) *Dial.* 47 (M. 6, 576).

LIBER SECUNDUS
Paulus Religionis Doctor

I. Praeambula de Pauli theologia

1. Conceptus paulinae theologiae

A. Paulus vere theologus, non mysticus

Quamvis in Pauli monumentis recurrant notiones admodum variae ad multiplicem cognitionum humanarum ordinem pertinentes, negari nullo modo potest Paulum data opera disciplinam theologicam potissimum in eis pertractasse: Paulus ante omnia est theologus. Sunt profecto critici nostra aetate qui hanc de Paulo persuasionem habent: Paulum in historia religionis unum quidem ex praecipuis locis tenere, imo cum Iesu de primatu in eo ordine decertare: at, sicut neque Christum ipsum, Paulum numquam de serie quadam notionum abstractarum ac certo ordine connexarum tradenda cogitasse: de " organica conceptione theologica „ Pauli sermonem haberi non posse; erroneam hanc de Apostoli documentis notionem ex praeposteris medii aevi opinionibus dogmatica traditione imbutis totam manasse, et ad obscuranda potius quam illustranda paulina monumenta contulisse. Paulus, aiunt, natura est eminenter religiosa, at eo ipso non speculatrix, sed mystica. Paulus mysticus fuit popularis, quales interdum etiam inter illiteratos homines exoriuntur; dummodo pium animum sortiti sint, mente fervida ac fecunda polleant, atque adiuncta nanciscantur apta ut nativas dotes evolvant. Quod de " gravibus problematis „ obiicitur quae apud doctissimos quosque Pauli epistolae ob suam difficultatem ac profunditatem passim suscitant, nihil est; etiam papyri quae in effossionibus deteguntur saepe nobis difficillimae videntur, et tamen plerumque aliud non sunt quam familiares litterae a rusticis conscriptae quae nullam destinatariis difficultatem creabant. Eodem modo iudicandum de christianis Paulo coaevis; simplices illi fidelis quales ipse Apostolus describit (I Cor. 1, 26. 27), eius scripta nullo negotio capiebant.

At haec sententia exinde nata est quod tales critici nec exegesin nec theologiam nisi forsan summis labris degustarunt, contenti verbali scriptorum Apostoli analysi quae medullam intus latentem parum aut curat aut percipit. Tota retro christianismi historia a remotissima antiquitate usque ad nos contrarium semper tenuit, et quo altiora fuerunt ingenia, eo sublimius de Paulo ac Pauli theologica doctrina persenserunt, ita ut non solum inter scriptores canonicos sed inter omnes qui quocumque modo de divinis egerunt, Paulum facile principem existimarent (1).

At etiam praetermissa hac penitus paradoxali theoria, ac retenta communi quod in Paulo adsit certa quaedam organica christianae revelationis conceptio quae eius theologia appelletur, ante omnia conceptus ipse paulinae theologiae exponendus est. Nomine igitur paulinae theologiae complexum intelligimus notionum conceptionumque de Deo deque rebus ordinem ad Deum dicentibus qui apud Paulum proditur tamquam ei characteristicus in speculatione ac praxi, praesertim vero in speculatione : quod si practica etiam includimus, ea intelligimus quatenus in eis relucent speculativa principia quibus practica collustrantur. Paulus enim quasi nescit ullam quaestionem pertractare nisi eam revocando ad altiora principia. Sic ex gr. 1 Cor. 8–10 agit de idolothytis : at quamvis sectio sit maxime practica et versetur in tradendis regulis de idothytorum esu ; tamen ad quaestionem solvendam,

(1) Sic Hieronymus, sic Augustinus, sic Chrysostomus, et praestantissimi quique inter Patres Thesin de Paulo " mystico „, inter alios hodie propugnat Deissmann in suo " Paulus „ (110–129) atque ex eo excerpta sunt quae in textu dicimus. A sententia Deissmann haud multum discedit O. Pfleiderer tam in sua *Religionsphilosophie* quam in *Urchristentum*, praesertim vol. 2, 191 – 3. 09. Secundum hunc scriptorem theoriae paulinae non tam formalem organismum prae se ferunt immobilium doctrinae capitum quam " formulas quibus Paulus, morem gerens suae aetatis usibus, obiective expressit proprias experientias religioso-morales „. (p. 243). Similiter A. Meyer. Thesis de Paulo " mystico „ potius quam " theologo „ haud paucos nostra aetate patronos habet ob progressum nimirum modernismi qui paradoxis delectatur. Alii ut Sabatier, malunt media via incedere. Quamvis criticus gallus accedat non parum ad thesin de Paulo mystico potius quam theologo (il ne faut pas se représenter l'apôtre comme un théologien de profession, occupé à élaborer un système speculatif), admittit in eo nihilominus mentem " essentiellement dialectique „ quae etsi per gradus, pervenit ad " profundam et originalem theoriam de legis munere „, cum qua connectitur illa de " fidei efficacia iustificativa „ quae evolvitur in Epistola ad Rom. (*S. Paul Introd.* XXVII–XXIX). Nimirum Sabatier videtur distinguere inter " corpus „ etiam organicum et ordinatum doctrinae et " systema „ i. e. artificialem dispositionem in expositione. Nos talem distinctionem hic non magnopere curamus.

principia invocat altissima tum de essentia intima sacrificii, tum de sacrificio iudaico ac christiano.

Posita autem communi hac notione de Pauli theologia, restat adhuc definiendus ambitus et capita huius complexus religiosorum principiorum quae Apostoli doctrinam informant. Quo circa permulti sunt critici et exegetae praesertim protestantici qui complexum paulinae theologiae vix aliud intelligunt quam doctrinam sive caput de iustificatione quod in epistolis ad Galatas et Romanos evolvitur: cetera praetermittunt. Sed talis existimatio vix aliam originem habet quam historiam protestanticae reformationis: et qui solum haec apud Paulum quaereret, vel ampla eaque pretiosissima religiosa supellectile in Pauli thesauris privaretur, vel arbitrarie ad hoc caput revocare cogeretur plurima quae prorsus aliena sunt a themate de iustificatione (1). At si tale extremum nimiae restrictionis vitandum omnino est, non minus ab oppositio cavere compellimur excessivae amplitudinis, quasi in solo Paulo quaerenda esset universa theologia biblica. Quamvis enim Apostoli theologia certe amplissima sit, illud tamen est indubium: si paulinae theologiae nomine intelligimus non merum religiosorum conceptuum catalogum qui in Pauli scriptis occurrunt, sed complexum systematicum illorum revelationis capitum, quae veluti in organismum redacta, conceptionem religiosam produnt specifice paulinam, haud difficile perspiciemus eam ad haec duo capita revocari: " Christum humani generis Restauratorem; et ipsum eius reparationis opus „; quorum singula dein ample per iusta membra subordinata evolvuntur. Cum Pauli theologiam sive doctrinale corpus, Paulo characteristicum, appellamus " systematicum complexum „ vel etiam " doctrinalem organismum „, sicut non intendimus excludere ab Apostoli thesauro doctrinali illa revelationis capita quae in eius monumentis recurrunt (non tamen sub singulari illo interno atque organico nexu cum reliquorum complexu copulata, ut v. gr. sectionem de matrimonio Eph. 5,

(1) Angustum hunc de theologia paulina conceptum reperimus non solum apud protestantes historicos, antequam specialis disciplina excoleretur quae sub " Theologiae Pauli „ nomine passim venit, sed etiam apud criticos recentioris aetatis licet paulo utique explicatiori ambitu evolutum. Clausulam huius conceptionis et veluti transitus pontem ad criterium et conceptionem novissimam reperies apud Reuss: " Histoire de la théologie chrétienne au siècle apostolique: la théologie paulinienne „ (II, 3-264). Sed etiam recentissima aetate vix ab hoc tramite recedit Sabatier.

25–32); sic vicissim non est nostra mens significare ea ipsa capita quae ad Christum Restauratorem et opus reparatorium pertinent, ita methodice apud Paulum proponi ut, aut in una ex eius epistolis, aut in pluribus per meram unius ad alteram adiunctionem, imo nec collatis illis scriptorum Pauli sectionibus quae per singulas epistolas aliquod vel plura praedicti organismi membra tradunt, exsurgat completa et numeris omnibus absoluta paulina de Christo Restauratore conceptio, qualem procul dubio mente gerebat Apostolus, qualemque, sive totam simul, sive per partes, ei revelaverat Christus. Monumenta quae nobis de Apostoli praedicatione transmissa sunt, utpote occasionalia, et ex peculiaribus adiunctis ac certis necessitatibus enata, versantur semper, etiam ea quae plus ad abstractiorem dicendi rationem accedunt, in certis quibusdam capitibus illustrandis quae generalem illam ampliorem-que institutionem catecheticam veluti substratum subaudiunt: praedicationem Pauli per seriem instructionum completam quae singulos Symboli articulos edisserant, cum mutua eorum connexione, non possidemus.

Itaque praedictum capitum revelationis complexum « Pauli characteristicum » dicimus non quod vel Paulus sit eorum primus detector aut ordinator, vel quod reliqui apostoli illa capita ignorarent negligerentve: id solum illa appellatione volumus significare: Paulum haec capita peculiari methodo prae reliquis apostolis, peculiari diligentia et amplitudine pertractasse. Certe, amplissimum christianae revelationis thesaurum, non obstante Symboli identitate penes apostolos, ac sufficienti explanatione in ordinaria catechesi, ab iis non ita dispensatum fuisse in sua praedicatione ut singuli omnia capita pari amplitudine exponerent, sed potius alii aliis prae reliquo complexu speciali cura insisterent pro speciali missione singulis commissa, documenta Novi Testamenti luculenter ostendunt. Sic Matthaeus peculiari cura messianitatem Iesu atque Ecclesiae ab eo institutae indolem instar spiritualis regni, singulari diligentia enucleavit; id nimirum postulante peculiari eius apud iudaeos missione. Ioannes, pro singularibus Asiae ecclesiarum adiunctis et erroribus contra Christi divinitatem pullulantibus, huius divinam naturam et consubstantialitatem propugnavit (1). Paulo demandatum esse

(1) Alias non semel notavimus ea quae singuli Novi Testamenti scriptores calamo et chartis ediderunt, aliud non esse quam expressionem scriptam eorumdem thematum quae antea verbis in orali catechesi tradiderant. Sic v. gr. Ioannes procul dubio saepe iam et ample Christi divinitatem sicut postea in Evangelio Paulus themata tradiderat ad Rom. et Hebr. pertractata.

tamquam munus eius singulare ut « gentibus arcana divinae sapientiae reseraret atque dona secretissima panderet quibus Deus per Christum mediante eius restitutorio opere humanam naturam exaltaret », ipse non semel expressis verbis declarat (Cfr. Gal. 1, 16 ; 1 Cor. 2, 7-11 ; Eph. 3, 8 etc.).

Summa demandati muneris in testimoniis citatis est : « ut gentibus evangelizaret investigabiles divitias Christi, et illuminaret omnes (relate ad hoc arcanum) : quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo » : illud scilicet profundissimum sapientiae coelestis consilium quod Deus per Christum ad opus deduxit in generis humani reparatione. Idcirco hoc est argumentum quod constanter in Pauli scriptis recurrit, atque ita recurrit ut vere medullam exhibeat quae Apostoli doctrinam universim per epistolas sparsam pervadit, eamque ad organicam unitatem revocat.

Quod specificam paulinae theologiae conceptionem ad certa quaedam capita veluti ad normam quae Apostoli doctrinam regebat eique peculiaris erat iure revocemus, apparet non solum ex allegatis locis ad Gal. et Ephesios, verum ex aliis in quibus ipse Apostolus haud obscure indicat se talem normam prae oculis habere. In epistolis paulinis, cum de certis quibusdam doctrinae capitibus agitur, occurrit identidem provocatio ad " suum Evangelium „ veluti ad tesseram aut in qua recenseatur expresse tale caput, aut ex qua sponte quasi expectari debeat ut derivetur. Hoc Pauli Evangelium certe non est, ut nonnulli teste S. Hieronymo existimarunt, Evangelium Lucae, quod nec scriptum, multo minus passim evulgatum, erat illo tempore, nec epitheto " meum „ potest apte satisfacere. At aliunde Paulus evidenter illa remissione non ad Evangelium prout tale, et per distinctionem a gentilismo ac iudaismo, vel cuiusvis alterius sectae aut scholae extra christianismum tessera alludit ; sed ad formam quamdam suae praedicationis characteristicam inter varias quas pro evangelizandorum varietate dispositionis, evangelicae revelationis amplitudo offerre poterat.

Revera, in triplici epistolarum loco agitur sine dubio de quibusdam articulis speciali modo ad paulinam conceptionem de Christo Restauratore et eius opere pertinentibus. Primus locus est Rom. 2, 16 ubi provocatio ad proprium Pauli Evangelium fit occasione articuli de « Christo Iudice » in iudicio extremo. Paulo hunc articulum admodum capitalem fuisse apparet iam in oratione ad Areopagum ubi quamvis Evangelium nonnisi brevissime et ad duo capita redactum prout audien-

tium dispositio ferebat, revocat, unus est articulus de Christo Iudice. Hunc vero articulum ad paulinae conceptionis nucleum plane pertinere, praeter alia loca, constat ex sectione 1 Cor. 15, 12-28 ubi futuram carnis resurrectionem cum annexis, atque inter haec, iudicio extremo per Redemptorem peragendo, veluti secundum stadium exponit restaurationis per Christum. Alter locus Rom. 16, 25 provocat ad « Evangelium Pauli » ratione thematis quod late in Epistola evolverat ; thema autem in Epistola ad Rom. evolutum, intimam medullam constituit paulinae conceptionis de Evangelio. Tertius demum locus 2 Tim. 2, 8 in memoriam Timotheo revocat intimum atque infrustrabilem nexum inter Christi resurrectionem et futuram iustorum glorificationem in resurrectione carnis, quod caput ad secundum restauratorii operis stadium oppido pertinet.

B. Pressior theologiae paulinae conceptus delineatio.

Ex dictis difficile non est elementa colligere atque etiam ordine apte disponere quibus paulina conceptio constat. Tria fundamentalia capita : " Christus Restaurator, opus restaurationis, atque operis restauratorii effectus „ ex eius applicatione ad homines, ordine sese excipiunt tam reali quam etiam chronologico : prius enim exstat Christus quam opus a Christo peragendum ; ac vicissim Christus ac Christi opus antecedunt operis effectus. At Christus cum sit executor consiliorum divinorum, necessario haec ipsa divina consilia subaudit : hinc decreta de Christo in terras mittendo elementum essentiale sunt in paulina conceptione atque ita ut omnibus reliquis veluti radicale exordium, basis et inchoatio praecedant. Ad iustam autem de ipso Christo restaurationis auctore notionem, ut qualis et quanta haec sit, innotescat, pertinet procul dubio accurate utramque Redemptoris naturam definire. Primum igitur membrum paulinae conceptionis duo complectitur : voluntatem Dei salvificam, i. e. salutis consummandae per Christum, sive decretum de mittendo in terras Christo Restauratore, atque accuratam de eius augusta Persona descriptionem. In opere autem ipso reparatorio, quoniam per duplex stadium perficitur : inchoationis et consummationis ; inchoationis, per reparationem animi (iustificationem) ; consummationis, per redemptionem corporis (resurrectionem gloriosam), necesse est ut utrumque hoc stadium et distinguatur, et singillatim describatur. Ad primum stadium igitur pertinet : *iustificatio*, cuius elementa sunt *a*) praeparatorium : fides ; *b*) formale : iustitiae recipiendae

processus per remissionem peccatorum, infusionem spiritus cum liberatione a servitute peccati ac legis, atque positiva habilitatione ad novam sanctitatis vitam ; *c*) completivum : perseverantia, qua se iustificatus probet, atque exercitio virtutum ad consummationis stadium disponat. Sequitur alterum stadium, consummationis. Spiritus in iustificatione infusus, pignus est et semen resurrectionis gloriosae cum Christo : qui proin si accurate servetur, ius confert ad gloriosam consummationem. Ad hoc stadium pertinet : " resurrectio gloriosa corporis „ (redemptio a morte ac vitae mortalis aerumnis) cum annexis, quae omnia hoc ordine complebuntur : *a*) Resurrectionis primitiae, Christus ; *b*) resurrectio gloriosa iustorum tempore Parusiae *c*) finis i. e. processus redemptivi plena consummatio cum subiectione adversarum potestatum ac mortis ; quam sequetur *d*) depositio regni Christi ante thronum Dei, ut in aevo consummatorio Deus sit iam " omnia in omnibus „, quemadmodum in aevo inchoatorio fuerat Christus.

Talis est magnifica Pauli conceptio, prout ex eius monumentis eam licet eruere. Forsan non desit qui obiiciat : dictum est superius paulinam conceptionem, etsi perfecta unitate praeditam, nullibi tamen aut continua serie per singula eius membra propositam recurrere, aut etiam ullo modo ex collectis hac illae sparsis fragmentis posse restaurari. Si autem id verum est quo pacto exsistentia conceptionis et eius unitas in Pauli scriptis deprehendi et ex iis coordinari poterit ? Deprehendi nihilominus et coordinari potest ex indubia habitudine quam inter se produnt sectiones quantumvis disiectae et plus minusve fragmentariae, in quibus conceptio per partes evolvitur. In cap. 8 Epistolae ad Rom. v. gr. perspicue apparet in conceptione paulina duplex et successivum distingui stadium in quo restauratio per partes perficitur : stadium " inchoationis „ in hac vita per iustificationem, et stadium " consummationis „ in altera post resurrectionem per participationem in gloria corporis cum Christo. Sed haec insinuantur potius quam explanantur in hac sectione. At in cap 15 1ae ad Cor. Paulus amplissima explanatione declarat et nexum intimum qui inter resurrectionem Christi et futuram fidelium intercedit, et ordinem, modum ac formam futurae glorificationis cum suis annexis et consectariis.

Post explanatam in praecedentibus analysin difficile non erit aequum iudicium ferre de sententia quam novissime proponit Professor

Feine. Paulus secundum Feine, est quidem theologus, non mysticus ; nec mere historicus religiosorum conceptuum externo quodam nexu consarcinator, sed qui propria eos speculatione cogitat et evolvit. At non est, ait theologus « systematicus ». Reperire quidem est in Pauli scriptis conamina quaedam aut partiales, fragmentarias et incompletas religiosorum ac theologicorum problematum adumbrationes. Sic Rom. 1-3 sublimem conceptionem evolvit de universali generis humani lapsu : Rom. 9-11 et Gal. 3, 1-4, 7 pandit nonnulla de salutis processu pro iudaeis ac gentilibus ; Rom. 4 de fide ; Eph. 2 de coagmentatione iudaeorum et ethnicorum in unum ecclesiae christianae corpus ; sed generalis quaedam conceptio quae disiecta haec elementa in unum organismum copulet, obtineri non potest nisi post acutas investigationes, post mutuam variorum fragmentorum comparationem, contrapositionem, coaptationem ; et adhuc his omnibus peractis remanent permulta obscura et controversiis obnoxia (1).

Verba haec ambigua sunt. Si Feine vult dicere in monumentis Pauli nullibi reperiri completam paulinae conceptionis expositionem, imo neque obtineri systematicam paulinae conceptionis coordinationem etiam adhibita partium ad partes mechanica iuxtapositione quamvis singulorum membrorum accurata ratio habeatur, nihil asserit quod ab ullo possit negari : apud Paulum nullibi habetur aut completa eius conceptionis expositio, aut etiam talis omnium ac singulorum membrorum pertractatio quae per solam alterius ad alterum opportunam iuxtapositionem organismum perfectum exhibeat. Non habemus in documentis neque totalem et collectam, neque per partes et dispersam partium organicarum congeriem conceptionis paulinae ad modum quo in musaeis exhibetur homo clasticus vel coaptatis in complexu partibus, vel coaptandis etiam peritae manus industria. Sed sequitur exinde, et vult id asserere Feine, nec in mente Pauli exstitisse organismum completum ac bene ordinatum nec posse id analysi detegi? Verba Professoris id sonant : « doctus hic iudaeus Paulus, sicut ceteri suam gentem atque aetatem repraesentantes, minime excepto ipso Philone, non praeditus fuit mente systematica » (2). Nos igitur id non admittimus, tenemusque e contra Paulum ingenio ornatum fuisse eminenter systematico et gessisse in sua mente non solum organismum generalem revelationis christianae, sed intra hanc,

(1) *Theol. des N. Test.*[3] (1919) pp. 193-200.

(2) "Ein systematischer Geist war dieser judische Gelehrte ebensowenig wie andere Representanten seines Volkes und seiner Zeit „. A conceptu Professoris Feine vix differt Sanday iuxta quem etiam Paulus, utpote "semita „, incapax erat systematicae cuiuvis coordinationis. Sed quid a vero systematice differat "corpus elaboratarum ac bene ratione copulatarum doctrinarum „ ipse viderit. (Cfr. art. *Paul* in *Dictionary of Christ and the Gospels*. 2, 881).

speciali modo, partem illam quam ipse peculiari cura evolvit ut iam exposuimus. Et quamquam neque amplioris illius universae revelationis, neque restrictioris quam ipse speciali cura excoluit, creator sit, id quod ipse non diffitetur ; imo quamvis nec in suis scriptis proponat ullibi suum systema sive in sua completa unitate organica, sive per partes omnes ita proportione harmonica evolutas ut ex sola earum copulatione possit organismus exsurgere ; putamus nihilominus ex natura et forma etsi fragmentaria elementorum denuntiari perspicue organicam conceptionem in mente scriptoris, eiusque haudquaquam arduam posse obtineri restaurationem substantialem.

Quod vero in Pauli scriptis organismus in sua formali dispositione vel in complexu vel etiam per omnes partes non recurrat, mirum non est : scripta Pauli sunt « occasionalia » ut saepe iam dictum et explanatum est. Exempla autem quae Feine affert ut thesin suam confirmet, illam potius evertunt. Nam sectio Rom. 1, 17-3, 20 minime repraesentat fragmentum a quovis organismo divulsum, sed membrum organicum demonstrationis trifariam harmonice distributae, qua ostendit Paulus Dei iustitiam neque in paganismo non obstante sua scientia et institutionibus (1, 18-32) ; nec in iudaismo incredulo etsi legis possessore (2, 1-3,20) ; sed solum in Evangelio per fidem in Christum reperiri (3, 21-27). Sectiones demum Rom. 9-11 et Gal. 3, 7-4, 7 non tam salutis viam pro iudaeis et gentilibus proponunt directe et independenter a quovis ulteriori nexu, quam cum subordinatione ad uberius et altius argumentum praevie in utraque epistola pertractatum (Rom. 3, 21-26 ; Gal. 3, 1-6) de salute generis humani universim, et sic rursus tamquam membra organica amplioris conceptionis. Similiter Rom. 4 eo tendit ut contra iudaeos ostendat Abrahamum ipsum nonnisi ex fide, non ex circumcisione et operibus iustificatum esse iuxta thesim fundamentalem epistolae (1, 16. 17 ; 3, 21).

Sectio I. — Restauratio per Christum Restauratoris persona et munus

1. Restauratoris promissio et characteres.

1. Praefinitiones divinae de Christo restaurationem consummaturo.

Divinis consiliis de Restauratore in terras mittendo nihil in populo Israëlis notius ac familiarius erat. Nam iudaeis nihil notius ac familiarius Messiae ac messianicae restaurationis promissione, quae aliud non est quam illorum consiliorum solemnis et externa declaratio per vaticinia de Messia venturo quae universam Israëlis historiam implent. In novissimis reipublicae iudaicae temporibus, i. e. apostolorum et Christi aetate, Messias a iudaeis per antonomasiam appellabatur " ille qui venturus erat „ ὁ ἐρχόμενος (1): quae nimirum appellatio, unius vocis compendio, communem notam efferebat vaticiniorum quae longa serie de Christo et eius opere edita erant. Sic Baptistae discipuli per eum ad Christum missi ut in eius fide confirmentur, hoc modo eum interrogant: " esne tu ille qui venturus est? „ σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος usurpantes procul dubio appellationem communem, quamque omnes statim intellecturos sciunt. Ipse Praecursor eidem sermoni sese accommodat cum ad legatos a Synedrio qui eum num ipse esset Messias interrogaverant, quasi digito Christum pro suo munere commonstrans, respondit: ὀπίσω μου ἔρχεται: " e vestigio post me iamiam venit „. Usque adeo certa ac notissima populo erant Dei consilia de mittendo Messia. Nec mirum quod adeo familiare ac tritum sermone a priscis generationibus evaserit ut Messias tali appellatione ab omnibus designaretur, cum omnes per omne sabbathum in explanatione Legis et Prophetarum recurrentem sermonem audirent de certissimo Messiae adventu, cumque iam

(1) " Qui venit „ i. e. Ille cuius caracteristica missio est " adventus in terras „ ut genus humanum restauret. Appellatio recurrit iam Hab. 2, 3 et ab hoc tempore vox in populi usum transiit ut ex Malachia et Aggaeo constat qui de Messia tamquam cito venturo loquuntur. Hab. 2, 3 apud massorethas legitur per infinitivum בֹּא יָבֹא; at LXX recte legerunt בָּא ut iam absentia 1 suadet et citatus populi usus confirmat.

apud Prophetas antiquos ut Habacuc et Isaiam illa appellatione ex iterata adhuc in praecedentibus saeculis promissione designaretur. Publica haec et solemnis Dei consiliorum declaratio cum ipsa fere historia generis humani inchoatur in protoevangelio Gen. 3, 15; nam in comminatione serpentis, Deus mulieri promittit oriturum ex ipsius semine quemdam qui iacturas homini per daemonis fraudem illatas plenissime resarciret. Quae promissio dein per diversas aetates in serie historiae sub multiplici forma evolvitur in aevo Patriarcharum et subsequentibus: certum enim est singula quae deinde magno numero vaticinia praenuntiantur de magno quodam universum genus humanum Sospitaturo (1), de insigni Legislatore (2), Duce (3), Rege (4) qui universum sibi orbem subiget, in eamdem personam cadere quae in Protoevangelio promittitur. Identitas Sospitatoris per omnia haec vaticinia promissi, haud difficile demonstratur, quam primum accurate expenduntur characteres Herois et operis per eum perficiendi. Indolem vero hanc plane restauratricem in ordine spirituali et in bonis per hominis lapsum amissis, etsi alias quoque saepe, nullibi tamen forsan clarius et altius cernere est quam in protevangelio. Nam promissio ibi facta et Messiam directe describit in perpetua sua lucta cum serpente hominis deceptore, atque luctuosam illi stragem peccati cum suis consectariis provocante; et finalis pugnae exitus alius tandem non est quam completa serpentis, i. e. daemonis, clades, plenusque de eo per Messiam triumphus: " ipse conteret caput tuum „.

Hunc divinorum consiliorum processum quo Christi restauratio superstruenda erat et de facto superstructa est, constanter habet prae oculis Paulus dum suam de Christi opere conceptionem evolvit, non solum cum in genere vaticinia Veteris Testamenti in eorum complexu veluti praenuntium proponit historiae Christi, ita ut perfectum parallelismum detegat inter " Evangelium in historia „ et " Evangelium in promissione „, sive consilio Dei, singula quae Christus gesturus erat praedefinientis et praenuntiantis (Rom. 1, 1. 2) (5); sed etiam, et maxime, cum propius

(1) Gen. 12, 3; 18, 18; 22, 18; 26, 4; 28, 16; 49, 10.
(2) Dt. 18, 15.
(3) Mich. 5, 1.
(4) 2 Sam. 7, 14; Is. 2, 6; Ps. 72; 110 etc.
(5) Secundum Rom. 1, 2 " Evangelium „ Christi, i. e. ea quae in Christi persona gesta sunt, iampridem erant a Deo per Prophetas praenuntiata in Testamento Veteri.

ante oculos ponit arctum nexum qui inter opus a Christo consummandum et ipsum praenuntium intercedit veluti inter arcanum divinae sapientiae decretum et eius executionem. Cum Rom. 3, 24 26 mortem Christi expiatoriam describit, eam proponit tamquam implementum altissimi consilii iam dudum a Deo concepti, et cuius futuram executionem diuturna saeculorum serie, converso in eventum obtutu, quasi a longe prospectabat (1). Imo Christi personam in eius humanitate non aliter concipit quam veluti in hunc solummodo scopum a matris ventre configuratam ut consilia divina de se adamussim per totam vitam expleret, donec missionis seriem coronaret mortis supplicio voluntarie pro expiandis hominum culpis suscepto. Hanc vim tribuit Paulus (Hebr. 10, 5–7) verbis Psalmi 40, 7–9 quae in ore Christi ponit: omnia et singula quae a conceptione per totam vitae seriem peraget patieturque, divinas de se voluntates et consilia complebunt. Similiter 1 Cor. 2, 6–9 " profundam „ quae in crucis mysterio splendet, " sapientiam „, i. e. peccati remissionem, donorum effusionem, daemonis expugnationem et exspoliationem, plenissimam iustitiae divinae satisfactionem, eiusque prae humana i. e. a puro homine exhibenda praestantiam, exinde explicat Paulus quod opus salutis per crucem consummatum, aliud non sit quam externa manifestatio illius sapientiae, quae mysteriis occultissimis plena, Deo soli nota erat, mundi autem sapientibus prorsus impervia; quamque, etsi iam ab aeternitate Deus fidelibus communicandam destinaverat, nunc solummodo, postquam per tot saecula ignorata delituerat, praesenti generationi panditur (2). His gemina sunt quae Eph. 3, 5–9; Col. 1, 26. 27 scribit: quod in praeteritis generationibus ignotum hominibus manserat, nunc, quia pro his temporibus reservabatur, revelatum est apostolis ut ii vicissim Dei nomine et tamquam eius legati, mundo denuntiarent. Atque huius nobilissimi muneris arcana Dei consilia mundo patefaciendi, factus est ipse Paulus plenissime particeps, ut ea gentibus panderet.

(1) διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων, ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ: " propter negligentiam scelerum antea commissorum, cum Deus sustineret (conversa facie) ad manifestationem suae iustitiae „. Nimirum ante adventum Christi Deus per diuturna saecula, quasi negligebat scelera, ea non puniebat (eo rigore quo in diluvio, in eversione Pentapolis), quia habebat prae oculis summum illud rigoris exemplum pro peccatis sumendum in persona Christi dum in cruce pendebat.

(2) 1 Cor. 1, 18–25; 2, 6–9.

Hinc apparet quam alienus sit Paulus a vindicanda sibi ulla vel minima parte in elaborando systemate quod gentibus ac mundo proponit: quidquid docet, ex Spiritus sancti revelatione totum comparavit, quae antiquissima Dei consilia, per Christum consummata, sibi et suis consociis reliquis apostolis patefecit. Deus iampridem opus restaurationis per Christum praecogitavit; Christus illud per singula consummavit: ad se solum pertinet utrumque hominibus pandere.

2. Restitutoris Persona: Christi divinitas.

Qualem concipit Paulus qualemque nobis describit Restauratoris personam? Non dubium quin talem tamque eximiae dignitatis qualem et quantae opus ab eo perficiendum postulabat. Agebatur de restaurando humano genere atque in pristinum a quo deiectus fuerat excellentiae culmen restituendo, idque non quavis via, sed quae Deum eiusque maiestatem deceret, via plenissimae satisfactionis, quae proin praestanda esset a summo Satisfactore (1). Copulanda erant ima summis: ima demissio in opere satisfactoris cum summa Personae dignitate, quae infinitum operi valorem conferre valeret. Ac certe Paulus Restauratorem muneri parem obtutui nostro in suis descriptionibus exhibebit. Et quando quidem Cristus, nonnisi ut homo, generis humani restaurationem peracturus erat, eo ipso quod Apostolus Christum praesertim ut consiliorum Patris de restaurando homine executorem respicit, eum non tam directe ut Deum et in eius operatione divina, quam potius ut hominem, Verbo tamen hypostatice unitum, constanter exhibet. Hoc est characteristicum inter theologiam ioanneam et paulinam discrimen: dum enim Ioannes praesertim in prima sui Evangelii parte, in Christi divina operatione efferenda et enucleanda libenter moratur, Paulus hanc Christi exclusive divinam operationem non persequitur, cum Christum humani generis restitu-

(1) Hebr. 2, 10: " decebat eum propter quem omnia et per quem omnia, cum adducturus esset multos filios ad gloriam, consummare per passiones primaevum auctorem salutis eorum „ τελειῶσαι = consummare, ad gloriam, muneris Salvatoris propriam evehere per " passiones „ i. e. via dolorum, aerumnis: quia nimirum alia via non ita inmensae Dei maiestati satisfiebat. Paulus nimirum maiestatis divinae decori consentaneum omnino exsistimabat ut Deus, capto semel consilio de humano genere ad salutem restituendo, huius salutis auctorem Christum nonnisi via aerumnarum ad tanti honoris culmen eveheret: i. e. via condignae satisfactionis per passionem et mortem.

torem describit. Simile discrimen animadvertitur cum Christi resurrectionem describunt. Dum Paulus constanter eam ut " opus Dei „ in Christo homine peractum exhibet (Rom. 4, 24; 8, 11; 1 Cor. 15, 15; 2 Cor. 4, 14; Gal. 1, 1; Eph. 1, 20; Col. 2, 12; 3, 1 etc.); Ioannes e contra illam proponit veluti effectum ipsius Christi per virtutem divinam quam ut propriam intra seipsum possidet (Ioann. 10, 17. 18; 11, 25). Egregie tamen erraret qui exinde vellet concludere Paulum in rudiori adhuc christianae evolutionis strato versari et Christi divinitatem aut non agnoscere, aut negligere ac non magno studio eam fidelibus ceu fundamentalem Evangelii articulum praedicare. Quin potius, quo pacto id fieri poterat cum valor satisfactorius operis Christi, quem tantopere veluti palmare sui Evangelii dogma Paulus effert, nonnisi infinitus esse possit, atque ab infinita satisfacientis dignitate pendeat? Hinc Christi divinitatem Paulus constanter prae mente habet, eamque identidem expressis testimoniis effert, quibus quatuor insigniora et manifestiora afferemus Phil. 2, 5–7; Col. 1, 15–17; Hebr. 1, 1–3; Rom. 9, 5.

a) Phil. 2, 5-7

Primum igitur prodeat celeberrimum Phil. 2, 5-7: " sentite in vobis quod et in Christo Iesu (sensum est, aut sentire, cogitare consuevistis), qui cum esset in forma Dei (ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων), non rapinam reputavit esse (se) quid aequale Deo, sed evacuavit seipsum forma servi suscepta (μορφὴν δούλου λαβών), factus in hominum similitudinem, et habitu inventus quasi homo „ (1). Paulus his verbis quid de Christi persona sentiat perspicue ostendit. Per duas sententiae partes, quarum prima rursus duplici, altera triplici membro evolvitur, duos itidem status sive conditiones successivas in Christi persona distinguit, quarum singulas nitidissime per proprios characteres describit: characteres autem hos Christi divinitatem patefacere analysis ostendet. Agi in serie descriptionis de duplici statu sive conditione successiva Christi, manente identitate personae evidens est; nam subiectum attributionum enumeratarum in utroque statu, idem perseverat, Christus Iesus; qui alius non est quam unica Domini persona. ὑπάρχων exsistentiam denotat in prima conditione, " cum in forma Dei Christus esset „, et antequam servi formam assu-

(1) Quamvis possemus dare versionem Vulgatae, utpote egregie reddentem originale, malumus textum graecum directe respicere, cum ex hoc petenda sint argumenta.

meret. In illo statu persona Christi " in Dei forma „ (μορφῇ) exsistebat. μορφή Vg. vertit " formam „ et nulla adest revera latina vox quae melius vim originalis exprimat. Quid vero concrete sub notione " formae „ (μορφῆς) veniat, ex secundae partis primo membro apparet ubi de " servi forma „ (μορφὴ δούλου) sermo est quam Christus suscepit, quaeque perspicue " naturam „ humanam designat, nam per hanc servi formam, et eius vi, Christus Iesus " fit in similitudinem hominum „, i. e. ceteris similis, verus homo sicut illi, et per eam deprehenditur ut talis : verus autem homo fit unusquisque ac deprehenditur per humanam naturam qua talis constituitur et ceteris apparet (1). Neque aliam quam " naturae „ significationem tribuerunt voci in nostro contextu (vv. 6 et 7) interpretes graeci universi, tam orthodoxi quam heterodoxi, ut ex Chrysostomo constat ; nam tam ipse quam illi quos impugnat cum hunc locum explanat, μορφήν " naturam „ intelligunt. (2).

Sed adhuc admissa significatione « naturae » in voce μορφή, non continuo perspicue apparet quid Paulus hac expressione velit significare. Nam « esse in natura divina » potest adhuc concipi aut « substantive » per veram eius possessionem essentialem : « cum esset verus Deus » ; aut quasi localiter « in sphaera naturae divinae » citra tamen eius possessionem, ita nimirum ut etsi Christus verus Deus non esset, frueretur nihilominus « esse » quodam sive natura altissima quae divinae vicina esset. Quonam sensu sumit sententiam Paulus ? Id ex significatione participii ὑπάρχων diiudicandum. Vox in idiomate Pauli sicut ex Gal. 2,14 et 1 Cor. 11, 7 (3) constat, idem est atque « exsistens » : exsistere autem, sive esse, versari, constitui, in Dei forma i. e. natura, nullam naturaliorem significationem habere potest quam « esse omnino theomorphon », naturam divinam possidere. Atque ita iubemur sententiam interpretari nisi contextus aliud ostendat. Contextus vero, nedum obstet, sensum confirmat ; mox enim v. 7 « assumere formam servi »,

(1) μορφή : forma, de se quidem ad externam conformationem refertur, sed prout ab interna sponte profluit : hinc cum de Deo sermo est in quo non datur internae et externae conformationis dictinctio, μορφή non aliam quam intimam, et sic naturam ipsam designat; σχῆμα vero (ab ἔχω) " habitus, habitudo „, potius de externa qua talis (figura) dicitur. Hinc Paulus accuratissimus in vocum selectione proditur.

(2) Chrysost. *Hom. 6 in Epist. ad Phil.* (M. 62, 219. 220). Ex formulis proin, constructione et rationibus philologicis nulla erat tempore Chrysostomi, nec potest esse hodie, seria in Pauli verborum sensu explanando difficultas : difficultates sectariorum erant dogmaticae.

(3) Ἰουδαῖος ὑπάρχων : " cum iudaeus sis „ (Gal. 2, 14) : εἰκὼν καὶ δόξα Θεοῦ ὑπάρχων : " cum sit Dei imago et gloria „ 1 Cor. 11, 7.

inveniri sive deprehendi aut demonstrari hominem », quae formulae novam Christi conditionem designant aliud non sonant quam « humanam naturam habere ».

Sequitur Apostolus : " non rapinam reputavit esse (se) aequalem Deo „ : οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Expressio : τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ quae ut articulus docet, quasi substantivum sumitur, est terminus directus verbi ἡγήσατο ; et ἁρπαγμόν huius termini appositum. ἴσα autem proprie est neutrum plurale quod accipi potest vel instar nominis : " quid aequale „, vel ut adverbium : " aequaliter „, sensu penitus eodem; demum ἁρπαγμός est " rapina „ sive " praeda „. Versu igitur 6ᵇ vult Paulus exponere Christi sensa dum in illa conditione versaretur naturae Dei, aitque sensa eius haec fuisse, ut aequalitatem cum Deo non reputaret tamquam praedam. At restat difficultas de sensu quo iuxta Paulum Christus aequalitatem cum Deo " praedam „ sive " rapinam „ non reputavit : an " rapinam „ non reputavit Christus divinam naturam quia eam possidebant ; an quia ei non inhiavit, etsi eam non possideret ? i. e. rapina estne " res rapienda „, an " res rapta „ ? Ut iam diximus Paulus 6ᵇ exponit Christi sensa cum esset in " forma sive natura Dei „ ; si ergo haec verba, ex dictis, Christum natura Deum fuisse significant, fieri nequit ut tamquam mirum modestiae exemplum proponat Apostolus quod Christus aequalitatem cum Deo non reputaret ut " excellentiam appetendam „ quasi nimirum ea careret ; sed omnino quod non reputaret " rem furto ablatam „ cum eam ex propriis possideret. Nam sicut nulla insignis virtus est, sed strictum officium, divinitatem non ambire in eo qui non Deus sed creatura est, sic admodum magnam modestiam ostendit qui cum veram naturam divinam possideret, eam non iactabat, sed occultabat. Ita exponunt sententiam Patres tam graeci, duce Chrysostomo, quam latini, duce Augustino. Prior scribit : τίς ἂν εἴποι ὅτι ὁ δεῖνα, ἄνθρωπος ὤν, οὐχ ἥρπασε τὸ εἶναι ἄνθρωπος ; πῶς γὰρ ἂν τις ὅπερ ἐστὶν ἁρπάσειεν ; (1) Et Augustinus : " non rapinam in forma Dei dictus est constitutus qui hoc habebat utique per naturam „.

(1) " Quis dixerit aliquem, qui homo sit, non rapuisse quod homo esset ? quo enim pacto quis id quod est, furto obtinuerit ? „ At quamvis Patres in explananda sententiae substantia concordes sint, supponentes ex membro praecedenti Christum divinitatem possidere et sic non potuisse eam ambire, in modo sententiam explicandi in varias abeunt opiniones pro vario sensu quem tertio

Locutio « aequalitatem cum Deo non reputavit Christus rapinam sive praedam », si sola adesset, ulteriore explanatione non indigeret; at verba partim solum ac negative exprimunt Christi sensa sub Dei forma. In sequentibus completur sententia, addita actione Christi positiva : « sed semetipsum evacuavit ἀλλὰ ἑαυτὸν ἐκένωσεν (κενόω est evacuare, vacuum, inane reddere) cum actionis termino : « forma servi assumpta » (μορφὴν δούλου λαβών), ac termini explicatione : « in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo » ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Assumptione « formae servi » Christus efficitur « aliis hominibus similis », formamque humanam exhibens Christus, nedum reputaret ut praedam suam aequalitatem cum Deo, e contrario, semet evacuavit ea ipsa natura quasi se in eius iurium, praerogativarum usu, ostentatione abdicavit, eam sub humana abdens. Pronomen ἑαυτόν « seipsum » secundum eam conditionem sumitur sub qua Christus descriptus erat 6ª ; et oppositio ostendit quo sensu aequalitatem non reputavit ut praedam : non reputavit « praedam » scilicet « iactandam, ostentandam » ad modum quo vel victores in circo, vel triumphatores in bello, qui prae se magna ostentatione praedam iactant velut victoriae trophaeum. Aequalitatem cum Deo Christus non solum non ostentavit hoc modo, sed occultavit, abscondit sub servi forma. Etsi ex notione communi « rapinae » non eliciatur inmediate « ostentationis » conceptus, elicitur ex contextu.

Paulus igitur Christum, ante incarnationem, verum Deum cogitabat. Quid autem proprie intellexit nomine " evacuationis „ sive κενώσεως? Non certe talem evacuationem sui i. e. abdicationem divinae illius formae sive naturae qua fruebatur, ut in incarnatione illam cum humana commutaret. Divinam naturam quae inmutabilis est quamque indubie ut talem Paulus utpote strenuus

---

membro " de exinanitione „ tribuunt. Chrysostomus putat Pauli mentem hanc esse: Christum non ea inquietudine suam cum Deo aequalitatem zelasse qua fures aut usurpatores rem aut regnum rapina sublatum; sed ea se tranquillitate gessisse qua domini legitimi qui non timent a possessione exturbari, et divinam naturam sub humana velasse (Hom. 7; M. 227-231). Theodoretus: Θεὸς ὢν, καὶ φύσει Θεός, καὶ τὴν πρὸς τὸν πατέρα ἰσότητα ἔχων, οὐ μέγα ταύτα (vel τοῦτο) ὑπέλαβεν.. ἀλλὰ τὴν ἀξίαν κατακρύψας, τὴν ἄκραν ταπεινοφροσύνην λετο καὶ τὴν ἀνθρωπείαν (vel ἀνθρωπίνην) ὑπέδυ μορφήν: " Deus cum esset et natura Deus, atque aequalitatem ad Patrem habens, non magnum haec exsistimavit, sed dignitate velata, extremam demissionem arripuit et in humanam formam se immersit (M. 82, 569). Alii in 2° membro iactantiam qua praedam efferunt et ostentant triumphatores cernere malunt; 3° demissionem huic oppositam in velanda seu occultanda divinitate sub humana natura.

transcendentalista (Rom. 1, 20 ; Act. 17, 29) concipiebat (1), evanuisse in Christo cogitare non potuit ; ac de facto saepe Christum, etiam sub incarnatione, exhibet deitate non utcumque ornatum, sed quasi propria natura fruentem : πλήρωμα τῆς Θεότητος " plenitudo deitatis „, i. e. " deitas in sua plenitudine, tota quanta est „, habitat in eo σωματικῶς " corporaliter „ (Col. 2, 9) sub forma sive natura corporea, i. e. humana : ita ut naturam divinam et humanam ceu aeque propriam possideat : natura divina et natura humana aeque personaliter ac simul, Christus gaudet (2). Atque in ipso nostro loco aperte suam mentem ostendit cum ait Christum in terris sese ceteris hominibus veluti unum ex humana stirpe obiecisse. Cum potuisset nimirum, ut verus Deus, suam divinam naturam ostentare, noluit id facere, sed potius se ea, ad ostentationem externam habitualem quod attinet (per fastum miraculorum, aliorumque divinorum operum apparatum), voluntarie abdicavit. Ideo etiam sub incarnatione, accurate distinguit inter id quod Christus habet " secundum carnem „ κατὰ σάρκα (Rom. 1, 3 ; 9, 5), et id quod e sinu Patris de coelo detulit. Cum " factus est Deo secundum carnem ex semine David „ (Rom. 1, 3), non desiit filius Dei esse secundum altiorem et divinam naturam (3).

Explanationem hactenus propositam secuti sunt omnes christiani interpretes usque ad nostram aetatem, atque hodie etiam a praestantissimis inter protestantes retinetur ut Lightfoot, Vincent, Haupt et novissime Feine (4).

De identitate subiecti per duplicem statum successivum in Pauli mente, res indubia est ; sed non ita perspicue apparet, num subiectum hoc sit per totam pericopen, in mente Pauli " Christus historicus „ (Christus ἔνσαρκος), an ante incarnationem cogitatus

(1) Si Paulus Christum inmutabilem cogitabat (Hebr. 13, 8) quanto magis divinam naturam ? Nam Christum inmutabilem cogitabat ob eius divinam naturam.

(2) Paulus naturam humanam sub " corpore „ exprimit sicut Ioannes (1, 14) sub " carne „ ad dignationem Filii in incarnatione acrius significandam.

(3) Accurata haec distinctio inter naturam humanam quam " secundum carnem „ i. e. secundum " humanam " sive ex hominibus generationem Christus habet (Rom. 1, 3 ; 9, 5 ; Gal. 4, 4 etc.) et id quo erat " Filius Dei „ iam antea, aperte ostendit Christum iuxta mentem Pauli, etiam dum in terris versaretur, naturam divinam retinuisse.

(4) Lightfoot : *Epistle to the Philipians* 110-114 ; Vincent : *Critical and exegetical Comment. on the Epistles to the Philipp. and Philem.* 57-61 ; Haupt : *Der Brief an die Phil.* 63-83 ; Feine *Theol.* d. N. T.[3] 223-224.

(ἄσαρκος). Complexus pericopes suadere videtur Paulum primo sensu Christum cogitare ; nam 7–11 fidelibus ad imitationem (sentite in vobis quae Christus sensit, quae de Christo cogitatis) " Christi „ exempla proponit, non " Verbi „ vel " Filii „. Et quamquam cum de Christo dicit eum " in forma Dei „ exsistentem, non reputasse " rapinam „ suam aequalitatem cum Deo, qui sensa haec fovet non Christus iam incarnatus, sed omnino ante incarnationem esse videatur, attente tamen expenso contextu, vix dubium est quin Paulus de Christo incarnato per totam pericopen loqui velit. Nam quae de eo per totum contextum congeruntur(7-11),abstractione interim facta a v. 6, certissime Christum incarnatum respiciunt, atque ad Christum, ut incarnatum et hominem referuntur. Quamvis vero v. 6 de sua ante incarnationem conditione sit sermo, haec ipsa quae de Christo sub hac conditione dicuntur, ita cum statu incarnationis connectuntur, ut nonnisi per ordinem ad illum proferantur, et habita iam in mente, ultra personam, ipsa ad humanam naturam unionis relatione. Hinc identitas subiecti non est solum in personalitate, sed etiam in ipsa eius habitudine ad humanitatem non quidem ut iam assumptam, sed utique ut assumendam ; ac proin cogitatione iam cum eo copulatam.

Hodierni critici et exegetae, etiam non prorsus increduli miro modo obscurant sensum pericopes quam explanavimus. En quo pacto eam edisserit Lücken. Iuxta hunc criticum, 1) agnoscenda quidem est secundum Paulum in Christo ante incarnationem natura quaedam coelestis quasi divina, non tamen vere talis, sed angelica, tametsi suprema inter angelicas. 2) Per incarnationem haec natura commutata est in humanam (haec est illa quam protestantes appellant κένωσιν = evacuationem, metamorphosin qua natura illa superior evanuit et in humanam resoluta et quasi absorpta est) 3) Sub hac humana forma, dissoluta illa superiori, passus et crucifixus est. 4) In praemium huius demissionis Pater Christum restituit in pristinam dignitatem, imo addidit externum honorem quo Christus, etsi Deus non sit, divina appellatione honestetur (1). Simili modo quo Lücken, vel forsan demissiore, describunt alii protestantes illam Θεοῦ μορφήν qua Christus iuxta Paulum in coelis ante incarnationem fruebatur : erat quippe « coeleste *corpus* », « *corporea* forma », qualem postea in terris possedit, etsi utique subtilior. Membrum : τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ non de dignitate quam iam tunc possideret, sed aut quam possidendam tunc ambiebat, aut quam de facto ei postea

(1) *Die Schriften des N. Test.*³ 2, 390.

Deus donavit, citra divinitatem tamen, intelligunt (1). His accedit Holtzmann iuxta quem Paulus utique Christum concipiebat praeexistentem ante suam in terris apparitionem, « *forma* quidem, sed eo ipso non *natura*, divina praeditum (μορφή non οὐσία) : hac forma sese exspoliavit cum ex muliere natus est, sed eam rursus in resurrectione recuperavit. Forma vero haec appellatur a Paulo « forma Dei », « forma divina » non quod proprie divina sit, sed quod Christus in illa existentia praevia est « homo spiritualis » qui imaginem Dei refert (Gen. 2, 7 coll. 1 Cor. 15, 45-47) ; at etiam in illa excelsa conditione Christus « homo » est ; secus « Christus historicus cuius destinatio est (Rom. 8, 29) ut Primogenitus fiat inter multos fratres ... non ampliationem, sed imminutionem proprii esse subiisset » (2).

Non est difficile erroneas hasce interpretationes refellere cum omnes aut arbitraria prorsus aut incompleta textus analysi nitantur. 1) Cum vox « forma » (μορφή) nequeat in eodem contextu duplicem diversam significationem habere, cumque iuxta omnes, non excluso Holtzmann, in expressione « formam servi » *naturam* humanam significet (3), fieri omnino nequit ut membrum : ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων in ore Pauli, strictissimi monotheistae, aliam significationem habeat quam verae divinitatis in Christo. Verum quidem est Apostolum 1 Cor. 8, 5 dicere « esse multos deos » : at id ex mente paganorum dicit, non ex propria, nam pergit statim v. 6 : « nobis i. e. christianis, unus Deus ». 2) Cum natura divina indefectibilis sit, natura illa quam Christus ante incarnationem possidebat quaeque vere divina erat, non potuit evanescere, nec restitui. 3) Etiamsi per impossibile daremus naturam illam rigorose divinam non fuisse, certe ea praesens fuit Christo etiam sub incarnatione ex dictis.

b) Col. 1, 15-17.

Et revera Christum a Paulo agnosci veluti praeexsistentem in natura divina ante incarnationem abunde confirmatur ex aliis eius testimoniis, nominatim ex Col. 1, 15-17. Paulus hoc loco plura attributa Christo de praesenti applicat quae creaturae convenire nullo modo possunt, sed sunt omnino divina. Exponemus ea non ordine quo ab Apostolo recensentur, sed habita potius ratione claritatis in eorum significatione. 1um et omnium clarissimum est quod " in ipso i. e. per ipsum, ut apparet ex clausula sententiae

(1) Sic praesertim Weizsaecker 120-122.

(2) *Neutest. Theol.*[3] 1911 p. 96. 97.

(3) Iuxta Holtzmann Christus in humana natura nascitur ex femina ubid. p. 79).

ἐν = ב = per), creata sunt universa in coelis et super terram, visibilia et invisibilia; sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: cuncta per ipsum et ad ipsum creata sunt „. ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται. Pericope aperitur et clauditur ingeminata non sine emphasi eadem sententia: quod per Christum, eo videlicet operante, cuncta creata sunt. Sententiam id velle ut absolute ac sine exceptione ulla, amplitudo creatricis actionis Christi efferatur, perspicuum fit 1) ex iterata initio ac fine periodi universali Christi productrice activitate. Eodem tendit 2) expressa " coelorum ac terrae „ nominatio tamquam ambitus in quo actio exercetur: apud omnes passim, sed multo magis apud hebraeos ex Gen. 1, 1 significatur hac locutione universus creationis et rerum creatarum ambitus. Accedit 3) nobilissimarum inter creaturas enumeratio; primum invisibilium praeter visibiles; dein in ipsis invisibilibus, earum quae praestantissimae sunt, ut scilicet insinuetur, si hae nullo modo excipiuntur, multo minus aliam quamcumque excipi a Christi creativa operatione. Demum 4) ut nihil praetermittamus ex his quae Apostolus ad cumulandam universalitatem congessit, τὰ πάντα in ultimo membro aliud non est quam substitutio pro πᾶσα κτίσις qua rursus absoluta universalitatis operationis creatricis amplitudo omni qua fieri possit vi, exaggeretur.

Agi autem de operante per interventum non instrumentalem, sed primarium ac principalem, ex universalitate termini apparet: si nulla in ambitu rerum conditarum Christi interventum effugit, ipse nequit in earum censu connumerari. Huc redit argumentum S. Augustini de Verbo " per quod omnia facta sunt „. Hinc etiam perspicue apparet sententiam paulinam geminam cum ioannea esse: πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Nec διά necessario " instrumentalem „ sensum effert, sed potest primariam efficientiam et causalitatem exprimere (Cfr. 1 Cor. 1, 9).

2um attributum est quod Christus appelletur πρωτότοκος πάσης κτίσεως " prius omni creatione genitus „. Non significari Christum primordia inter creaturas tenere quasi nobilissimam inter omnes, constat ex verbo quo Paulus utitur cum de Christo et de creaturis: Christus dicitur gigni (τίκτω); cetera " creari „, " condi „ (κτίζω).

Πρωτότοκος ad litt. est « genitus » sive « natus » vel « editus » *primum*. At πρῶτον « primum » potest designare aut « primum inter vel intra » i. e. intra eumdem censum (primero *entre*, primo *fra*) ; aut « primum *prae* » extra censum, (primero *que*, prima *di*, prima *che*). Priorem sensum statuerunt ariani ut creatam Verbi naturam ex nostro loco adstruerent ; sed sententia sequens : ὅτι ἐν αὐτῷ ... ἔκτισται ... manifeste hunc sensum excludit, cum Christus nequeat seipsum creare, ut ipsi protestantes liberaliores, duce Baur, ultro agnoscunt. Sane, si de primo inter entia creata ageretur, Christus a Paulo, ut iam Chrysostomus notavit (1), non πρωτότοκος sed πρωτόκτιστος dictus esset. J. Weiss quidem scribit Paulum, etsi Christum appellet « Filium Dei », et quantumvis vox πρωτότοκος notionem generationis secum ferat, tamen subtilius de Christi origine in Filii nomine significata non cogitasse ita ut illud ad generationem divinam referret : Paulus de « generatione nullibi loquitur » (2) Et quamvis locutionis a Paulo usurpatae nostro in loco difficultatem bene perspexerit, ab ea se expedit dicens : in expressione πρωτότοκος πάσης κτίσεως « vim ab Apostolo reponi *procul dubio* non in elemento - τοκος sed in πρωτο » (3). Haec possent forsan auscultari nisi observaremus Paulum non semel sed constanter, cum de creaturis loquitur, adhibere verbum κτίζω et eius derivata (πάσης κτίσεως, ἐκτίσθη, ἔκτισται), cum de Christo numquam, sed derivatum a τίκτω, πρωτότοκος.

3um est quod dicatur " imago Dei invisibilis „ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, utique " qua invisibilis „, nam esse Dei qui natura sua invisibilis est, imaginem sub inferiori ratione etiam homini convenire (Gen. 1, 26-27) Paulus non ignorabat; hic autem de attributis agitur Christo exclusivis. Rursus, invisibilitatem Dei Apostolus hic intelligit " incomprehensibilitatem „ inaccessibilitatem ad quamvis facultatem creatam ; agit enim de attributo Dei exclusivo ut ex articulo apparet τοῦ ἀοράτου - *el* invisible, cui invisibilem esse proprium, characteristicum est. Iam vero, excepta incomprehensibilitate, nulla alia invisibilitas seu inaccessibilitas sive ad sensum, sive ad mentem quorumdam aut etiam plurium entium creatorum, Dei exclusiva est in complexu rerum vel exsistentium vel possibilium. Plura enim sive exsistentia sive possibilia vim superant non solum mentis humanae, sed etiam multorum spirituum. Quod si Christus est imago Dei " qua incom-

(1) *Hom. 3 in Epist. ad Col.* (M. 62, 318) : οὐ πρωτόκτιστος εἶπεν, ἀλλὰ πρωτότοκος.

(2) " von Zeugen redet er überhaupt nicht „ (p. 367).

(3) " in dem Ausdruck Erstgeborner aller Kreatur liegt der Akzent *natürlich* nicht auf - τοκος, sondern auf πρωτο „. ibid. nota.

prehensibilis „ ipse etiam est incomprehensibilis ; secus enim attributum hoc divinum non fideliter exprimeret, et sic non esset perfecta Dei imago. Si autem Christus incomprehensibilis est Deus est.

4° denique Christus est ante omnia et omnia per ipsum consistunt : αὐτός ἐστιν πρὸ πάντων καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκεν. Sententia concise refertur ad ea quae in praecedentibus (vv. 15. 16) de Christi ad creata, ac de creatorum ad Christum habitudine dicta erant. Non est tamen mera dictorum quasi emphatica recapitulatio : vivida contrapositio et mutua copulatio inter πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκεν : " in ipso sive per ipsum omnia consistunt „ et : αὐτός ἐστιν πρὸ πάντων : " ipse est ante omnia „, supponunt in verbo ἐστίν affirmationem non merae antecessionis ante omnia (ipse praeexsistit ante omnia quae per ipsum consistunt) ; sed " fundamenti consistentiae „ (ipse ante omnia subsistit, et sua subsistentia fundamentum praebet quo omnia consistant).

Hic quoque Lücken (2) (2, 344) prolixe conatur explicare textum de praeexsistentia Christi in « esse quodam intermedio » inter divinum et nobilissimos ex angelis, allata in medium theoria de aeonibus, sive divinis aut semidivinis naturis vel hypostasibus, « esse » divinum cum mundo materiali copulantibus, quam ait, sub variis formis professae sunt plures sectae philosophico-religiosae. Ab aetate Alexandri, sic Lücken, traditio iudaica, ut ex Prov. 8, 22 seqq. ; Sap. 7, 21. 26 ; 8, 1 ; Eccl. 24, 3 apparet, sub influxu, ut videtur, parsismi, theoriam excoluerat sicut inter ethnicos platonici atque alexandrini. In sectionibus citatis ubi theoria talium hypostaseon apparet, deprehenderat Paulus totidem vaticinia messianica, quae fundamentum ei suppeditabant ad suam de Christo in supernis praexistente conceptionem amplificandam.

Reiecta accuratiore thematis tractatione ad caput ubi agemus de fontibus paulinae conceptionis, notamus interim sequentia quibus excluditur explicatio a Lücken proposita. 1) Collatis inter se documentis canonicis et extracanonicis ubi doctrina de Logo recurrit, statim lectorem percellit hoc ingens discrimen : quod in canonicis (Proverbia, Sapientia, Ecclesiasticus, Ioannes) sumpto initio a Proverbiis, Sapientia divina (חכמה) ut « consubstantialis » Deo et ab eo genita ex propria divinitatis ipsius substantia interdum proponitur (1) ; dum e contra

(1) Paulus, ut ex Rom. 1, 19. 20 apparet, cum Deum appellat " invisibilem „ idem intelligit atque " impervium „.

(2) *Die Schrift. der N. Test.*³ 5, 344.

(3) Ioann. 1, 1. 2 ; Prov. 8, 22 ; Eccl. 24, 5.

in extracanonicis consubstantialitas ignoratur (1), cum apud ipsum Philonem qui inter extracanonicos sublimior omnibus est, Deus mundum creaturus, Logon efficiat veluti mundi exemplar (2). 2) In canonicis Sapientia (vel Logos) praecipuis quibusdam locis ut vera Hypostasis apparet, secus atque in extracanonicis, ubi personalitas τοῦ Λόγου ambigua est vel potius fictitia. Hoc substantialium characterum pro utraque serie discrimen perspicue ostendit in unaquaque propriam traditionem, saltem in fundamentalibus, ex domesticis fontibus transmitti, solumque posse dependentiam ita cogitari ut, aut iacta per antiquissimum ex documentis biblicis notione consubstantialitatis et personalitatis, scriptores alterius seriei theoriam deformaverint, aut, praeeunte impersonali et inconsubstantiali de Λόγῳ conceptu, scriptores biblicae seriei theoriam progrediendo evolverint pro respectiva prioritate illius primitivi documenti. 3) Notionem vero canonicam antiquiorem esse ex historicis Ecclesiae ac Synagogae testimoniis constat ; quae ulterius ex titulis et inscriptionibus confirmantur collectiuncularum ex quibus liber Proverbiorum coaluit secundum quae longe maior operis pars Salomoni auctori tribuenda est (3) quam originem vetustiorem exilio aut quovis scientifico Israëlis commercio cum hellenismo, imo et cum persis confirmat ipsa lingua hebraica in qua liber in sua integritate scribebatur, dum libri sapientiales qui in periodo hellenica redigebantur, graeci sunt ; qui vero sub aramaismi vel parsismi influxu prodierunt, longas sectiones aramaicas miscent, ipsaeque sectiones hebraicae impuriores sunt. Quod si Ecclesiasticus hebraice in sua origine exarabatur, id ex utroque

(1) Ut scite perspexit et notavit Cyrillus Alex. (*contra Iulian.* lib. VIII M. 76, 913).

(2) De mundi opificio 1, 4.

(3) Cors. Intr.[4] 2, 143. Utique communior sententia imo communis inter acatholicos criticos et interpretes quos etiam sequuntur nonnulli catholici, est quod חכמה "sapientia„ in sapientialibus numquam vera "hypostasis„, sed mera "personificatio„ sit, non exclusa sectione Prov. 8, 22 seqq. Sed talis sententia vix probabilis, imo secundum meliores criticos et interpretes catholicos, falsa est, et omnino tenenda quae de vera "hypostasi„ sectiones Prov. 8, 22 seqq. et Sap. 7, 22-26 explicat. Revera ex Ioanne 1, 1-14 evidenter edocemur in divinis exstare (et exstitisse semper!) "hypostasin„ a Deo genitam. Aliunde aliqui Psalmi messianici ut Ps. 2 et 110 (Vg. 109) satis perspicue loquuntur de "Filio„ in divinis a Deo ex propria substantia genito. Cum ergo Prov. 8, 22 seqq., Sap. 7, 22-26 et aliis locis, sed iis praesertim, inducatur Sapientia (σοφία Sap. 7), sub praedicatis quae non personificationem sed proprie "personam„ sonant, ut v. gr. Prov. 8, 24 ubi sapientia de se dicit אני חוללתי: "ego concepta sum„, sana critica id concludere iubet : quandoquidem traditio biblica proferre pro hypostasi consubstantiali genita seriem testimoniorum ab aevo apostolico valet usque ad tempora multo antiquiora hellenisticis imo et persicis, pronum est ut non aliunde quam a domesticis testimoniis Paulum et reliquos Novi Testamenti scriptores suam doctrinam hausisse dicamus.

capite germanam eius hebraicam indolem potius confirmat. Non ergo ex fontibus exoticis aut ex theoriis de hypostasibus non divinis, sed ex hebraica doctrina de divina sapientiae hypostasi in Psalmis confirmata hauriebat Paulus doctrinam de Christo.

c) Hebr. 1, 1-3.

Venit tertius locus Hebr. 1, 2^{b} 3^{ab}: qui post duo praecedentia vix ullam difficultatem creat. Paulus nostro in loco dicit de Christo: " per quem fecit (Deus) et saecula. Qui cum sit fulgor gloriae et perfecta imago substantiae eius (scil. Dei), portans item omnia (creata) verbo potentiae suae ... sedit in dextera maiestatis in excelsis: δι' οὗ καὶ ἐποίησεν τοὺς αἰῶνας· ὃς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ ... ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς. Christus his verbis describitur 1) ut saeculorum (τῶν αἰώνων) effector (1); 2) ut fulgor gloriae ac perfecta imago substantiae Dei (αὐτοῦ est simul regimen utriusque, δόξης et ὑποστάσεως). 3) ut omnium (creatorum) sustentator per suam potentiam (verbo sive praecepto potentiae): omnia et singula haec praedicata exclusive divina sunt. De primo id facile ostenditur; nam sermo evidenter est de interventu Christi activo in prima rerum molitione, quae 11, 3 sub eadem " saeculorum „ per Deum coaptationis (κατηρτίσθαι) locutione qua certe primordialis creatio exprimitur, recurrit. Eadem operatio, eodem modo expressa atque eiusdem termini productrix nequit nisi ab eodem agente peragi, qui iuxta 11, 3 " Deus „ est, et nonnisi Deus esse potest. " Saecula „ proin sive αἰῶνες non sunt tempora vacua, sed successiones temporum prout gravidae rerum quas secum in serie durationis gestant. Ratio cur complexus creationis " saeculorum „ nomine appelletur est quia in praecedentibus series saeculorum in historia memorata erat, in cuius decursu revelatio divina explicabatur: " Filius „ qui in fine temporum locutus est, auctor est temporum. Sermonem autem non esse de cooperatione mere instrumentali sub creatore, sed omnino de actione principali, apparet ex termino qui est " universa creatio „.

(1) " Saeculorum „ effector dicitur Deus Hebr. 11, 3 sicut hic: " saecula „ intelliguntur nimirum non nuda seu vacua, sed rebus durantibus plena.

Additur 2° Christum esse " fulgorem „ sive *effulgentiam emanantem* (1) gloriae Dei i. e. " esse divini „ : nam δόξα = כבוד apud hebraeos usurpatur (sicut שם nomen) pro ipso Deo (2): est praeterea χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Θεοῦ = cusio, sigillatio imago impressa, ac proin, fidelissima Dei. Cum fulgor emanatus coaevus sit atque eiusdem naturae cum foco emanante, prima appellatio aeternitatem et consubstantialitatem Christi cum Deo (Patre); altera, perfectam ac fidelissimam divini esse expressionem prodit. 3° praerogativa est quod Christus " verbo potentiae suae „ i. e. verbo suo potenti omnia sustentat. Rursus ratione universalitatis termini actio nonnisi divina, et a divina potentia et natura manans esse potest (3).

Hic quoque critici nostrae aetatis praedicata Christo attributa, sicut Col. 1, 15-17 ex philonianae speculationis principiis explicant. « Philonismus, scribit Holtzmann, proditur in tota sua puritate, cum Filius in suis cosmicis atque historicis relationibus describitur tamquam supra angelos exaltatus, veluti Logos atque Archangelus Philonis ». Hinc, etsi Holtzmann concedat ἀπαύγασμα effulgentiam significare, eam tamen intelligit « receptam » (suffusam) in materiali creatione ; similiter χαρακτῆρα « sigillum divinitatis », nempe quo Deus creationem obsignat (4). Profecto voces ἀπαύγασμα et χαρακτήρ varium possunt sensum (non significationem) habere prout de subiecto creato vel increato agatur ; ac proin apud nostrum auctorem tali sensu et valore intelligenda sunt illa vocabula, qualem praedicatorum complexus quae Christo attribuit, praecipiat. Cum vero 1, 3 scriptor Christum appellet « illum per quem omnia et causalitate non instrumentali sed principali, facta sunt » ac proin creaturam intelligere non possit aut aliquid quo creata in eorum esse compleantur (causae enim efficientis proprium est seorsim ab effectu manere) ; reliqui quoque termini sensu substantiali ac penitus divino interpretandi sunt. Nec solum contextus proximus, sed alii quo-

(1) Etsi ἀπαύγασμα possit significare fulgorem vel " emanantem „ vel " receptum „, hic non altero sed primo sensu sumi constat; quia si de reflexione sermo esset, oporteret indicari illud quod fulgorem recipit; neque enim potest fulgor quasi suspensus in seipso subsistere.

(2) Fundamentum est historia Exodi 13, 21-22; 14, 19. 20.

(3) χαρακτήρ a χαράσσω = " sculpo „, est imago quae rei sculpendae compressione super metallum apte praeparatum fit, sicque fidelissima.

(4) *Neutest. Theol.: Theol. deuteropaulina* 2, 533. Haud dissimili modo Hollmann, *Die Schrift. des N. Test.*³ 3, 159-165. item J. Weiss (*Urchrist.* p. 368): iuxta Weiss Paulus (A. ad Hebr.) Christum concipit ut δύναμιν " die sich durch die ganze Welt ergiesst „ ; i. e. ut Logon spermaticum.

que Pauli ex aliis scriptis loci prae oculis habendi sunt cum de vocibus sermo est quae similem significatus varietatem offerre possunt: simulatque constet Paulum in aliquo ex scriptis Christum appellasse Deum, non licet in aliis similes voces de re creata sumere.

d) Rom. 9, 5.

Fastigium omnibus hactenus de hoc themate dictis imponit locus ad Rom. 9, 5 ubi Apostolus Christum appellat ἐπὶ πάντων Θεὸν εὐλογητόν. Iam ipsa divinitatis attributio per categoricam affirmationem: ὁ ὢν Θεός, nisi aliqua manifesta limitatio appareret quae divinitatem diminuto sensu desumi ostenderet, satis erat ut, quandoquidem alias tam magnifica ab Apostolo de Christo proclamantur, expressionem de stricta divinitate intelligeremus. Sed accedit epitasis, eaque duplex, qua praedicatum intendit: εὐλογητός et ἐπὶ πάντων. Apud iudaeos in more erat ut cum Deum invocabant, summae reverentiae causa εὐλογητόν appellarent: sic summus Pontifex Caiphas cum Dominum interrogat (Mc. 14, 61) num Filius Dei sit; additio vero ἐπὶ πάντων absolutam deitatis incommunicabilitatem exprimebat qua contra omnis generis polytheismum quaevis minus absoluta divinitatis notio excluderetur.

Jülicher scribit: " additio 5[b] ut appositio ad vocem Christus *oppugnari quidem nequit* si regulae sermonis attendantur, itemque munitur testimonio veterum auctoritatum: at Paulus Christum numquam *Deum* appellavit, multo minus *Deum super omnia excelsum* quae locutio procul dubio omnipotentem mundi creatorem designat. Neque Phil. 2, 10. 11 talem interpretationem firmat: foret in Ioanne quidem naturalis; in Paulo autem impossibilis „ (1). Hinc verba explicat veluti exclamationem qua " fervidi israelitae animus prorumpit prae iubilo in omnipotentis laudem ob magnifica beneficia erga suum populum: Deus numquam satis per totam aeternitatem laudari poterit „. Sed si neque " sermonis leges „, nec " antiquitatis testimonia „, i. e. neque historia neque critica quidquam habet contra sensum qui conceditur obvius, cur non admittitur? " Paulus, respondet Jülicher, *numquam* Christum appellat Deum „ (2). — At 1) appellat hoc loco!

(1) *Der Brief an die Römer* in *Schriften des N. Test.*[3] 2, 292 (Auctor intacta reliquit 1917 quae 1908 scripserat).

(2) Ibid. Simili modo Weizsäcker: " Paulus hat ihn (Christum) nicht Gott gennant „ *Apostol. Zeitalt.* 12.

2) appellat aequivalenter omnibus illis quibus praedicata exclusive divina ei applicat: proin nihil magis obvium, etiam attenta Pauli ut dicunt, " mentalitate „, quam ut quae per partes et consectaria de Christi divina natura alias tradiderat, aliquando summatim et in principio enuntiaret. Quae de Phil. 2, 6–11 Jülicher addit, qua veritate proferantur, ex dictis cum locum hunc edissereremus constat.

Tischendorfius conatur infirmare vim testimonii ex Eus. *Dem. ev.* 3, 7; 5, 13 (M. 22, 241. 392) ubi " epitheton Θεὸς ἐπὶ πάντων reservatur, ait Tischendorf, soli Patri, dum Christus dicitur Filius *Dei super omnia* „. At apud eumdem Eusebium (Hist. eccl. 8, 11 M. 20, 768) fideles passim Christum proclamant " Deum super omnia „: Θεὸν ἐπὶ πάντων (1); atque ut concilientur Eusebii loca non est opus confugere ad ullam textus modificationem: sufficit habere prae oculis in Dem. sermonem esse de distinctione inter Patrem et Filium intra ipsam Trinitatem, dum contra in Hist. agitur de distinctione veri Dei a non Deo. Videlicet Θεὸς ἐπὶ πάντων, cum de Trinitate, iam ab Origene, sicut appellatio Αὐτοθεός, reservatur Patri: qua voce nimirum non solum " figurata divinitas „, et sic " creaturae „ notio, sed praeterea etiam quaevis intra ipsam divinam naturam " processio „ excluditur. At Eusebius processionem personalem Christi vi paternae generationis intra divinam naturam, etiam qua Deus est, non excludit, cum eum centies dicat " Deum–Filium „.

3. Christi humana natura.

Non minus indubium est Paulum in Christo veram ac realem naturam humanam agnovisse. Tota eius theologia nititur hac veritate; cum tota versetur in exponenda et vindicanda restauratione generis humani per Christi mortem ac resurrectionem. Hinc " indirecte „ toties Apostolus proclamat Christum hominem quoties de eius opere restauratorio quomodocumque loquitur: " directe „ vero, cum describit eius inmolationem in cruce, ac resurrectionem ex mortuis. Sed omnia haec testimonia sive directa,

(1) Cfr. prolixam Tischendorfii notam ad Rom. 9, 5 (2, 410-412): qui sine praeiudiciis legit dissertationem, potius concludit contrarium ei quod vult demonstrare ceteroqui doctus Novi Testamenti editor.

sive indirecta, generalia tamen sunt: at ultra illa Paulus saepe nominatim disserit de Christi origine, progenie ac generatione humana. Eum " ex semine iudaico „, i. e. " Abrahae et Patriarcharum „ agnoscit Rom. 9, 5; propius ex " semine David „ Act. 13, 23; Rom. 1. 3: " factum ex muliere „ Gal. 4, 4 (1). Mirum est quantopere Paulus humanae naturae in Christo huiusque naturae veritati firmiter adserendae insistat: etiam cum de eius resurrectione loquitur, splendidissima nimirum eius inter homines manifestatione, eam non Christo ipsi, qua Deo, ut Ioannnes (10, 18) attribuit, sed Deo, illum qua hominem suscitanti. Sic Act. 13, 37; Rom. 4, 24; 8, 11; 1 Cor. 15, 15; 2 Cor. 4, 14; Gal. 1, 1; Eph. 1, 20: tantopere necessarium existimabat alte in christianorum mentibus radices huius articuli defigere. At num aliter fieri poterat cum Paulus suae theologiae centrum in morte Christi reponat quae penitus evanescit si verus homo non est? Ad Pauli vero notitiam historicam de Iesu quod pertinet dubitari nequit quin plenissime de tota suae vitae in terris serie edoctus sit, utpote qui familiariter cum plurimis egerit qui gestorum Christi testes inmediati diuturno tempore fuerant. Hinc vix intelligitur quo pacto a cordatis hominibus Apostolo tribui possint hac de re quae nihilominus a quibusdam tribuuntur.

Nimirum, non obstante testimoniorum serie de vera Apostoli mente super Christi humana natura, hodierni critici heterodoxi mira effutiunt circa hoc argumentum. Hinc operae pretium est, qua possimus brevitate et perspicuitate, horum criticorum sententias exponere. Qua in re ducem praecipue sequemur Weizsäckerum qui hic quoque sicut alias clarius et consequentius ceteris loquitur. Iuxta Weizsäcker, Paulus cogitabat quidem Christum ut " verum hominem „, i. e. non mere phantasticum, utpote " posterum Davidis „ et " ortum ex muliere „ (2); sed tamen eius humanitas erat iuxta Paulum " similis „ tantum carni peccati (Rom. 8, 3) i. e. carni reliquorum hominum, ut Phil. 2, 7 rursus affirmat Apostolus. Nihilominus haec duo contradictoria non erant

(1) Quo sensu Paulus Christum factum " ex muliere „ dicat: an quia de matre sine genitore humano, an sensu emphatico et poëtico apud hebraeos usitato (Iob 14, 1; Mt. 11, 11) hic parum refert: in utroque casu Christum ex semine humano ortum, et sic verum hominem, facit.

(2) " Ein natürlicher Nachkomme Davids, und wie jeder andere Mensch, von einem Weibe geboren ist „ (p. 114).

in mente Pauli ; nam tandem Christi humanitas, etsi vere talis, tamen, utpote sine peccato, non est identica cum carne vel humanitate ceterorum hominum, non desumitur ex generis humani massa quae peccato infecta est : humanitas sive caro Christi est " ad imitationem quamdam „ effecta humanitatis sive carnis peccati. Hinc Christus quem Paulus agnoscit non est tantum " Vir in coelos exaltatus „, ut primitiva Ecclesia existimavit ; haec conceptio est conceptio adhuc iudaica ; Christus quem Paulus concipit appellatur " Dominus et Filius Dei „ non ex mera dignitate extrinsecus adveniente ; est " esse quoddam coeleste „, etsi Paulus numquam " Deum „ appellarit, sed Deo subiectum, utpote quod " verus homo „ sit (1 Cor. 11, 3), cuius regnum finiendum 1 Cor. 15, 28), quamvis interea sit utique rerum omnium moderator, hominumque rector. (1 Cor. 8, 6). Hinc, quoniam omnia per aliquale tempus Christo subiiciuntur, et fideles ad Christum pertinent, omnia fidelibus, ex eius imperio, serviunt. Christus secundum opinionem Pauli non est nec Demiurgus nec angelus : est " homo mundi supraterreni „ (1 Cor. 15, 45–49) per oppositionem ad Adam et omnes eius posteros ; est *secundus homo, qui de coelo venit atque secundum substantiam qua constat, coelestis est* (1). Possidet spiritum Dei ac potest appellari *spiritus* (2 Cor. 3, 17) ; at 1 Paulus eum concipit sub categoria formae humanae cum " spirituali corpore et intelligentia quae in Dei spiritu cogitat „ (1 Cor. 2, 16). Quamvis Christus iuxta Paulum non sit mundi concreator, sed simplex rerum prius a Deo creatarum administer ; tamen praeexsistebat ante eius historicam apparitionem inter homines, siquidem et in veteri oeconomia Israëlis fortunae praeerat (1 Cor. 10, 4), et libere in terras ingressus est (2 Cor. 8, 9 ; Phil. 2, 7), deposita voluntarie divinitate qua fruebatur, et assumpta servili conditione. Hinc apparet quo sensu divinitas illa intelligenda sit : non erat " realitas „ ; erat " conditio „ servili opposita (2).

Brevi : iuxta criticos rationalistas Christus Pauli 1) est filius Adam vere talis ; sed cuius substantia humana et totalis qua constat 2) praeexsistit in mundo supraterreno ; 3) materia quasi spirituali constat, atque intelligentia qua tota divino spiritu regitur, ita ut 4) possit « spiritus »

(1) " Es ist, gegenüber von Adam und allen seinen Nachkommen, der zweite Mensch der aus Himmel, und seinem Wesen nach, himmlisch ist „. (p. 120).

(2) *Apostol. Zeitalt.* 119–122 Eadem, etsi multo implexius, et forma quae vix intelligi potest, tradit Holtzmann *Neutest. Theol.* Pauli 2, 73–92.

appellari (1). 5) Humanitas haec sive caro qua Christus constat nec in illo altiori statu, nec cum ad terras descendit, peccato infecta fuit sicut humanitas sive caro ceterorum hominum 6) Dum in coelis versaretur, conditione fruebatur liberrima ac nobili qua tamen voluntarie sese abdicavit ut servilem conditionem sicut ceteri homines, indueret cum in terras descendit.

Sed merito ipsa iam collatio primi ac secundi membri quaestionem provocat de iure quo tribuitur Apostolo conceptio evidenter contradictoria ac pugnans in notionibus quibus constat. Si Christus vere filius Adami est, ac certissime est secundum Paulum, cum sit filius Abraham ac David qui rursus posteri Adami sunt; quo pacto fieri potest ut eius humana substantia, qua tamen unice, iuxta Weizsäcker, Christi persona constat, secundum opinionem Pauli, praeexsisteret eius in terras adventui? Nam si est " filius „ Adam, in terras non aliter advenit quam generatione et partu sicut reliqui homines. Quod si dicatur Paulum miro modo concipere illum descensum ita ut, ope naturae illius quasi spiritualis, penetrare Christus posset in organa genitalia, quomodo salvatur id quod saepe dicit Apostolus, Christum secundum carnem, κατὰ σάρκα, " factum fuisse „ ex semine David (γενόμενον ἐκ σπέρματος Δαυείδ)? Evidenter Paulus vult dicere quidquid in Christo caro i. e. humanum, est, id totum ex semine David derivatum atque ex more evolutum fuisse (2): si quidquid caro, i. e. humanum, in Christo est, ex semine David, sicut in reliquis Davidis posteris, derivatum est, caro sive humanitas Christi non potuit ante temporalem eius generationem exsistere! Eadempugna adest cum 3° puncto. Si Christus ut homo, aut quidquid humanum in Christo est, ea suorum progenitorum semine derivatum est, substantia humanitatis Christi non potest iuxta Paulum esse coelestis, nec spiritualis, nec exsistere ullo modo aut frui quavis conditione vivendi quae ex humana generatione orta non sit.

Et re vera Paulus id nullibi aut dicit aut insinuat: sed in Christo sub unitate personae manifeste duplicem naturam distinguit, divinam et humanam; et quae de personae praeexsistentia ac sublimi conditione asserit, sicut quae de eius cooperatione

(1) 2 Cor. 7, 17.

(2) Excepta utique ipsa virilis seminis depositione in matris uterum, quae non per genitorem, sed per Spiritum S. praeter naturam suppleta est; at maternum non abfuit.

non solum ad mundi vel rerum administrationem, sed ad primordialem quoque earum molitionem, non secundum humanam sed secundum divinam naturam ei applicat. Nec ex eo quod caro Christi ex semine Adam et David derivetur vera generatione, sequitur eam esse peccato infectam: quia peccatum non est ulla affectio intrinseca naturae humanae prout talis: peccatum, etiam originale, versatur in ordine morali, non physico; cum in Adamo fuerit voluntaria transgressio divini praecepti; et in posteris, macula ex hac trangressione promanans, quae, sicut potest auferri et aufertur per primam iustificationem, sic potest ex divina dispositione suspendi, manente humana natura in sua physica integritate (1). Quo autem sensu Paulus appellet Christum " spiritum „ (2 Cor. 3, 17) ac novum hominem, spiritualem, coelestem explicabimus ubi de opere restitutionis.

4. Unio naturarum in Christo secundum Paulum: κένωσις paulina.

Quae de Christo Deo et homine dicta sunt, sponte suum complementum quaerunt in dicendis de utriusque naturae nexu sub unitate Personae. Ut vero qualis haec fuerit in mente Pauli innotescat, sufficit attente legere atque analysi subiicere ea quae Phil. 2, 6–11 Apostolus de Christo disserit. Duas conditiones successivas in eius exsistentia a Paulo distingui evidens est, sicut etiam duas naturas divinam et humanam. Sub notione μορφῆς " naturam „ in utraque conditione intelligi perspicuum est, cum forma humana, quam Paulus Christo tribuit, non umbratilem, aut similem tantum etsi realem, sed omnino eamdem specie cum reliquis hominibus perspicue significet, utpote quae per veram generationem ex Adamo per Patriarchas (Rom. 9, 5) et Davidem (Act. 13, 23; Rom. 1, 3) ac demum per matrem (Gal. 4, 4) ad Christum transfundatur. Superiorem vero quam in primo stadio possidebat, esse vere divinam, liquido ostendimus superius. Rursus, utramque hanc naturam a Paulo concipi sub " unica, identica, eaque divina „, persona, evidens est, nam subiectum diversarum praedicationum quae Christo tribuuntur per totam pericopen, i. e. in utroque statu et sub singulis naturis unum idem-

(1) Tota Weizsäckeri incomprehensibilis et contradictoria theoria fundamentum habet in eius erronea conceptione " peccati originalis „ quod cum Flaccio Illyrico reponit procul dubio in morbosa affectione quae naturae humanae in ipso eius esse physico essentialiter inhaesit.

que est; et aliunde idem ille qui primum possidet divinam naturam et deinde assumit humanam, nequit non esse " Deus „ i. e. persona divina. Ille enim qui in Iesu loquitur homo est; at simul de se dicit sub eadem personalitate per idem pronomen " ego „ significata, esse " unum „ cum Deo (Ioann. 10, 30), actionesque exercere numerice easdem cum eo (Ioann. 5, 17–20). Idem proinde ille qui in forma divina praeexsistit, idem dein humanam assumit, idemque se humiliat, patitur, moritur, glorificatur. Facta igitur unione, persona perseverat unica, eademque divina: et Christus est vere id quod theologia catholica appellat " compositum theandricum „. Susceptione humanae naturae divinam nec evanuisse, nec conversam in humanam esse, aut ab ea absorptam in opinione Pauli, perspicuum est ex his locis ubi de Christi origine ex hominibus loquitur: constanter enim originem hanc ad " solam carnem „ i. e. humanam naturam restringit (Act. 13, 23; Rom. 1, 3; 9, 5), id quod nullum sensum haberet nisi in Christo ultra naturam humanam, etiam sub unione, naturam divinam divinamque proin personalitatem agnosceret, i. e. nisi eadem illa natura quam ante incarnationem habuit, identica dein perseveraret (1).

Hinc apparet quid sub κενώσει Apostolus intelligat. Non potest intelligere neque destructionem, neque evanescentiam, neque conversionem, neque absorptionem; quia praeterquam quod divina natura et personalitas nec in se nec opinione Pauli potest aut destrui, aut evanescere, aut converti in inferiorem aut ab ea absorberi ita ut in illam refundatur; locutiones illae omnes quae ortum ac generationem Christi in terris limitant ad elementum humanum (v. gr. Rom. 1, 2; 9, 5), nullum aptum sensum retinent in hypothesi cuiusvis disparitionis divinae naturae; cum in tali hypothesi nihil iam supersit, a quo humanum possit aut debeat distingui. Si enim elementum superius, in praeexsistentia habitum, quomodocumque evanuit, iam quidquid in Christo adest, ex progenitoribus derivatum et mere humanum est, nec ei adiacet quidquam non tale a quo distinguatur. Similiter, si praeter hu-

(1) Id est, conceptio Pauli de Christo eadem penitus est quam Ioannes in suo Evangelio tradit. Idem ille qui in principio i. e. tempore creationis, iam erat, quique erat apud Deum et Deus ipse, per quem mundus factus est; idem Ille, Verbum, fit " caro „ i. e. " homo „, atque ita ut, homo factus, vere sit i. e. pergat esse " Unigenitus Patris „.

manam naturam non simul adest divina in Christo etiam post unionem et sub unione, nullum sensum habent Apostoli verba quibus Christi excelsam dignitatem extollit v. gr. cum dicit in eo habitare " plenitudinem divinitatis " corporaliter „ (τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς Col. 1, 19 ; 2, 9) i. e in carne sive humana natura ; talis enim locutio, sicut in simultanea praesentia duplicis naturae sub unitate personae optime intelligitur, sic plane caret sensu in hypothesi contraria.

Sed opus non est locum ad Phil. 2, 6–11 relinquere ut Pauli veram mentem de natura κενώσεως quam admittit liquido perspiciamus. Postquam 7 b dixerat Christum adeo ab ostentanda natura divina quam possidebat abhorruisse, ut " se evacuaret „ suscepta natura servi sive hominis, explanaturus ulterius et magis concrete, quomodo sese evacuaverit, pergit 7 cd 8 : " factus homo sicut ceteri, atque habitu deprehensus velut homo communis. Humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis „. Haec descriptio post v. 6 eo evidenter tendit ut directe non tam formam formae quam operationem operationi, incessum incessui opponat, incessum nempe demissum, incessui oppositum qui exspectandus in vero Deo fuisset. Si autem forma illa nobilior evanuisset per κένωσιν, nullum iam superesset fundamentum talis exspectationis incessus in pompa. Κένωσις, proin iuxta Apostolum, non est amissio divinae formae.

Paulo aliter et simplicius quam reliqui inter protestanticos criticos Weizsäcker κένωσιν explicat. Cum Christus, ait, ante adventum in terras, in forma Dei esset, i. e. more Dei vitam ageret et quasi Deus, hac vivendi lautitia sese exspoliavit servi forma potius suscepta. Exspoliatio in hoc est : quod amplam illius conditionis libertatem servitute commutavit. Christus proin non natura ulla superiori, quam numquam habuit, sese spoliavit, sed libertate pristina (1). Lücken : Christus nedum in cogitationem veniret arripiendi quasi furto naturam divinam, etiam forma illa infra divinitatem, qua fruebatur, sponte se abdicavit, ut servilem humanam assumeret. Nonnihil intimius κενώσεως naturam describit Holtzmann : Christus, idem persona in triplici stadio praeexsistentiae, historiae, et postexsistentiae, videtur nihilominus profundius in proprio « esse » inmutari cum ex praeexsistentia ad historiam descendit, quam sola conditione quasi externa, in opinione Weizsäckeri. Paulus, iuxta Holtzmann, etsi Christum praeexsistentem sub anthropomorphica forma concipiat, illud tamen ei denegat quod Christi historici characteristicum

(1) *Apostol. Zeit.* 121.

est : carnem et sanguinem. Hinc in ἐκένωσεν Christus « proprio esse » se abdicat, non liberae conditionis sorte tantum (1). Si fundamentalia axiomata sive principia respicimus quibus varii hi modi κένωσιν explicandi nituntur, discrimen non magni momenti est : hinc iisdem argumentis refelluntur, atque una eademque est eorum refutatio : in evacuatione sive exinanitione, Christus neque substantia sive « esse » quo fruebatur, neque conditione exinde manante, se, proprie loquendo, abdicavit : abdicatio in hoc tantum stetit quod, cum potuisset, in terris et sub nova « forma », utpote semper verus Deus, divinam naturam constanter manifestam reddere divinis operibus, divino apparatu, noluit ; sed potius habituali hac fastuosa manifestatione omissa, ordinarie ut hominem reliquis similem sese ostendit, contentus indirecta illa sui manifestatione et non plus, quanta necessaria fuit ut per miraculosa opera identidem patrata divinitatem suam demonstraret.

Ceterum si « conditio » quam Weizsäcker memorat tamquam distinctum aliquid ab « esse ipso » sive « natura », de exercitio, ut ita loquamur, « iurium » esse divini quo ante incarnationem Christus fruebatur, intelligitur, nulla est difficultas in revocanda kenosi ad talem conditionem : ex dictis enim ab hoc quasi exercitio se abdicavit Christus. Weizsäckeri tamen theoria « conditionem » adstruit quae a vero illo esse quo fruebatur Christus ante kenosin non manat, sed supra eius exigentiam gratis a Deo concessa ei erat.

5. Christus " spiritus „ : Dominus spiritus est ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν (2 Cor. 3, 17).

Restat solvenda difficultas ex 2 Cor. 3, 17. Nostra aetate critici et interpretes praesertim protestantici, et etiam haud pauci catholici magna contentione atque eruditionis apparatu in huius commatis explanationem incumbunt. Atque ex protestantibus multi, quos inter Weizsäcker, collato hoc loco cum pluribus aliis ubi Paulus de Christi praeexsistentia disserit, deque natura illius " esse „ quo sub illo statu fruebatur, putant se in nostro loco fundamentale argumentum et clavem magistram reperisse ad nodi solutionem. Quandoquidem hic Paulus expressis terminis Christum appellat " spiritum „, declarat eo ipso " esse „ illud Christi tamquam vere humanum quidem, sed " spirituale „ aut quasi spirituale et quod possit vere " spiritus „ appellari. Imo nonnulli, quoniam vident praedicatum sententiae πνεῦμα articulo muniri (τὸ πνεῦμα), Christum in esse praeexsistenti cum spiritu sancto iden-

(1) *Neutest. Theol.* 2, 93.

tificant. At hi omnes tamquam indubium assumunt ὁ κύριος in mente Pauli, Christi personam designare, quo tamen verae solutionis viam nedum aperiant, imo sibi praecludunt: ὁ κύριος non est Christus! Quod ut perspicuum fiat, animadvertatur Paulum illa pericope a v. 12 id agere ut explanet nobilissimam praeconum evangelicorum, imo omnium fidelium conditionem prae iudaeis quoad Christi mysterium perspiciendum. Ut id explanet, locum Exodi 34, 33–35 memorat ubi Moyses dicitur admoto ad faciem velo cum populo solitus fuisse communicare, quod deponebat cum ad Dominum in Tabernaculo faciem converteret. In velo Moysis inter huius illuminatam faciem et populum interposito quod hebraeis lumen divinum occultabat, cernit Paulus symbolum quod coaevorum iudaeorum velum obcaecationis praesignificabat qua prohibentur ne mysterium Christi percipiant i. e. oeconomiam salutis per eum, cum illis praedicatur. Sed sicut Moyse ad Dominum in Tabernaculo inhabitantem converso decidebat velum pandebaturque (ei) gloria divina, sic iudaei, cum convertentur (sicut Moyses ad Dominum in Tabernaculo) velum deponent et mysterium Christi perspicient. Haec vero conversio iudaeorum quae similis est conversioni Moysis ad Dominum in Tabernaculo susceptio est spiritus Evangelii, ita ut quod " Dominus „ in Tabernaculo erat pro Moyse, et ad cuius accessum auferebatur velamen et pandebatur divina gloria, id sit pro iudaeis hodiernis " spiritus Evangelii „, ad quem cum accedant iudaei, decidet ab eorum oculis velamen et perspicient Christi mysterium (1); quia " ubi spiritus Domini adest, ibi servitus esse nequit „, sed libertas qua libere Dei magnalia perspiciantur! Hinc " nos „ i. e. fideles utpote in possessione huius spiritus, speculamur liberrime et plenissime Dei gloriam et eius oeconomiae per Christum magnificentiam.

En vexatissimi commatis genuinus sensus. Ὁ κύριος non est Christus, sed est « Dominus in Tabernaculo » ad quem se convertebat Moyses; et praedicatum τὸ πνεῦμα est « spiritus Evangelii » : hic spiritus est pro iudaeis qui ad Deum nunc convertuntur id quod « Dominus » in Tabernaculo pro Moyse : sicut ad accessum Moysis versus Dominum se-

(1) Notandum est Paulum in comparationibus et in genere orientales, maiori quam nos libertate procedere, et posito in clarum lumen " tertio comparationis „ quod dicitur, de reliquis vel reliquorum parallelismo per singula non esse admodum anxios. Exempla sunt innumera in utroque Testamento.

quebantur illi effectus depositionis veli et manifestationis gloriae divinae, sic ad accessum eorum qui convertuntur, ad spiritum Evangelii, evanescunt umbrae et panditur magnificentia oeconomiae Christi Restauratoris. Cum Paulus de « speculatione » contemplatione aut intuitione mysterii Christi loquitur, non de intuitiva visione intelligendus est, sed de ea a qua impediebantur iudaei (2 Cor. 3, 7. 13. 14. 16). Nimirum etsi in Veteri Oeconomia non deesset notitia de futura oeconomia Evangelii et Ecclesiae, cum Prophetae omnia haec praedicerent, notitia tamen quae per vaticinia comparabatur erat admodum pallida et imperfecta si cum ea confertur quae ex Christi et apostolorum praedicatione ac doctrina obtinetur : ideo ipsi Prophetae efferunt quam maxime hanc de divinis ac de Deo notitiam in aevo messianico. (Cfr. Isai. 11, 9 ; 30, 13 etc.). Nec igitur Paulus in « Domino » de Christo cogitat ; nec copula « est » vim habet identitatis sed aequivalentiae aut similitudinis in effectibus.

Excursus de Christi natura deque eius κενώσει et δόξῃ

Theoria novissime a J. Weissio proposita.

Novissime J. Weiss theoriam inducit quam appellat " dynamicam „ ut Pauli de Christi gloria ac demissione doctrinam explanet. Appellatur " dynamica „ nova theoria quia Christum personalitate spoliatum ad simplicem " energiam „ sive " virtutem „ δύναμιν revocat. Hac theoria vult Weiss in summam et veluti ultimum extractum colligere ea quae praecedentes critici de Christo statuerant cum eum adhuc ut iustam personam cogitabant. Nemo mirari debet, ait Weiss, quod ad Pauli mentem de Christo explicandam Christus in nova theoria spolietur personalitate : Pauli aetate mentes pervaserat persuasio de exsistentia virtutis cuiusdam intermediae inter Deum et mundum, cuius tamen indoles inter personalitatem et impersonalitatem fluctuabat. His positis, en theoriae praecipua capita.

1° Christus in se

Christus est *a*) *verus* Dei Filius (Rom. 8, 32) non tamen per " generationem „ — generationem ex Deo ignorat Apostolus — sed per " emanationem „ : Christus iam ante suam exsistentiam historicam (i. e. in terris) erat Dei " gloria, splendor ac virtus „.

Talem in mente Pauli Christum nobis exhibent illa testimonia ubi Apostolus Christum in sua superiori natura proponit ut Dei " imaginem „ (resplendentiam, refulgentiam, splendorem substantiae Dei): Christus semper fuit gloria, maiestas Dei ipsius: Logos Dei (1).

b) est " virtus mundi creatrix „, imo eius " anima „. Primum apparet ex 1 Cor. 8, 6 ubi Pater et Christus proponuntur in sua relatione ad mundum ita ut huius ab utroque dependentia per diversas praepositiones exprimatur quae causalitatem sonant: a Patre, per ἐκ, a Christo per διά. Hinc Christus est causa instrumentalis creationis sicut Logos apud Philonem. Alterum ex Col. 1, 15–17, ubi describitur veluti principium quod vivificat, informat atque ad harmonicam unitatem revocat rerum creatarum complexum: appellatur enim " imago Dei invisibilis, primogenitus universae creationis „, per illum et in ordine ad illum condita sunt etiam nobilissima inter creata. Descriptio prodit conceptionem hellenisticam; vel sub forma philoniana de Logo, vel sub biblica de Sapientia: hanc ultimam suadet locus 2 Cor. 3, 17, ubi Christus appellatur " spiritus „ (2).

c) Christus est " homo coelestis „. Cum iuxta Philipp. 2, 11. 12; Col. 1, 16; 2, 10; Eph. 1, 10. 21 Christus post exaltationem superior sit nobilissimis inter creata; imo, cum etiam ante exsistentiam historicam vicinior illis omnibus Deo sit, posset aliquis suspicari num Paulus Christum Deum existimaret; at Paulus sive conscius sive inconscius numquam Christum appellat Deum. Sed neque angelum facit, verum angelis maiorem. Paulus Christum cogitat hominem " coelestem „, idque non solum post exaltationem sed ante exsistentiam historicam. Nec obstat Philipp. 2, 6–11: Pauli realismus, i. e. applicatio concreta notionum abstractarum permittebat Apostolo ambitum admodum laxum; praeter corpus terrenum et materiale, admittebat corpus " coeleste „ et " pneumaticum „ (1 Cor. 15, 40. 44) (3).

2° **Incarnatio**

Paulus Phil. 2, 7 admittit in Christo metamorphosin, mutationem vel transitum ex " forma „ praecedenti ad novam (4), ma-

(1) *Urchrist.* 367. 368.
(2) Pag. 368–372.
(3) 373–376.
(4) Id est, coelesti ad terrenam.

nente eodem subiecto. At quo processu? Certe " incarnatione „ non. Paulus nec usurpat vocem " incarnatio „, nec adhibet sicut Ioannes formulam " homo factus est „, quia non audet affirmare de Christo proprie dictam " humanitatem „, Huius haesitationis ratio intelligitur ex assertione Rom. 8, 3. 4 quod " peccatum per carnem supplicio affectum est in cruce „. Haec assertio supponeret Christi carnem peccato infectam fuisse (1), cum tamen 2 Cor. 5, 18 asserat Paulus Christum " ignorasse peccatum „, inter duo haec extrema adhibuit, cum de descensu in terras, formulam intermediam de carne quae " similis „ esset nostrae. Nimirum Paulus hic, sicut alias saepe, duplici contraria traditione premitur: speculatione apocalyptica de Messia quae hunc " hominem coelestem „, facit; traditione christiana-praepaulina de Iesu quae hunc hominem " terrenum „ exhibebat: Paulus nodum solvit inducta formula compromissoria: Christus, homo coelestis, non veram, sed verae similem carnem assumpsit: sic ex " coelesti „ ad " terrenam „ formam transitum peregit (2).

3° **Mors et resurrectio**

Cum Christus, sponte dimissa in coelis forma deitatis (3) in terras descendit, formam humanam induit quam Paulus appellat " servi formam „. Servitus haec cui Christus se subiecit, servitus est " sub elementis *mundi* „, quippe hac sola conditione poterat " his elementis mori „ et cum eo fideles, prout Col. 2, 20 supponit. Aliunde iuxta 1 Cor. 2, 8 Christus crucifixus est non ab hominibus sed a " principibus *mundi* „ i. e. ab angelicis potestatibus " mundo „ dominantibus, atque ita ut iuxta Col. 2, 14–15 in Christi crucifixione duellum immane inter Deum et potestates illas mediante Christo, initum sit, quo per Christum Deus illas profligavit atque dominio spoliavit, erepta ex earum faucibus praeda, quam certam existimabant, Christum, qui triumphans in coelos exaltatus a Deo est. Caro per quam peccatum regnabat, utique crucifixa est; at Filius Dei ereptus est a morte atque a potestatum cosmicarum dominio (4).

(1) Secus quo pacto in Christi carne peccatum potuit supplicio affici?

(2) p. 376–378.

(3) Christus " die göttliche Gestalt abgelet hat „ (p. 380).

(4) p. 380-382. Theoria Weissii haud multum differt ab illa Weizsäckeri cuius assiduus lector et aemulator proditur passim Professor göttingensis.

En quo tandem pervenit rationalistica speculatio post tot labores, post tam subtilium investigationum apparatum: ad docetismum cerinthianum! At quibus demum argumentis singula suae explicationis capita munit? Ad primum caput de Christi persona quod attinet, affirmat Weiss Paulum, etsi Christum " proprium Dei Filium „ appellet, id non per veram generationem intelligere quam numquam meminit. At quid significat in ore vel sub calamo Pauli praedicatum πρωτότοκος Christo applicatum? Weiss agnoscit appellationem; sed in tali voce ait vim a Paulo " procul dubio „ reponi non in secundo sed in primo elemento vocabuli. Certe id " indubium, obvium „ erit supposito Weissii postulato de Christi indole " creata „ et homogenea cum creatione qua prius genitus dicitur: at de hoc ipso agitur; num Paulus Christum cogitet creatum et homogeneum natura et origine cum creatione. Porro si vocabula sunt signa conceptuum, accuratio qua constanter adhibet Paulus verbum κτίζω ac derivata cum de creationis complexu loquitur, dum de Christo usurpat eadem persistentia aut verbum τίκτω aut sua derivata, numquam κτίζω vel sua, perspicue Apostoli mentem prodit. Non ergo verum est in mente Pauli Christum a Deo per " emanationem „ derivari; ac proin locutiones quibus appellatur " gloria, splendor, virtus „ Dei, metaphoricae sunt ad exprimenda quantum sermone humano licet, nonnulla eius praedicata: consubstantialitatem, perfectam similitudinem. Rursus, si est verus Filius per generationem et vera persona, non est " Logos „ philonianus vel stoicorum, cum horum Logos, secundum Weiss, vera persona non sit bene definita. Demum: nec est " virtus mundi creatrix aut mundi anima, sed " verus creator „ per efficientiam, ita ut ab effectu maneat perfecte segregatus. Quod 1 Cor. 8, 6 habitudo mundi ad Deum exprimatur per ἐκ, ad Christum per διά non est quia causalitas utriusque ad creata non sit aeque efficiens, cum natura divina quae operationem exercet communis utrique sit; sed quia, cum efficientia possit ex aequo per utramque propositionem exprimi et exprimitur de facto ab Apostolo (Cfr. 1 Cor. 1, 9), Paulus ob sermonis ornatum et concinnitatem diversa particula pro diversa persona efficiente usus est. Explicatio vero verborum Col. 1, 15–17 de Logo spermatico creationem informante eiusque energias ad unitatem harmonicam revocante, omnino contraria est paulinarum sententiarum tenori iuxta quem nonnisi de causalitate efficiente per singula membra sermo est. Id sonat lo-

cutio : ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα ; nam ἐν hebraismus est pro ב = per : similiter illa τὰ πάντα δι' αὐτοῦ ἔκτισται ; ac demum tertia : αὐτός ἐστιν πρὸ πάντων, praesertim post duas praecedentes, aliter nequit explicari quam de praeexistentia cum adaequata distinctione ac separatione a mundo.

Quo autem sensu dicatur Christus « homo coelestis » non est difficile intelligere ex nexu quem Paulus statuit inter Christi resurrectionem et resurrectionem iustorum sibi incorporatorum : Christus est sua resurrectione exemplar et primitiae resurrecturorum : et quoniam in resurrectione corpora tam Christi quam suorum, liberantur a servitute corruptionis i. e. mortalitatis ac terrenae habitationis, et induuntur dotibus proportionatis novo statui in coelis, ideo Christus qua resurgens dicitur « homo coelestis », homo ex quo derivatur « progenies resurgentium in gloria » quorum habitatio coelum est ; sicut ex Adamo progenies mortalium qui in terra degunt. Non vero appellatur coelestis quasi aut praeter corpus quod in terris gessit habeat vel habuerit umquam aliud corpus, aut quasi corpus terrenum transmutetur in aliam materiam.

De incarnatione. Paulus quidem non adhibet formulam : " Christus homo factus est „ ; at certo docet rem hac formula significatam, cum personam Filii, praeter naturam divinam quam habebat ante adventum in terras, describat dein " humana natura „ indutam, quam per veram generationem " ex Abraham, David et muliere „ assumpsit. Incarnatio vero et nativitas Christi quomodo ita explicetur ut intelligentia nihil solidum ac rationale opponere possit, catechismus elementaris, multo autem magis Symbolum, quod athanasianum dicitur, docet.

De " peccato in carne „ et " carne peccati „ iam diximus, sicut de vera natura conditionis Christi tam ante quam in historia eius terrena. Docetismus Pauli est ridiculum rationalistarum commentum.

Quae de morte ac resurrectione Christi addit Weiss adeo peregrina, arbitraria, absona et ridicula sunt ut satis mirari non possis quomodo in mentem viri ceteroquin docti, qui que identidem cordatum se prodit, venire potuerint.

III. Opus Christi restitutorium.

1. Notio restitutionis per Christum peragendae: primordialis protoparentum conditio.

Monet Concilium Tridentinum ad bene sincereque intelligendam doctrinam de restitutione per Christum, praeintelligi oportere lapsum Adami et cum Adamo totius humani generis in originalem labem, quo a felici illa conditione decidit quam in primordiali creatione sortiti erant tum protoparentes tum eorum posteritas perpetuo possidendam, si Adamus divino praecepto fidelis fuisset (1). Concilii monitum opportunum est, cum et ipsa notio "restitutionis,, id subaudiat, et tota Novi Testamenti, speciatim vero paulina de Christi reparatione conceptio, hoc fundamento superstruatur. Iuxta Apostoli conceptionem quae saepissime in eius scriptis recurrit, Christus pretio suae passionis et mortis id effecit ut genus humanum in pristinam quamdam altiorem ac nobiliorem conditionem redintegraretur a qua per Adami lapsum decidit. Eph. 4, 23 hortatur fideles Paulus ut omni conatu curent plenissime sibi applicare illam in spiritu "renovationem,, qua in iustificatione per baptismum ita regeneratur fidelis ut induat novum hominem, "illum scilicet qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis,,. Haud aliter Rom. 5, 12–19 Apostolus totus est in conferenda restitutione per Christum cum ruina ex Adami lapsu, ut parallelismum inter utrumque extremum ostendat, etsi utique pluribus nominibus restitutio ruinam excedat.

Quaenam autem et qualis fuerit primordialis illa beata conditio, duplici via cognosci potest: aut directe ex historia creationis et lapsus, aut indirecte ex restitutionis descriptione. Historia genesiaca haec nobis de illa conditione tradit: 1) in primordiali ante lapsum statu homo immortalitatis dono fruebatur. Nam mors quae veluti lapsus poena primo homini imposita fuit (Gen. 2, 17), non erat mors actu illico incurrenda, cum, adveniente lapsu, non continuo mortuus sit (Gen. 3, 6-9); sed mortalitas i. e. morti obnoxietas (Gen. 3, 19). 2) eo ipso aderat quoque immunitas ab aerumnis huius vitae, quae mortis ipsius praeparatio sunt et quasi pars. 3) aderat praeterea donum integritatis naturae, i. e. talis inter superiora et inferiora naturae humanae elementa con-

(1) *Sess. 6* cap. 1.

temperatio ut, secus atque nunc accidit, inferioribus superiora « despotico » quod dicitur, non mere « politico », ut nunc, dominio imperitarent; i. e. ut inferiora nec praevenirent pravis motibus liberum arbitrium, nec semel exorta invito reluctarentur (Gen. 2, 25). 4) Aderat demum beata quaedam generalis naturae dispositio qua ultra nativas eius leges et conditionem evecta erat. Hoc donorum complexu, maxime tertio et quarto, innuitur satis perspicue supranaturalis ac plane gratuiti doni possessio, i. e. gratiae, qua homo Deo gratus non utcumque, sed in altiori quodam ordine, atque eo ipso ad beatitudinem naturali superiorem destinatus apparet.

Quod vero in historia creationis nonnisi indirecte, etsi haud obscure, insinuatum reperimus, id multo expressius in citatis locis apud Paulum detegitur. Locus classicus est idem ille nuper citatus Eph. 4, 22. 23 ubi Paulus Evangelii ac vitae christianae ad cuius praxin hortatur, summam in renovatione reponit qua fideles in iustificatione baptismali corruptionem deponunt veteris hominis ut novum induant "qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis„. "Christum didicistis, scribit, secundum eius veritatem: (cuius summa est) ut deponatis veterem hominem corruptum per concupiscentias erroris, et renovemini spiritu mentis vestrae atque induatis novum hominem, illum qui creatus est secundum Deum in iustitia et sanctitate veritatis„. Scilicet renovatio in baptismo fit; sed iustitia tunc recepta virtutum exercitio iugiter fovenda est, utpote ad vitam sanctam promovendam destinata. At quisnam in mente Pauli ille novus homo est qui in iustificatis rursus in exsistentiam vocatur, "ille qui secundum Deum creatus erat (κτισθέντα) in iustitia et sanctitate *veritatis* „ i. e. *rectitudinis?* Estne Adam? an Christus? Recentiores nonnulli (Knab., Eph. p. 134; Belser, *Der Epheserbr.* p. 197) intelligunt Christum "qui nunc in iustificatis a Deo creatur„ iustitia ac sanctitate ornatus. At obstat aoristus; nam esti verum sit formam in iustificatione receptam inducere in iustificato "novam creationem vel creaturam„ quae insuper "Christum„ vel eius "imaginem refert„ (1 Cor. 15, 49), tamen de illa non tam proprie adhiberetur tempus transactum; nam non solum oeconomia iustificationis ad exemplar Christi per Evangelium inducta, sed Christus ipse, exemplar in ea referendum, non "pridem„ sed "recens„ creatus erat. Melius igitur iustificati, forma iustitiae ornati per Christum inductae, restaurant Adamum qui iam olim in prima creatione, "in iustitia et sanctitate veritatis„ ipse quoque creatus

erat. Hinc discimus genuinam Pauli mentem cum Rom. 5, 12-19 parallelismum describit inter Christi reparationem et ruinam per Adamum. Non agitur solum de mera termini universalitate qua sicut Adam " omnibus „ nocuit, ita Christus " omnibus „ profuerit : haec universalitas eadem exstaret, tametsi conditio per Christum parta vel citra amissam stetisset, vel ultra eandem progrederetur. Apostoli autem verba Eph. 4, 23 perfectam identitatem statuunt inter conditionem fidelibus per Christum comparatam et illam qua primus homo ante lapsum fruebatur : Paulus conditionem ad quam fidelis per baptismi iustificationem evehitur illam ipsam esse declarat qua Deus gratis Adamum donavit : utraque *iustitia* constat et *sanctitate rectitudinis* (1).

Patres aliqui (Chrys. Hom. 13 in Eph. M. 62, 95. 96 ; Theodoret. Eph. 4, 23 M. 82, 541. 542) « novum hominem a Deo creatum in iustitia et sanctitate veritatis » quem iustificati secundum nostrum locum induunt, non intelligunt ullam personam sive hominem subsistentem, neque Adamum neque Christum, quem iustificati in se referant ; sed formam ipsam iustificato infusam quae « nova » est et a Deo creatur, itemque iustitia et sanctitate constat. Nihilominus 1) Tridentinum sess. 5 can. 1, habito prae oculis, sine dubio, nostro loco, tradit expresse « Adamum in sanctitate et iustitia constitutum fuisse ». 2) doctrina item catholica passim tenet exclusionem a Dei visione « poenam esse peccati » a qua Christus homines liberavit : id autem sensu caret si Adam ad supernaturalem ordinem evectus non est. 3) Tametsi « novus homo » quem iustificati induunt, in mente Pauli « directe » esset forma ipsa iustificato infusa, agnoscendum nihilominus est in sententiae Apostoli complexu praesertim in « creatione secundum Deum » i. e. ad imaginem Dei, perspicue prodi allusionem ad Gen. 1, 26. 27 ; 2, 7. Et quoniam sequentia : « in iustitia et sanctitate veritatis », attento contextu, non de naturalibus principiis, sed de supranaturalibus explicari necesse est, vix dubium esse potest quin in scribenda pericope Eph. 4, 22. 23 beata protoparentum conditio in Eden primis diebus creationis Apostoli menti obversata sit veluti exemplum sive typus quem christiana iustificatio restaurat ac refert (2).

Ceterum " creatio „ de qua Paulus loquitur cum primum hominem *creatum* dicit „ in iustitia et sanctitate veritatis „, non est necesse ut de puncto ipso temporis intelligatur quo primitus

(1) אמת apud hebr. veritatem et rectitudinem significat, et Paulus hoc loco vocem in altero sensu sumit.

(2) Cfr Scheeben, *Dogmatik* 2, 495.

Adam ad exsistentiam vocatus est: conditio sive molitio primordialis (κτίσις) complectitur universam operationem divinam in hexaëmerico labore impensam donec mundus illam formam accepit quam habuit cum perfecto creationis opere Deus die septimo requievit. Hinc non est necesse ut homo iam in primo suae exsistentiae momento, et simul cum natura qua constat, gratiam et dona supernaturalia reciperet: sufficit ut post naturalem creationem ad supranaturalem statum eveheretur (1). Fortassis etiam aliquis haud facile conciliet quae hic de primordiali homine ad supranaturalem conditionem evecto Paulum ad Ephesios docere dicimus, cum his quae 1 Cor. 15, 45–50 de habitudine inter Adamum et Christum disserit per ordinem ad naturam et gratiam, ad conditionem scilicet naturalem ac supranaturalem: hoc enim ad Corinthios loco quidquid ultra naturam in hominibus adest a Deo in ordine supranaturali collatum, videtur Apostolus ad solum Christum eiusque opus revocare, ita ut Adam eiusque posteri nonnisi per Christum supranaturalia participaverint: " Factus est primus Adam, inquit, in animam viventem „, i. e. in " animal vivum „ principio vitali instructum, utique non irrationali sicut bestiae, sed humano ac rationali, non tamen ultra naturae limites; " novissimus Adam, i. e. Christus, in spiritum vivificantem „. Cum nempe, ut ex historia genesiaca constat (Gen. 1, 26. 27; 2, 7) in primo membro de Adami creatione in ordine physico sermo sit et secundum constitutiva naturae, eius oppositio ad Christum veluti " pneumatici „ ordinis moderatorem ac fontem, videtur aut excludere penitus primum hominem ab ordine " pneumatico „ i e. gratiae ac supranaturalitatis; aut, si ad hunc ordinem evectus est, id nonnisi dependenter ab opere restitutorio Christi contigisse, et sic non ex primordiali hominis constitutione et ante lapsum, ita ut Christus genus humanum minime restituerit in gratiam per lapsum amissam.

At si Apostoli contextus accurate perpenditur, potius contrarium evincitur. Nam, omissis aliis, certum est Christum ibi appellari " spiritum vivificatorem „ non ratione totius sui operis restitutorii, sed solum ratione " futurae glorificationis corporeae „ veluti eius effectorem et exemplar; in conceptione autem paulina supernaturalia dona iustificationis non ad corpus in vita futura,

(1) Inter theologos duplex de hac re viget sententia; sed sine aut fidei aut rectae doctrinae iactura licet cuivis alterutram tenere quam malit.

sed ad animum in praesenti pertinent. Hinc quaecumque fuisset oeconomia relate ad primaevam hominis conditionem, ac sive ultra naturae dona ditatus esset, sive non, gratiae dona haec nullo modo a Christi futura resurrectione pendebant, sicque potuit primus homo supranaturalibus praerogativis augeri, etiam stante praesenti providentia restitutionis per Christum.

Cum vero dicimus in paulinis de Christi opere restitutorio descriptionibus atque in ipsa restitutionis notione talem redintegrationem significari ut non minus homo per Christum recuperaverit quam per lapsum amiserat, id non ita intelligimus quasi haec plena restitutio iam in hac vita ab omnibus et singulis conferat totum illum complexum quem Adam possedit: id enim nec iustum nec possibile erat. Sufficiebat ut illa quidem statim restituerentur sine quibus supranaturalis beatitudo ad quam ordinantur, obtineri non poterat: cetera vero sub certis conditionibus, ut melius intelligetur postquam lapsum in Adamo explicuerimus.

2. Lapsus in Adamo.

Quamvis, ut ex contextu Rom. 5, 12 constat, Paulus minime fuerit, aut primus articuli de peccato originali detector, aut primus eius promulgator, sed caput hoc revelationis christianae ut notum supponat (1), nihilominus membrum hoc est adeo praecipuum in paulino organismo ut eius summaria expositio vix non necessaria sit si iustam de Christi restitutione in mente Apostoli notionem assequi volumus, cum Paulus processum ruinae in Adamo eiusque effectus proponat veluti normam quam quasi e vestigio sequatur Christi restitutio. Iam ipsam Adami personam Apostolus describit veluti Christi Reparatoris typum (Rom. 5, 14; 1 Cor. 15, 22); qua summaria notione insinuatur per compendium id quod expressius et directe per decursum sectionis 5, 12–19, praesertim vero v. 12, enucleate evolvitur. Pauli de protoparentis lapsu huiusque effectibus mens, licet concise, perspicue tamen panditur illis: " per unum hominem peccatum ingressum est in mundum, ac per peccatum mors; et sic in omnes homines mors pertransiit per quem omnes peccaverunt „. Δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθεν καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θά-

(1) Notandum enim 5, 12–19 in parallelismo inter ruinam per Adamum et restaurationem per Christum, primam afferri ad illustrationem alterius, et sic notam supponi.

νατος, καὶ οὕτως εἰς πάντας ἀνθρώπους ὁ θάνατος διῆλθεν, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον : Si periodi structuram observemus, facile animadvertimus eam quadruplici membro constare ita symmetrice disposito, ut duo protasis membra iterentur in apodosi ordine chiastico, dum quartum primo, tertium secundo respondet, hoc discrimine quod in apodosi exprimatur universalitas peccati et mortis quae in protasi omittitur. En sententiae schema :

Per unum hominem, peccatum ; — et per peccatum, mors :
ideo
in omnes pertransiit mors — quatenus omnibus peccatum inest.

Ex hac iam dispositione apparet " peccatum „ de quo in primo membro et quarto unum idemque in mente Pauli esse. In protasi, praecisa amplitudine stragis, effertur solum mutuus ac necessarius peccati ac mortis nexus : " peccatum unius vehiculum et causa fuit mortis, quae et qualis in mundo cernitur : mors vicissim est effectus peccati unius : per peccatum (unius), mors „. In apodosi effertur utriusque universalitas veluti spontanea resultantia facti, quale in protasi describitur.

At accuratiorem sententiae analysin instituamus. 1) Paulus in 2° membro non solum dicit peccante « illo uno » ingressam fuisse mortem in mundum, sed ingressam per peccatum illud ; διὰ τῆς ἁμαρτίας, vi illius peccati et tamquam eius poenam (Cfr. Rom. 6, 23). In 3° membro addit : « hoc modo » οὕτως, « quatenus mors intravit in mundum tamquam poena illius peccati de quo in 1° et 2° membro, invasit omnes homines ». Si mors invasit omnes qua poena peccati et peccati unius, obvium est concludere, iuxta mentem Pauli, mortem, quemcumque invadat, invadere « in poenam peccati illius unius » : et quandoquidem dein in 4° membro dicitur « omnes a morte invadi quatenus omnes peccaverunt », eadem consecutione sequitur mortem in unoquoqe esse poenam et peccati illius unius et peccati singulorum ; i. e. iuxta Paulum, peccatum illius unius et peccatum singulorum relate ad commerendam mortem, esse unum idemque peccatum : secus enim sequeretur mortem singulorum esse simul poenam duplicis peccati seorsim sumpti. 2) Textu aperte proclamante in 4° membro et nemine refragante, peccatum unius infert mortem omnium quatenus prius infert peccatum omnium : omnes moriuntur morte quae est poena peccati unius quia omnes peccant. Iamvero peccatum unius non infert peccatum « personale » singulorum ut ratione constat et facto comprobatur ; cum multi, non solum infantes, sed adulti moriantur sine peccato personali, vel quia mors eos cito occupat, vel quia etiam in diuturna vita non peccant. Itaque peccatum quod in omnes inducitur per peccatum unius non est

peccatum « personale ». Ergo cum in 4° membro dicuntur « omnes » peccasse, id non de peccato personali potest intelligi, sed quia « uno peccante » omnes cum illo peccaverunt. Eamdem mentem ostendit Paulus vv. 18. 19 cum dicit per peccatum « unius » constitutos fuisse peccatores « multos ». Si per peccatum et inobedientiam unius constituuntur peccatores et inobedientes « multi », peccatum et inobedientia unius est simul peccatum et inobedientia « multorum » (1). Si per peccatum et inobedientiam « unius » constituuntur inobedientes et peccatores « multi », illa ipsa inobedientia, illud ipsum peccatum commune simul est « uni et multis ». Hinc fit ut in expressione ἐφ' ᾧ perinde sit sive relativum intelligamus neutro genere et praepositionem ἐπί sensu causali : « super quo, propter quod, quia » ; sive masculino genere et ἐπί sensu locali, i. e. continentiae : « in quo (Adamo) omnes peccarunt » (2), in utroque casu ordo membrorum et contextus ostendunt inter peccatum omnium et peccatum unius talem nexum intercedere iuxta mentem Pauli ut peccatum unius mortem omnium induxerit quia certo quodam sensu peccatum unius est simul peccatum omnium. Ratiocinatio Pauli haec est : peccatum unius est causa mortis qualis sese in mundo prodit : sed mors in mundo sese universalem prodit, omnes homines invadit : ergo peccatum unius illius hominis peccatum omnium fuit. Vel : cum mortis causa unica et vera sit peccatum unius, mors est universalis quia peccatum illud est universale.

De sensu sententiae generali vix esse potest, nec de facto adest, ulla seria difficultas aut controversia : haec tunc solum incipit cum de « gradu » et « sensu » identitatis vel aequivalentiae inter peccatum om-

(1) Id iam Bengel, etsi acatholicus, probe perspexit : " omnes, eo peccante, peccarunt „.

(2) Philipp. 3, 22 particula ἐφ' ᾧ sensum habet causalem, et relativum est in neutro genere ; hinc locus hic nostrum mirifice illustrat, cum in nostro quoque contextus, si non absolute postulat, libenter saltem admittat hunc sensum, et Vulg. utrobique transtulerit " in quo „. Certe admodum crebro supponitur in mente latini interpretis locutionem habere Rom. 5, 12 sensum continentialem, potissimum ob latinos medii aevi interpretes. At mens latini interpretis certa non est, cum in citato loco ad Phil. graecam particulam etsi verterit " in quo „ minime continentiali sensu intellexerit. Ceterum sensus continentialis non est adeo absonus ut multi putant : particula ἐπί saepe habet hunc valorem, et noster contextus eum minime respuit. Distantia nominis " Adam „ nonnihil obstat, sed non admodum. In omni hypothesi sensus substantialis non mutatur. B. Weiss (p. 238) ait *catholicam* interpretationem a temporibus Origenis continentiali sensu sententiam intellexisse : at non debet confundi latinorum ac medii aevi interpretatio cum " catholica „. Particulam ἐπί cum dat. sensu causali intellexerunt passim graeci quorum sensum concise et egregie resumit Photius (Amphil. 5, 84) : " ἐφ' ᾧ causam indicat, atque ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον idem est quod διότι πάντες ἥμαρτον „.

nium et peccatum unius est sermo ; quodque consequens est de rigorosa vel latiore mortis universalitate.

" Peccatum unius „ de quo Paulus loquitur esse peccatum Adami et quidem illud quod Genesis narrat cap. 3 indubium est. Praeter enim quam quod solum Adae peccatum " omnibus „ nocivum cogitari potest (1), ipse Apostolus sese explicat tum inferius v. 19 ubi " inobedientia „ unius quae omnibus nocuit alia non est quam inobedientia Adami ; tum 1 Cor. 15, 22. Praeterea origo mortis et mortis omnium ob unius peccatum, in Scriptura nonnisi in historia lapsus Adami occurrit. Demum Sapientia 2, 23. 24, quem librum prae manibus ab Apostolo versatum fuisse ex Rom. 9, 22 et 1, 20 perspicue apparet, genesiacam historiam eodem sensu quem Paulus exprimit, amplificat. Rursus " peccatum „ sive " peccare ,, in 4° membro (ἥμαρτον), eumdem sensum veri peccati habere atque in 1° membro certum est ex identitate sententiae quae per totam periodum evolvitur, et quia 4um membrum aliud non est quam reditus ad primum. Mortem universali sensu esse intelligendam rursus in aperto est : utrum absoluta an accommoda universalitate, ex natura peccati omnium de quo in 4° membro, iudicandum. Ex dictis iam apparet quo iure Baur dicat Paulum hoc loco tradere contrarium illi quod Ecclesia catholica docet.

At quodnam tandem est peccatum de quo in 4° membro, peccatum quod omnes incurrunt et ob quod omnes et singuli mortis poenam subeunt ? « Non aliud quam peccatum actuale ac personale singulorum » : sic Baur qui omnibus hodiernis protestantibus viam aperuit ac normam tradidit nostrum locum interpretandi. Iuxta Baur, cum Paulus dicit « mortem omnes invasisse quia omnes peccarunt » vult dicere : « mortem omnes invasisse, ad omnes pervenisse sub hypothesi quod omnes peccarunt » (2). Paulus iuxta Baur, non tam affirmat directe factum peccati omnium quam illud potius « colligit » ex eo quod omnes moriuntur : colligit autem omnium peccatum ex omnium morte, non quia peccante Adamo, in eo et cum eo omnes peccarunt, sed quia cum in casu Adami appareat mortem inter homines non esse nisi in poenam peccati, eo ipso quod omnes moriuntur sicut Adam, omnes peccant

(1) Eo modo quo in textu dicitur fuisse " nocivum „ unius peccatum. Alterius cuiusvis, Adamo recentioris, peccatum nec est peccatum " capitis „ nec tangere antiquiores potuit.

(2) " der Tod kam zu allen *unter der Voraussetzung* dass alle sündigten „ (*Paulus* p. 571).

sicut Adam, i. e. peccato actuali (1). Hanc tamen Baurii interpretationem esse incompletam subsequentes critici probe perspexerunt : Paulus enim talem nexum statuit inter Adami et omnium peccatum, ut illo posito, hoc certissime subsequatur ; secus enim neque mors omnium certo sequeretur. In explicatione autem Baurii, nisi aliud adiungatur, hic nexus non apparet : cur mors etsi in Adamo fuerit poena peccati, non poterit in posteris, qui iam privilegio inmortalitatis non fruuntur, esse effectus mere naturalis ? Deficientiam complent recentiores ut Sanday et Weiss mediante influxu peccati Adami in posteros ob concupiscentiam eis transmissam. En quomodo rem explicat Lietzmann : ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον « quia praeter fatalem influxum Adami cui *obiective* suberant, ipsi ulterius *subiective* incurrerunt omnes actualia peccata » (2). Iuxta protestantes proin peccatum de quo agitur in 4° membro non est originale, sed actuale ac personale singulorum. Si vero eis obiicitur id fieri non posse, cum non omnes homines peccato actuali peccent (in primis parvuli ; deinde alii etiam, etsi pauci), respondet B. Weiss Paulum non cogitasse de parvulis, quia Apostolus, ait, solum agit de effectibus peccati Adami qui ex illo peccato sequuntur *per se*, non *fortuito* et *per accidens*, qualis est absentia peccati infantium in quibus concupiscentia non erumpit ob defectum aetatis. At in subiecto capaci recipiendi effectus ex peccato Adami, omnes nullo excepto prave afficiuntur et peccant.

Paulum vero sic et non aliter cogitasse universalitatem constat, ait Weiss, ex eo quod thema capitale in quod nervos suae argumentationis intendit v. 12 est ut analogiam explanet quae inter Christum et Adamum viget ; i. e. ut ostendat peccatum et mortem ex Adamo derivari sicut iustitiam et vitam ex Christo ; iam vero cum de derivatione agitur iustitiae ac vitae a Christo in iustificatos, universalitas complectitur eos solos qui capaces sunt. (3) Exinde Weiss carpit Aberle et Tholuck qui ἥμαρτον explicuerant : " peccatores fuerunt „ quasi nimirum non proprio et personali actu (peccarunt), sed alieno facti sint praevaricatores. Explicare ἥμαρτον et in genere voces : " peccare, peccatum „ de peccato quod personale non sit, arbitrarium existimat B. Weiss

(1) " Was zu seiner Voraussetzung hat, nur unter der Voraussetzung erklärt werden kann (dass alle sündigten) „ Ibid.

(2) " Weil sie auch subjektiv alle wirklich Tatsünden begingen ausser dem, dass sie unter dem objectiven Verhängnis Adams standen „ (*Handb. zum N. Test.* 3, 27). Idem, ad substantiam quod attinet, dicunt B. Weiss (*Der Römerbrief* p. 238 ; Sanday, p. 134 ; Zahn, p. 264. 265.

(3) p. 239 nota.

et cum eo omnes passim critici acatholici, quia " peccatum „ et " peccare „ essentialiter actionem denotant (1).

Verum est thema capitale 5, 12 hoc esse ut analogia exponatur quae inter Christum et Adamum viget in processu derivationis respectivi effectus ad posteros : at verum non est Paulum ex suppositione derivationis iustitiae ex Christo ad fideles, velle concludere derivationem peccati ex Adamo ad posteros, tamquam si ex processu salutis per Christum, veluti notiori, illustrare velit processum in ruina : ordo argumentationis est inversus : ex casu Adami veluti notiori, vult illustrare casum Christi veluti minus notum et enucleandum, ut ex ordine membrorum in comparatione perspicuum est. Hinc sententia πάντες ἥμαρτον est mensura, non mensuratum ; est notum ac definitum, non ignotum ac definiendum ex altero extremo. Hoc posito, quandoquidem ex mente Pauli peccatum et mors eamdem amplitudinem habent; cum mors, ut experientia ostendit, sit absolute universalis, peccatum quoque debet esse absolute universale. Ac de facto Paulum expresse cogitasse de infantibus perspicuum est, praeter contextum v. 12, itemque ex natura rei cum numerus morientium sit in infantibus triplo maior quam in adultis ; et sic fieri omnino non possit ut mors universaliter enuntietur, nisi prae oculis habeantur infantes; luculentius ex versu 13 ubi " regnum mortis „ i. e. eius despotica et sine obice grassatio instar pestilentiae, expressis terminis protenditur, veluti poena peccati, etiam ad eos qui legem positivam non sunt transgressi, qui certe non soli adulti sunt. Sed neque ea quae de restrictione vitae ac iustitiae ex Christo ad homines derivatae dicit Weiss, vera sunt. 1) Ex parte Christi, principiative, ut dicunt, sive causaliter ac ratione sufficientiae, emanatio vitae, iustitiae ac salutis penitus universalis est neminemque excludit. 2) Item ad infantes actualis applicatio fieri potest et fit sine ulla eorum personali cooperatione. 3) Quod vero nonnumquam vel pluries aut saepe in termino, in applicatione et efficacia limitetur derivatio, id ex speciali ratione procedit, quae cum de morte agitur, locum non habet. Poena, ex natura sua, imponitur independenter a rei voluntate et non exspectat eius acceptationem. Non ita salus, iustitia et gratia : haec ex natura sua postulant cooperationem (2),

(1) Ibid. et superius p. 238. Zahn, p. 135 ait iuxta Paulum 2, 11 non posse concipi ut homo peccet antequam nascatur.

(2) Non semper necessario personalem, sed aut illam, aut ex parte aliorum ut in infantibus qui per patrinos postulant ab Ecclesia salutem. Sedulo notan-

cum iustitia in eo consistat quod quis rectus coram Deo sit et ei gratus ; id autem fieri nullo modo possit contra hominis voluntatem : si vero haec adsit, semper infallibiliter, indefectibiliter „ applicatio habebitur : " facienti quod est in se Deus *non denegat*, et eo ipso, quandoquidem dare eam omnibus decrevit, dat gratiam „.

Verum non solum infantes, sed complures quoque adulti sunt qui, sive quia morte admodum mature occupantur, sive quia etiam in diuturna vita praeservantur per gratiam, actualia peccata gravia, i. e. salutem impedientia, de facto non incurrunt : hos Paulus si mortem non intellexit universalem absolute, praetermittere non potuit, cum in eos *per se* derivetur perniciosus influxus Adami per concupiscentiam hereditate transmissam. Nec obiiciatur iuxta Paulum omnes adultos absolute graviter peccare (3, 19. 20) : superius explicuimus mentem Apostoli hac de re.

Ad rationem fundamentalem quam afferunt critici protestantes quod " peccare „ et " peccatum „ actionem essentialiter significant, respondemus 1) id verissimum esse de peccato personali et actuali ; at ultra tale peccatum dein dari potest et datur aliud hereditate transmissum ex Adamo. 2) In hoc quoque radicem et fundamentum ultionum esse actum personalem ; qui tamen etsi " physice „ unius tantum sit ; " moraliter „ i. e. ratione " imputationis „ alios quoque, praeter ipsum actu peccantem, inquinare potest ; ut late explanant theologi. Mirum est quod protestantes qui iustitiam " imputatam „ sine fundamento in Scriptura, concipiunt, peccatum originis, in verbis Pauli adeo clare expressum concipere non valeant !

Non desunt inter criticos protestanticos hodiernos qui, sicut Bengel suo tempore, probe perspiciant a Paulo in v. 12 intimiorem nexum statui inter « peccatum » unius de quo in primo membro, et « peccatum omnium » de quo in quarto, quam ut aut per meram ampliationem casus Adae ad omnes quasi historia Adae evidenter ostenderit Paulo mortem hominum nonnisi ex actuali horum peccato obvenire posse, quae est opinio Baur ; aut per influxum concupiscentiae ut Weiss, Lietzmann et alii communiter, quasi necessario provocantis peccata actualia explicari possit. Sanday v. gr. scribit ad Rom. 5, 12[d] : « adest hic *crux* huius difficilis loci ». Deinde merito excludit interpretationem Eu-

dum non esse sermonem de gratia excitante quae " offert „ sed nondum " confert „ salutem nec proprie viam ad illam per actus deliberatos praeparatorios ; sed de iustitia et gratia ad illam disponente quae est " cooperans „.

thymii « de peccato *ex imitatione* », tamquam evertentem parallelismum inter Christum et Adamum in « derivatione » iustitiae et peccati ; mera enim « imitatio » peccati Adami non « derivat » peccatum huius ad posteros. Sanday rursus animadvertit opus omnino esse ut derivatio firma, incolumis maneat ; secus, mentem Pauli non attingi. Nimirum probe persentit problema ad hoc revocari ut vera « derivatio » non mortis solum, sed « peccati » ipsius ex una parte, et vera quoque ratio peccati (ἥμαρτον) in posteris, ex alia, retineatur. Hactenus praeclare : at protestantico praeiudicio deceptus quod peccare et peccatum *nonnisi* de peccato personali idoneam explicationem reperiant, conquiescit demum hac solutione : « potest, ait, ἥμαρτον sumi suo ordinario sensu et retineri simul connexio inter Adamum et posteritatem. Si posteri peccarunt, eorum peccatum *effectus partim fuit propensionum hereditate ex Adamo transmissarum* » (1). Quae tandem solutio ipsissima illa est quam a Lietzmann audivimus : i. e. non obstante conatu et nisu versus veritatem, Sanday veritatem non attigit, nec difficultatis nodum dissolvit : peccatum posterorum ita explicatum, non est « derivatio » ex peccato Adami 1) quia nec « omnium », cum, ex dictis, et infantes et alii plures non peccent, 2) nec si deliberationi et determinationi personali singulorum res relinquitur, peccatum hoc esse potest ullo vero sensu peccatum ex Adamo derivatum. 3) et maxime : quia si talis derivatio ex influxu maligno vitiosae concupiscentiae sufficit ad explicandum nexum quem Paulus statuit inter peccatum Adae et peccatum singulorum quo mortem merentur, dicendum erit Apostolum voluisse includere in hoc peccato ita derivato ex Adamo omnia singulorum actualia peccata, cum omnia, nullo excepto, radicem in concupiscentia vitiosa habeant. Id vero certissime falsum est ; quia Paulus versu sequenti dicit inter Adamum et Moysen adfuisse in mundo multa peccata quae non puniebantur morte, dum tamen puniretur etiam eo tempore illud de quo loquitur. Iamvero haec peccata erant peccata actualia, provocata ex concupiscentia vitiosa !

Solutio unica igitur ea est quam iamdiu et constanter tenuit Ecclesia catholica, quaeque late et sapienter exponitur a Concilio Tridentino, sessione 5ª. Doctrina catholica distinguit inter peccatum " actuale ac personae „, et peccatum " naturae „ ; inter peccatum " actuale „ sive actum peccandi, et peccatum " habituale „ sive "statum„ peccati. Peccatum originale in Adamo est "actuale„, fuit actus ipse quo Adam transgressus est divinum mandatum : in posteris est habituale, est status sive dispositio post actum

(1) *The Epistle to the Romans* p. 134 : " if they sinned, their sin was due in part to tendencies inherited from Adam „.

relicta, "reatus„ per actum inductus. Distinctio inter peccatum actuale et habituale, actum et reatum in eodem homine facile intelligitur. Peccat homo: etsi actus sit quid transiens et fugacissimum, tamen eo transacto, manet reatus nempe "condignitas aversionis„ divinae ex sanctitate; et "poenae„ ex iustitia, donec culpa remittatur. Restat applicatio ad Adam et posteros. Cum Adam esset generis humani caput et stipes, nulla est difficultas quominus Deus relate ad dona gratuita humano generi concessa, voluerit ad eorum conservationem et transmissionem imponere certas quasdam conditiones. Quia vero conditiones hae in ipsis iam initiis intimandae erant, imo et violari cito poterant atque aliunde genus humanum non totum simul sed per successivas generationes erat exstiturum, opus fuit ut ei non in se, sed in Adamo ceu eius capite, non minus morali quam physico, intimarentur. Hinc effectum est ut in Adamo eius posteri repraesentarentur, ut quod ille faceret, posteri quoque facere iure censerentur. En igitur quo pacto familia humana, considerata ceu persona moralis, potuit in suis membris, Adae posteris, reatum sustinere qui per actum protoparentis inductus est.

Ecclesia tamen ad haec singularia non descendit, quia Scriptura directe et explicite illa non significat.

Nunc facile intelligitur id quod superius de amplitudine atque oeconomia restitutionis dicebamus: redintegratio completa iam in hac vita non fuisset in primis "iusta„ i. e. non satis servasset incolumia iura divinae iustitiae, 1) quia conditio in paradiso Adam imposita pro donorum supranaturalium conservatione, observantia scilicet divini praecepti inanis evaderet, 2) facta iam in terris restitutione completa, maiestatis divinae reverentia pene irrisoria efficeretur, 3) similiter timor peccandi ob vindictae divinae absentiam non obstante severitate interminationis poenarum.

3. Adaequata reparationis causa non morte sola sed etiam resurrectione Christi constat.

In Christi persona, qualis in superioribus descripta est, potuit Paulus mundo exhibere Restitutorem qui divina de hominis reparatione consilia adamussim exsequitur. Christus, in sua personalitate, idem ille est qui, ante incarnationem, divinam naturam non furto aut dono, sed proprio iure possidebat, quaque haudquaquam spoliatus cum humanam suscepit, e contrario, in plena

eiusdem possessione perseverat. In humana natura possidet corpus sibi a Patre coaptatum, quo antiquorum pro peccatis holocaustorum insufficientiam abunde suppleat, oblata suimet inmolatione in scelerum humani generis remissionem (1). Vi copulationis utriusque naturae in unitate personae divinae fit ut Christi inmolatio, licet consummata in humana natura, infinitum gerat valorem, cum a divina Verbi persona quae naturam humanam hypostatice, non secus ac divinam sustentat tamquam propriam, altissima dignitate decoretur. Personalitatis enim id proprium est, ut naturae quam sustentat actus universos affectionesque ad se revocet et tamquam ad principium a quo imperantur ac diriguntur, et tamquam ad centrum quo devolvuntur; unde fit ut quidquid Christus in humana natura operatur aut patitur, ad sphaeram evehatur divinae personalitatis, quae totum id divina atque infinita sua dignitate decorat, " suumque „ personaliter facit. Hinc mors Christi voluntarie oblata et tolerata, vim habet ut, accedente acceptatione divina (2), condignam propitiationem pro peccatis, et cumulatissimam pro eis satisfactionem valeat exhibere si se suamque vitam pro humani generis reparatione Patri offerat. Ut enim vetus effatum fert: " honor in honorante „! Christum vero de facto se suamque vitam obtulisse pro generis humani reparatione, axioma est in conceptione paulina fundamentale et saepissime proclamatum (Gal. 2, 20; Tit. 2, 14; Rom. 4, 25[a]; Philipp. 5, 8; Hebr. 10, 5–7) Patris vero acceptatio iis omnibus locis proditur ubi Christi missio per ipsum in hominis salutem oblata v. gr. Ioann. 3, 16; Rom. 3, 25; 8, 32; Hebr. 10, 5–7; Act. 2, 23 memoratur. At Paulus non in morte solum Christi adaequatam cernit reparationis humanae causam: morti Christi, eius resurrectionem copulat: " qui traditus est propter delicta nostra; et resurrexit propter iustificationem nostram „. Secundum Pauli conceptionem, in oeconomia divina reparatio hominis quae duplici effectu constat: " remissione peccati „ et " renascentia ad novam vitam „, per duplicem causam distribuitur: mortem Christi quae expiatio pro peccatis est, et resurrectionem quae novae vitae tam animi quam corporis prin-

(1) Hebr. 10, 5–7. Lectionem genuinam esse σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι (LXX), non massorethicam: אזנים כרית לי apparet ex v. 10, ut suo loco videbimus.

(2) Dicimus: " accedente acceptatione divina „, quia quantumvis Christi satisfactio infiniti valoris esset, hunc valorem exerere non poterat nisi a Deo acceptaretur, cum Deus non teneretur peccatum condonare: ceterum acceptatio divina constat ex omnibus testimoniis V. Test. ubi incarnatio promittitur.

cipium confert. Et quod divina oeconomia potuerit talem ordinem statuere ut non solum Christi mors, sed eius quoque resurrectio ad hominis reparationem conferret, perspicuum est, cum ad liberam Dei voluntatem plane pertineat ut sua dona atque opera eo modo ac via largiatur et peragat quae sibi placet. Imo, attenta analogia inter duplicem partem qua reparatio constat: " remissionem „ et " renascentiam „ sive resurrectionem, congruum quoque esse ut per duplicem illam causam distribuatur, haud difficulter coniicitur: at quo pacto id concrete fiat, non tam facile primo intuitu apparet.

Id in sequentibus enucleabimus, explanata Apostoli sententia. Ante omnia, « traditio » de qua in primo membro (παρεδόθη) de traditione Christi in morte a Deo intelligi debet, nam paulo ante (3, 25) Paulus expresse dixerat Christum « a Deo » propositum fuisse propitiationem pro peccatis, et Petrus ait eum « definito consilio et praescientia Dei traditum » (Act. 2, 23). Huic Dei « traditioni » sive decreto, quod Paulus a Patre in ipsa incarnatione Christo intimatum dicit (Hebr. 10, 5-7) (1), accedit Christi ipsius acceptatio et oblatio propria (Gal. 2, 20; Rom. 4, 25ª; Phil. 2, 8; Tit. 2, 14). Indubium etiam est praepositionem διά in utroque membro sensu finali sumendam: haec est communissima particulae significatio cum accusativo, et in primo membro sententiae manifesta est; unde, ob parallelismum, eadem vis retinenda in altero. De sensu igitur paulinae sententiae nullum est dubium. At difficultas oritur ex hoc triplici capite: 1) quomodo effectus distribuitur in duplicem causam: an mors non sufficit? 2) remissio peccati et iustificatio proponuntur a Paulo tamquam duae res distinctae cum tamen Tridentinum dicat iustificationem peccatorum remissionem includere (2). 3) quomodo resurrectio Christi quae opus « laboriosum » et « arduum » non est sed gloriosum et iucundum, potest cum « morte » causa esse iustificationis? Solutionem suppeditat ipse Paulus Rom. 6. Secundum Rom. 6, 4. 5 fidelis per baptismum incorporatus Christo morienti, eius fortunam in posterum sequitur, ita ut ex illa incorporatione novam sibi sanctitatis vitam ex Christo comparet, qua eius resurrectionem mystice in

(1) Intimatio fit facto ipso " coaptationis humanae naturae „: et ita a Christo intellectam fuisse coaptationem apparet ex eius verbis: " tunc dixi: ecce venio..., Si enim considerata coaptatione naturae humanae quae sibi a Patre fiebat, exclamat Christus: " *tunc* dixi: ecce venio... ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, et *legem tuam* in medio cordis mei „, perspicuum est eum in illa coaptatione paternae voluntatis intimationem perspexisse.

(2) Sess. 6 cap. 7: " Hanc dispositionem iustificatio subsequitur quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio „.

se « transumat et imitetur », iam nunc in anima per spiritum infusum, et suo tempore in corpore, si spiritum nunc receptum conservet (Rom. 8, 11) : Christi igitur resurrectio est « exemplar » quod iustificatus imitatur, causa « exemplaris » iustificationis. Hoc ergo modo Christus « resurrexit propter iustificationem nostram », quia suam resurrectionem ordinavit ad hoc ut exemplar nostrae, nunc per sanctitatem, postea per gloriam, esset. Hinc resurrectio Christi non est causa « efficiens ac meritoria » sicut mors : et consequenter *a*) mors in linea meriti ex seipsa sufficientissima et adaequata causa est et remissionis peccatorum, et obtentionis gratiae atque incorporationis cum Christo in quibus et per quas conceditur fideli novae vitae principium. Sequitur pariter *b*) non esse necesse ut iustificatio re distincta sit a remissione peccatorum, et distinctum principium sive causam « meritoriam » habeat : sufficit ut novae vitae principium etsi seipso peccatum removeat ac remittat, simile sit novo principio vitae quod in resurrectione sua Christus habet, ut ob hanc similitudinem, novam resurgentis Christi vitam imitetur. Hinc denique *c*) necesse non est ut resurrectio sit opus laboriosum : nam notio exemplaris aut causalitatis exemplaris minime postulat id quod causa meritoria.

Quo sensu intelligit Paulus mortem et resurrectionem Christi ? Certe de morte nec est nec proposita ab ullo fuit difficultas contra unicum sensum de morte reali ac physica quo a Paulo sumitur. At non idem est de resurrectione. Inter hodiernos criticos protestanticos multi et insignes ut Harnack, J. Weiss et alii putant Paulum resurrectionis nomine non reditum ad vitam corpoream, sed glorificationem in anima cogitare ; nam Paulus, aiunt, ignorat historiam de sepulcro vacuo ; et in stadio traditionis ex quo testimonia et notitiam de resurrectione collegit, nondum orta erat legendaria traditio de vacuefacto sepulcro tertia die (1). At Paulum Christi resurrectionem plane *corpoream* cogitare, constat iam ex nexu quem statuit inter *mortem sepulturam* et *resurrectionem* Iesu (1 Cor. 15, 3-5). In hoc triplici stadio Paulus distinguit triplicem statum successivum quem Christi *corpus* subiit, non anima quae nec moritur, nec sepelitur : resurrectio Christi igitur, secundum Paulum, est " corporea „. Praeterea Paulus 1 Cor. 9, 1 expressis verbis dicit se *vidisse* Christum eo modo quo Duodecim, visu scilicet corporeo. Nedum autem ignoret historiam de sepulcro, resurrectionis historiam, sicut omnes Evangelistae, a sepulcro inchoat, cum resurrectionem describat tamquam sepulturae pedissequam.

(1) *Lehrbuch der Dogmengesch.* ⁴ 95. 96.

Quoniam articulus de Christi resurrectione apud Paulum summi momenti est, et aliunde nostra aetate praestantissimi ex protestantismo critici totis viribus impugnant resurrectionem corpoream asseruntque non ut talem, sed ut simplicem tantum in spiritu glorificationem cogitatam a Paulo fuisse, operae pretium est hoc argumentum aliquanto fusius edisserere. Itaque secundum Harnack, facta distinctione inter factum historicum resurrectionis Christi et fidem in eam (1), 1) Christi adversarii eum suscitatum non viderunt. 2) discipulis brevi post mortem, persuasum utique erat se eum vidisse. 3) apparitiones quas Paulus 1 Cor. 19, 5-8 recenset (quod est omnium de hac re testimoniorum antiquissimum et fide prae omnibus dignum) excepta prima et secunda (ad Petrum et ad Duodecim) comprobari non possunt. 4) factum de Christi resurrectione mature admodum fabulis oneratum est, in iisque narrationibus id solum veluti nucleus historicus remanet quod « visiones » respicit. 5) Paulus et discipuli conscii quidem erant se Christum vidisse, at non in corpore terreno quod prius gesserat, sed « in gloria » ; imo etiam narrationes posteriores Evangeliorum corpus Christi simile, i. e. minime terrenum describunt, cum muros penetret. 6) Paulus, etsi apparitionem Iesu ad se non sicut eas revelationes exhibeat quas postea habuit (Act. 22, 17-21 ; 2 Cor. 12, 2-4), nihilominus describit veluti sibi in animi intimis factam : ἐν ἐμοί (Gal. 1, 15). Quoniam aliunde factum de sepulcro vacuo fabulis mistum apparet, opus est concludere 1) conceptum de Christi resurrectione tamquam de reditu ad vitam in eodem corpore quo prius, alienum esse a primaeva resurrectionis notione; 2) illud tantum hac in re in quaestionem venire posse : num « coelestes » visiones i. e. sine colloquiis aut ulla alia externa experientia, reales fuerint. Similia profert J. Weiss tum in Comm. in 1 Cor. 15, 5-8 tum in *Urchrist.* 17-19.

Quantum argumentatio Harnack valet? Tota eius vis huc revocatur : quod antiquissima ac fide digna testimonia, et inter haec maxime paulina 1 Cor. 15, 5-8 Gal. 1, 15 resurrectionem non ut « reditum ad vitam corpoream », sed ut « simplicem Iesu glorificationem » produnt. At certe Pauli testimonium 1 Cor. 15, 5-8 evidenter contrarium docet : *a*) resurrectionem tamquam mortis ac sepulturae pedissequam exhibet, tertiamque phasin in historia « corporis » Christi : corpus enim, non spiritus, moriebatur ac sepulturae mandabatur. *b*) Paulus in sua enumeratione primarias apparitiones ad discipulos (2) recenset easdem eodemque ordine quas narrant Evangelistae : primam ad Petrum, deinde (3)

(1) Die Auferstehung – die frohe Osterbotschaft.

(2) De quibus potissimum quaestio est ad definiendam controversiam de " sepulcro vacuo „ deque huiusce facti historico fundamento.

(3) Sedulo adverte Paulum non dicere Christum semel tantum apparuisse Undecim : facile, imo obvium est ut in " apparitione ad " Undecim „ v. 5 intel-

ad Duodecim, prorsus ut traditio scriptis consignata per Lc. et Ioann. habet (Lc. 24, 34-43 ; Ioann. 20, 19-23), quae certe tota nititur praecedenti historia de sepulcro visitato per feminas et nonnullos apostolos. Quando quidem ergo Paulus historiam de sepulcro vacuo noverat, facitque primordialem originem suae descriptionis (resurrectio post sepulturam aliud esse non potest quam resurrectio corporea vacuefacto sepulcro), apparitiones ad apostolos intelligit easdem eodemque modo quo Evangelistae. *c*) Ut suo loco diximus, Gal. 1 15 non describit Paulus « visionem Christi », sed eius notitiam sive revelationem in mente quae diversa et posterior visione est : hanc vero fuisse « corpoream » ex 1 Cor. 9, 1 luculenter constat.

Sed iuvat hoc loco perplexitates et manifestas contradictiones heterodoxorum criticorum tum invicem, tum singulorum secum ipsis ob oculos ponere. Post longam suam argumentationem concludit Harnack p. 96 : « ei qui historiam et facta serio tractare vult iisque solis insistere, persuasio discipulorum Iesu de eius conspectu, quem ut in gloria et non aliter primitus intelligunt, nullum vel minimum fundamentum praebet admittendi Iesum *in sepulcro non mansisse* ». Haec Harnack : sed ecce tibi Ioannes Weiss qui subtilius et data opera fundamentale Pauli testimonium 1 Cor. 15, 5-8 rimatur, quamquam et ipse asserat Paulum non aliam quam de « glorificatione », minime autem corporea redintegratione, notionem fovisse, et ad eam sibi comparandam vel fabulam de sepulcro vacuo ignorasse, vel eam nihili aestimasse, pergit : « non tamen plus iusto progrediendum est ut exsistimemus Paulum putasse *cadaver Iesu*, eius *carnem*, in sepulcro mansisse » (1). Si notio resurrectionis Christi quam Paulus habebat in animi glorificatione tantum sistebat, corporis vero fortunam non respiciebat, quomodo fieri potuit ut Paulus concipere non valeret « corpus » aut « carnem » Christi non potuisse in sepulcro remanere? Hoc de dissidio invicem; at quo pacto ipse J. Weiss secum ipse concordat cum ex una parte dicat Paulum ad suam de Christi resurrectione conceptionem de « fabula » sepulcri vacui nullam rationem habuisse, ex alia eum non exsistimasse Christum in sepulcro mansisse ?

In iustificatione autem Paulus non solum cernit participationem in Christi resurrectione per novam sanctitatis vitam, sed praeterea " germen „ futurae resurrectionis, i. e. complementi

---

ligat utramque de qua Ioannes 20. Praeterea vox " deinde „ non videtur ordinem rigorose chronologicum ultra primas apparitiones retinere : probabile non est apparitionem ad Iacobum fuisse post illam ad 500.

(1) *Der erste Korintherbrief* p. 39, 1910 (Cursus Mayer).

operis reparatorii per corporis glorificationem. " Spiritus infusus „ in iustificatione collatus, et qui principium est novae vitae, pignus simul repraesentat " gloriosae resurrectionis „ : " si spiritus eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit (ζωοποιήσει i. e. resuscitabit) et mortalia corpora vestra „ (Rom. 8, 11). Spiritus ergo in iustificatione infusus (Rom. 8, 2–4) pignus est quod, si retineatur, corpoream et gloriosam resurrectionem suo tempore afferet.

Sectio II.

Restitutio per Christum: restitutionis inchoatio

I. Dispositiones ad iustificationem

1. Processus restitutorius: inchoatio et consummatio

Praesupposita 1) Dei voluntate salvifica quae fundamentum ultimum est restitutionis generis humani per Christum; 2) huius incarnatione quae illius voluntatis primarius effectus fuit in oeconomia post lapsum; et 3) praesupposito proin ipso quoque hominis lapsu de quo etsi Paulus directe non agat, nihilominus illum passim ac necessario commemorat; opus Restitutionis a Christo Redemptore peractum, si in seipso consideretur, in duplici stadio perficitur duplicemque quasi actionem partialem complectitur: "iustificationem „, quae restitutio spiritualis est in animorum intimis complenda per remissionem peccatorum cum spiritus infusione ad novam vitam ineundam; et "redemptionem corporis „ per resurrectionem gloriosam cum Christo. Prima perficitur in hac vita atque extemplo: altera in futura ad finem saeculorum. Utraque autem intime connexa est utpote duplex eiusdem operis pars aeque essentialis: inchoativa et consummativa salutis. Operis restitutorii processum summatim quidem sed absolutissime, sumpto initio a dispositione praevia i. e. fide, describit Apostolus Philipp. 3, 9–12: "Omnia detrimentum feci .... ut inveniar non habens meam iustitiam · quae ex lege est, sed illam quae ex fide est Iesu Christi ... configuratus morti eius si quo modo occurram ad resurrectionem quae est ex mortuis „ Tria hic Apostolus recenset quae totum restaurationis processum complectuntur: *fidem* ut dispositionem; *iustitiam* quae fidem subsequitur et novam vitam iustificato confert; *gloriam* quae iustitiam suo tempore coronabit. In hoc processu fidem praeire evidens est, siquidem ab ea derivatur iustitia et per eam acquiritur: "iustitia Dei „ ex fide est, non ex operibus; "per fidem „ comparatur. Rursus vero iustitia quae per fidem acquiritur non imponit fastigium operi restitutorio: fidelis, iustitia ornatus, confi-

guratus quidem est Christo, novit eum, socius factus est eius passionum eiusque per novam vitam imitator; sed nondum ei plene copulatus est, nondum eum "comprehendit,,, sed properat atque studet ut veniat in eius occursum et sic comprehendat, amplectatur, per resurrectionem gloriosam (1). "Iustitia,, via est ad "gloriam,,, eius quasi inchoatio: Paulus quaerit priorem per incorporationem ad Christum morientem, ut ea mediante veniat ad alteram quae vicissim prioris consummatio est (Rom. 8, 10). Utramque habet constanter prae oculis Apostolus cum opus Christi restitutorium describit; sed quamvis neutram negligat, et consummationem quoque satis late vel adumbret (Rom. 8, 17–30) vel etiam describat (1 Cor. 15, 12–27), multo tamen crebrius et fusius persequitur priorem, praesertim in Epist. ad Rom. cuius 1ª p. (1–11) tota de hoc argumento est. Certe de processu restitutorio ac praesertim de phasi inchoativa per iustificationem saepissime Paulus in suis scriptis disserit vel ad eam alludit, sed in Epistola ad Rom. data opera hoc argumentum per omnes suas partes evolvit. "Partes,, argumenti de iustificatione hae sunt. 1ª: "dispositio,, quam ex sua parte afferre debet iustificandus ut in eo Deus opus restitutorium perficiat. Dispositio haec alia non est quam "fides in Christum,,. 2ª ipsa iustificatio i. e. iustitiae infusio cum eius causis. 3ª effectus infusionis iustitiae: affectiones nimirum quibus iustificatus per iustificationem instruitur. Haec omnia late per ordinem evolvit Apostolus in Epistola. De dispositione agit per tota quatuor priora capita 1, 16–4, 25, interiecta 3, 22–26 brevi descriptione causarum iustificationis. Infusio ipsa iustitiae describitur cap. 5 adiecta illustratione de modo infusionis ex simili contractione peccati originis. Capp. 6–8 explanantur effectus infusae iustitiae; 9–11, etsi ad 1ªm partem de iustificatione pertineant, non evolvunt positive argumentum, sed difficultatem solvunt quam contra praecedentia movent iudaei.

Notiones vero et conceptus exposituri quae cum de iustificationis processu sermo est in analysin vocantur, tractationem aggredimur non quidem iucundam, sed utique pernecessariam, cum praesertim ab exordiis protestantismi usque ad nostram aetatem, atque in hac non minus quam in qualibet ex praecedentibus, acriter ac subtilissime singula disputentur apud nobilissimos quosque ex criticis tum catholicis tum acatholicis. Ne vero de iustitia et iustificatione agere velimus ignorantes

(1) Cfr. *1 Thess.* 4, 17: "rapiemur obviam Christo,,.

quid sub his notionibus veniat, quidve Paulus sub his nominibus velit significare, « iustitia » de qua agimus aliud non est quam illa praerogativa, quaecumque tandem eius natura sit, et in quacumque realitate reponatur, qua homo « iustus » est coram Deo, eique gratus et carus : « iustificatio » vero « motus ad iustitiam », i. e. « actio » illa quae a Deo in animo fidelis peragitur, ac « iustitiae » acquisitione coronatur ; cuique repondet « passio » in anima iustificati qui iustitiam recipit (1). In his notionibus nulla penitus est controversia, sed passim ab omnibus admittuntur.

2. Fides in Christum, non humana subsidia, vera est ad iustitiam conditio.

a) Demonstratio ex factis et historia.

Cum conditionem investigamus quae a iustificando postulatur ad iustitiae obtentionem et qua posita certo et indefectibiliter iustitia Dei confertur, illud est indubium : ibi hanc conditionem reperiri ubi de facto iustitia conceditur ; nam certissime Deus non aliis tale donum concedet quam iis qui illam conditionem apponunt cui ipse suam iustitiam alligavit. Quo evidenti axiomate supposito Paulus Rom. 1, 18-3, 21 argumento simplicissimo aeque ac efficacissimo utpote perspicua experientia nixo, probat conditionem hanc aliam non esse quam fidem in Christum. Ut id evincat, Paulus argumento utitur omnibus obvio ex humani generis historia quam brevibus, sed vigorosis lineamentis describit, distributo in triplicem familiam religiosam: paganismum, iudaismum, christianismum, per historiae seriem humano genere ut " Dei iustitiam „ ac proin conditionem ad eam obtinendam pervestiget et sic ubinam adsit, deprehendat (2).

Ac primo quidem interrogat paganismum, num ipse possideat aut possederit umquam Dei iustitiam : at nedum ita sit, instituta accurata indagine tam historica quam geographica paga-

(1) Legatur Conc. Trid. sess. 6 capp. praesertim 5-7.

(2) Probe animadvertendum est aliud esse fundamentum assignare assertionis apostolicae de fidei partibus ac munere in ordine ad obtinendam iustitiam quas Paulus exprimit in formulis " iustitia Dei ex fide,per fidem „ ; aliud confirmare huius assertionis veritatem argumento quod a quovis facile percipi potest. Paulus asserit fidem esse conditionem quam Deus postulat ad iustitiam conferendam quia id sibi a Deo revelatum est : Rom. 1, 18–3, 21 autem ostendit quibusvis lectoribus quam vera et manifesta sit illa assertio.

nismi, ubique Paulus in eo deprehendit non iam Dei iustitiam salvantem, sed vindictam punientem; imo cumulum scelerum quae nova ab ira coelesti infortunia semper provocant (Rom. 1, 18–32). Ethnici habuerunt prae manibus viam sapientiae (Rom. 1, 19. 20); imo suam sapientiam iactant (1, 22): at, propria eorum culpa, a Dei iustitia longissime distant, totique in erroribus ac corruptione a multis saeculis immersi iacent (1, 23. 24–32): via sapientiae paganismus Deum eiusque gratiam non attigit! (1 Cor. 1, 21). Convertitur deinde ad iudaismum incredulum, qui, ultra rationis lumen, de divinae legis possessione gloriatur (Rom. 2, 17. 20): verum divinam legem minime servat, idque usque adeo, ut iudaismi increduli conditio religioso-moralis vix a paganismi conditione in moribus differat (Rom. 2, 21–3, 20). Consequenter nec iudaismus incredulus potest ostendere intra suum sinum iustitiae Dei sedem, aut exhibere inter suos cultores, homines qui vere iusti ac probi sint: nec paganismus proin, nec iudaismus incredulus possident qualitatem illam eximiam et salutiferam quae homines vere iustos, probos, Deo caros efficit. At eo ipso etiam convincuntur carere praeterea iusta conditione ad iustitiam obtinendam; si enim conditionem illam possiderent quae ad Dei iustitiam certa via est, procul dubio iustitiam quoque ipsam obtinuissent possentque iactare. Ergo neque sapientia et lex naturalis, neque ultra haec, lex mosaica, se solis, i. e. quamdiu alia conditione eas fecundante non vivificentur, apta et sufficiens via sunt ad Dei iustitiam. — Sedulo animadvertatur iudaismum de quo Paulus loquitur esse iudaismum " incredulum „ qui fidem in Christum repulerat. Hunc eumdem, et non alium, prae oculis habet cum iudaeos per totam epistolam impugnat. Non agi de iudaeis " stirpe „ solum, sed " stirpe ac religione „, res manifesta est: de iudaeo fidem habente non poterat Paulus dicere eum carere dispositione ad iustitiam (1).

At quod nec paganismus nec iudaismus valuerunt in medium afferre ut Dei iustitiam sibi compararent, id " nunc „ christianismus ob omnium eum contuentium oculos pandit: nam ex una parte " nunc, sub nostris oculis, sine lege iustitia Dei conspicua facta est „ in christianismo cuius cultores Dei iustitiam in se produnt per virtutes quibus eminent et per divinorum donorum profusionem quam certe Deus in eos qui sibi cari non essent mi-

(1) Cfr. Excursum qui subsequitur

nime effunderet ; et ex alia hi non aliud quam fidem in Christum attulerunt ut iustitiam a Deo obtinerent, cum haec fides sit nota characteristica quae eos a reliquis omnibus discernit (1). Fide igitur in Christum, non alia ulla re paratur via ad iustitiam a Deo comparandam.

Mirum forsan prima specie videri posset quod Paulus, qui primum et secundum membrum de absentia iustitiae Dei atque dispositionis ad eam in propriis clientibus ingenerandam, tam late ac nervose propugnaverat (1, 18-32 ; 2, 1-3, 20), postea cum de tertio membro agitur, in quo maxime est cardo difficultatis, contentus sit laconica assertione de « iustitiae Dei praesentia » in christianismo. Quod enim ab aliquibus dicitur a Paulo tertium membrum « demonstrari » 3, 21-31 aut, 3, 21-4, 25, verum non est : 3, 22-26 non est argumentatio, sed descriptio iustitiae per suos characteres ; quae vero sequuntur, proprie non afferunt primarium assertionis argumentum. Solutio difficultatis est quod tertium membrum demonstratione non indiget, quia praesentia iustitiae Dei in christianismo, ac proin efficacia Evangelii ad eam in « credentibus » ingenerandam factum erat tempore Pauli manifestum. Ex historia Actuum atque ex Epistolis Pauli passim constat christianos inter paganos et iudaeos quibus circumdabantur, ubilibet eximia sanctitate floruisse donisque ac charismatis omnis generis affluxisse, quae signa certissima praesentis inter eos iustitiae Dei erant, cum nonnisi in iustos et sibi admodum caros posset Deus sua dona tali copia profundere. Atque hanc indubiam notorietatem insinuat Paulus cum de iustitia Dei ait : νῦν πεφανέρωται : « nunc conspicua facta est , nimirum passim ac manifeste cuicumque, modo velit attendere. Paulus hac demonstratione iam pridem usus erat (Gal. 3, 2) et quantum exinde coniici potest, haec erat eius quotidiana methodus disputandi cum de tali argumento agebat (Cfr. 1 Cor. 1, 21-25). Ob eamdem publicae evidentiae factorum rationem potest Apostolus vv. 22-26 iustitiam ex propriis eius praedicatis describere nullo novo pro suis assertis allato argumento, itemque v. 27 quasi triumphans concludere inanem esse iudaeorum in operibus gloriationem cum facta aeque evidenter ostendant et iudaeos iustitia Dei carere, et christianos ea perfrui.

(1) Certe plurimi ex illis qui Evangelii doctrinam amplexi sunt, ante conversionem nihilo meliores reliquis erant : transformatio igitur non praevii meriti, sed divini favoris ob fidem effectus fuit.

Excursus de paganorum dissolutione in moribus et religione.

Nostris diebus plurimi protestantes et etiam nonnulli catholici putant Paulum in sua descriptione haud parum exaggerasse paganismi corruptionem. Iuxta Apostoli descriptionem aiunt, *omnes* homines, universus paganismus immersus fuit passim et per plura saecula vitiis nefandis; et tamen *a*) ex papyris nuper detectis constat nobilem amicitiam, amorem purum erga parentes, honorem in contractibus magno in pretio habita fuisse et sancte custodita. *b*) inter veteres romanos et graecos, mores erant simplices ac severi. *c*) apud stoicos floruerunt viri nobilissimi et integerrimi, v. gr. Socrates, Seneca. *d*) Apud populos in genere non defuerunt conatus versus monotheismum, itemque universim versus idealia, ut aiunt, pura et religiosa: in pluribus inscriptionibus ex Augusti aetate beneficentia erga egenos est titulus honoris. Paulus nimirum paganismum iudicat secundum normas theologiae iudaicae ac rigidi moralismi. Iudaei in Diaspora damnabant absolute hellenicam culturam: circenses ludos, balnea, exercitia gymnastica, artes plasticas: graecos reputabant veluti carnis voluptatibus deditos. Hoc criterio imbutus Paulus omnia et omnes eadem regula mensurat et damnat sine distinctione. Id vero aequum non est, ut scientia religionum comparatarum hodie ostendit, quae multo aequiores normas iudicandi nobis praebet. Attenta humanae mentis imbecillitate atque evolutionis legibus quibus subiacet, hodierna scientia religionum probe perspexit humanum genus non potuisse, iam ab initio, perfectionis culmen attingere in notitia et praxi rerum religiosarum ac moralium: inchoavit suum cursum notionibus et cultu elementari, ac nonnisi lento progressu ad altiores de Deo notiones pervenit, nec pari apud singulos populos celeritatis gradu, cum singulorum adiuncta progressum vel festinantia vel retardantia admodum diversa sint. Normae Pauli tam qua theologus iudaeus quam qua moralista christianus nimium rigidae sunt (1).

(1) Sic Sanday, *The Epistle to the Romans*, 49-51. Sanday in suo personali iudicio vacillat inter criterium " religioso-rationale „ et " historicum „ quod vocant, ab historicis religionum invectum; sed facta distinctione inter normas " evangelici praeconis „ et normas " historiae religionum „, priores, secundum quas Paulus iudicat (the standard which St. Paul applies is not that of the historian, but of the preacher p. 51) severiores iusto exsistimat, ideoque ibidem tamquam ad " aequiores „ remittit ad illas quas applicat nostro argumento Friedländer (Sit-

Si obiectio iusta proponit, argumentatio Pauli qua vult suam capitalem thesin de Evangelio, unico salutis fonte ostendere, claudicat: in paganismo sine fide in Reparatorem aderat vis haud dissimilis ei quam *soli* Evangelio vindicat Paulus. At descriptio Apostoli est rei veritati conformis et eius iudicium aequissimum. Urbes Orientis tum Asiae tum Graeciae crassis erroribus et profundae corruptioni immersas iam a saeculis fuisse, idque ex regula generalissima, indubium est. Nec melior erat conditio rerum Romae aut in Aegypto: polytheismus ac morum foedissima corruptio mentes, affectus ac sensus passim ab antiquo pervaserat ut ex certissimis antiquitatis documentis constat. Neque id mirum: historia enim constanter docet sine revelationis adiutorio idem semper accidisse. Si hodie non obstante tanto lumine Evangelii et Ecclesiae, per omnes institutiones ac coetus qui ab Ecclesia desciverunt, tam ingentem dissolutionem grassari circa religionem ac mores cernimus (1), non est cur miremur similia et crassiora in paganis coetibus antiquitatis. Paganismus negatione veri Dei atque substitutis pro eo numinibus ad tegendas et iustificandas humanas voluptates excogitatis; negata item honestatis lege, naturam humanam radicitus corrumpebat (2). Ceterum mens Pauli non est omnes ac singulos paganos omnibus ac singulis vitiis obnoxios fuisse: Paulus intendit describere "institutionem ipsam„ paganismi cum naturalibus eius consectariis ac fructibus in ordinibus qui institutionem repraesentabant: magistratibus, legislatoribus, philosophis, litteratis, sacerdotio, ex quibus postea ad singulas classes normae cogitandi et agendi derivabantur. Quales autem fuerint etiam qui praestantissimi censentur in his ordinibus historia docet.

---

tengeschichte Roms). Cfr. etiam Toussaints, *Epître aux Rom.* 63-68. Sed Friedländer non alias quam historicorum religionum normas applicat, eiusque iudicium nullo modo potest tamquam aequum invocari.

(1) Egregium, etsi luctuosum, huius veritatis testimonium reddit processus criminalis Londini ultimis diebus Maii et primis Iunii anni 1918 habitus. In eo manifestum et publicum atque a magistratibus agnitum proditur factum de exsistentia coetuum late per Europam et Americam septemtrionalem propagatorum pro exercitio vitiorum contra naturam in utroque sexu. Et quamvis de numero ac propriis nominibus clientium difficile sit certum aliquid asserere, quod tamen coetus et loca lenocinii huius generis late grassentur, indubium est, et a iudicibus ex testium depositione declaratum (Cfr. The Times 7 iun. 1918 ed. hebdom.).

(2) Id insinuat Paulus Rom. 1, 23. 28. Sane cur aut qua via reiecto voluntarie vero Deo, pagani ad divinitatem in brutis agnoscendam devenerunt, nisi eadem qua sceleratissimorum virorum ac mulierum; nimirum ut eorum vita similes instinctus in cultoribus iustificarentur? Tantumdem dicatur de reiecta regula moralitatis.

Ad criterium Pauli quod spectat in iudicando paganismo, certum est Apostolum non regi normis quae hodie a cultoribus comparatarum religionum proponuntur. At neque iudicat ut *theologus iudaeus*, sed ut Christi Apostolus qui in sua epistola ministerium exercet docendi, a Christo sibi demandatum, et in cuius exercitio Christi peculiari adiutorio fruebatur ne erraret. Ad mores diiudicandos prae oculis habet Decalogum. Normae vero scientiae religionum falsae sunt. Prima est quod non detur revelatio supernaturalis ; atque exinde manat regula de iudicanda religione ex solis naturalibus principiis. Altera est quod humana ratio nequeat statim assurgere ad notiones de existentia unius Dei a mundo penitus distincti, sed cogatur ob imbecillitatem suam a rudibus admodum notionibus de Deo ac cultu exordiri, et nonnisi diuturno saeculorum processu possit ad altiores, i. e., iuxta nos et rei veritatem, ad obvias de Deo et regula morum notiones. At cum homo rationalis sit atque testimonio creaturarum semper iuvetur, potest cito, nisi per cupiditates stet, assurgere ad iustas de Deo atque eius cultu notiones (1). Quod historia religionum videatur contrarium ostendere dum nobis exhibet populos quo antiquiores eo rudiores, provenit partim ex incompleta factorum de quibus constare potest, classificatione ; partim ex insufficienti notitia primitivarum aetatum generis humani. De his sola documenta biblica nos edocent ; biblica autem documenta confirmant id quod ratio evidenter dictat.

Quod ad « universalitatem » naufragii pertinet quod Paulus 1, 18-3, 20 describit in religiosis ac moralibus, habendum est sedulo prae oculis Paulum duplex stratum distinguere in revelatione evangelica : Evangelium « in praedictione » et Evangelium « in historia » ; atque in ipso Evangelio sive in praedictione sive in historia, eius notitiam *completam*, et eius notitiam *sufficientem*. Ex prima distinctione (Rom. 1, 2. 3) perspicue apparet secundum mentem Pauli non esse collocandos extra Evangelium eos qui ante Christi adventum fidem Messiae venturi profitebantur ; ex altera, idem esse dicendum de iis qui fidem quomodocumque habuerunt (supranaturalem utique, sed quae nemini facienti quod in se est, negabatur) quavis aetate, apud quamcumque gentem, in hominis Reparatorem (vel reparationem). Paulus, uno verbo, opponit superbiam humanam quae Deum in paganismo (Rom. 1, 18 b. 20 c-23. 28) et Christum in iudaismo (Rom. 9, 32) repudiat, seque Deo anteponit (amorem sui usque ad contemptum Dei), demissioni fidei quae se libenter Deo subiicit (amorem Dei usque ad contemptum sui). Haec si prae oculis habeantur, « universalitas » exclusorum a viis iustitiae quae tantopere in Pauli theologia exterret prima specie, miro modo restringitur, et nedum ferrea et fere intolerabilis, obvia ac naturalis redditur.

(1) Primario per viros ingenio praestantiores, quibus tenuiores iuvari debent.

b) Demonstratio ex Scripturis.

Demonstratio praecedens etsi efficacissima et maxime practica, indirecta demum est ac iudaeis parum grata: hinc Apostolus qui iudaeos semper ob oculos habet, aliam praeterea directe ex Scripturis affert. Cum de conditione ad iustitiam a Deo obtinendam agitur, sic ratiocinatur Apostolus, nulla via adest praeter eam quam Scriptura ostendit; Scriptura autem iustitiam nonnisi per fidem comparari docet; i. e. fidem et nonnisi fidem eam conditionem esse ad quam Deus attendit ut iustitiam concedat, et, qua posita, certissime iustitiam donat. Certe Abraham exemplar est iustificatorum; iamvero Abraham ex fide iustificatus est. Sic enim legimus Gen. 15, 6 cum de Patriarchae iustificatione edocemur: " credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam ,,. Nexus membrorum in sententia talis est ut posito primo i. e. Abrahae fide, eo ipso, ut consecutiva " et ,, ostendit, sequatur alterum, " iustitia ,,. Sola " fides ,, est id cuius intuitu iustitia Abrahae concessa est. Verum est textum latinum sicut et graecum: ἐπίστευσεν Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην non ita perspicue et expresse prodere subiectum verbi in 2° membro esse " fidem ,, Abrahae, et sic hanc, non vero aliud quidpiam quod fortasse intervenit, illud fuisse cuius intuitu iustitia ei collata sit; sed textus hebraicus est expressior (1): האמין ביהוה ויחשבה לצדקה; "credidit (Abraham) Domino, et (Dominus) reputavit *illud* (nempe: quod crediderit, fidem) ad iustitiam ,,: fides igitur ipsa habita prae oculis a Deo est ut eius intuitu iustitiam Abrahae conferret. Interpretes autem graecus et latinus, brevitatis causa, reddiderunt sententiam passive. Allatum ex historia Abrahae testimonium valet pro iustificatione universim, quia Abrahamum exhibet Paulus, Deo eum inspirante et nullo refragante, ut iustificatorum exemplar (Cfr. Rom. 4, 11–24).

Et de facto eamdem semper normam iam in Vet. Testamento valuisse apparet ex testimonio Habacuc (Rom. 1, 17; Gal. 3, 11) qui 2, 4 scribit: " iustus ex (in) (2) fide vivit (vivet) ,,, vita scilicet iustitiae, quae propria iusti, qua talis, est.

(1) Inferius videbimus legendum esse לצדקה non צדקה ut legit textus massorethicus: sed hoc nihil ad praesentem quaestionem facit.

(2) Saepe monuimus " in ,, respondere hebraicam ב sensu causali, per: hinc translatio LXX ἐκ πίστεως qua utitur Paulus Rom. 1, 17 sicut Gal. 3, 11 fidelis est: " ex fide ,, idem est ac " per fidem ,,.

Ad utrumque testimonium solent opponi aliquae difficultates. Ad primum obiicitur : quomodo textus ex Gen. 15, 6 qui nullo modo ad primam Abrahae iustificationem referri potest, afferri iure ab Apostolo possit pro prima, de qua, aut exclusive, aut certe maxime, agit Rom. 4 ut ex 2ª eius parte 11-24 apparet. Omissis aliis responsionibus, solidior est quod eodem modo, imo a fortiori, de prima iustificatione valeat quod de secunda dicitur. « Si enim cum Abraham multis egregiis virtutibus erat ornatus (*comantem* κομῶντα bonis operibus eum appellat Chrysost.) (1), Deus non tam ad has quam ad fidem qua vivificabantur attendit ut iustitiam Abrahae augeret, quanto magis fidem respecturus est cum aliae non adsunt ? » (2)

Ad testimonium ex Habacuc opponitur Paulum contextum aut neglexisse aut non perspexisse, cum Propheta non de spirituali ac supranaturali vita, sed de temporali agat per fugam ab hostibus. At Apostolum egregie Prophetae verba interpretatum esse, ex Vulgata et hebraico textu perspicuum fit. Etiam retenta lectione עפלה vox non per substant. femin. (tumor), sed per particip. vel adiect. masc. (עפל cum ה parag. : tumidus, superbus) ut ex suffixis (נפשו בו) apparet, explicari debet hoc sensu : « ecce tumidus (sive superbus, impius), non recta fuit anima eius in eo, dum iustus in fide sua vivet ». Sermonem esse de vita non temporali sed animi et coram Deo, supranaturali, perspicuum est ; nam membra parallela sunt, et in primo de « rectitudine » sive « iustitia » sermo est, i. e. de animi dispositione quae in iustitia sive eius absentia consistit.

3. Fides non ipsa iustitia, sed ad eam dispositio est.

Habitudo fidei ad iustitiam non est identitatis, ut initio putavit Lutherus, quasi nimirum ipsa fides sit iustitia vel *re* vel *imputatione*. Textus quidem massorethicus Gen. 15, 6 id videtur suadere ; at lectio mendosa est, et pro צדקה legi debet לצדקה ut LXX ac Vulg. insinuant et Pauli argumentatio Rom. 4, 4. 5 perspicue ostendit. Pauli ratiocinium super hoc Scripturae testimonio procedit totum ex hypothesi quod iustitia detur "intuitu„ fidei, sicut merces "intuitu laboris„ : hinc ratiocinium Pauli supponit necessario realem distinctionem inter iustitiam et fidem sicut inter id quod alterius intuitu, et id cuius intuitu datur (3).

(1) Hom. 8 in Ep. ad Rom. (M. 60, 454). " Comantem „ i. e ampla coma redundantem.

(2) Verba sunt Chrysostomi ad eumdem locum.

(3) Licet rursus ratio concreta " intuitus „ utrobique longe diversa sit : in " labore „ attenditur " condignitas „ quae salarium postulat ex iustitia ; in fide " congruitas „ quae liberalitatem provocat. Dicere autem Paulum aut non perce-

Haec autem habitudo evanescit in textu nisi pro צדקה legatur לצדקה. Secundum Apostoli mentem igitur habitudo fidei ad iustitiam est habitudo conditionis cuiusdam praevie apponendae, ad donum iustitiae eius intuitu obtinendum. Est autem conditio non utcumque sed in linea vere ac proprie dictae " dispositionis „ utpote actus voluntarius et honestus credentis qui hunc coram Deo commendat, quae ipsissima est verae dispositionis notio. Dispositionem tamen citra meritum a Paulo intelligi, perspicuum est, cum idem Paulus qui constanter fidem ceu conditionem ad iustitiam postulat, quique tantopere Abrahami fidem extollit, eadem persistentia gratuitam iustitiae indolem efferat, et quidem in eodem contextu ubi fidem maxime laudat ut Rom. 4. 17–23. Meritum et dispositio hoc differunt: quod meritum conferat "ius „, cui si non satisfiat, iniuria operanti irrogetur: dispositio autem " capacitatem „ citra ius, qua praetermissa, iniuria capaci non fiat.

Protestantes, decepti Pauli locis ubi gratuitam iustitiae indolem extollit, ne gratuitati iustitiae detrahant, auferunt a fide dispositionis rationem, et dicunt fidem aliud non esse quam instrumentum quasi mechanicum recipiendi iustitiam, sicut manus pauperis, aiebat Calvinus, quae eleemosynam a divite accipit. At indubium est Paulum tum Hebr. 11 tum Rom. 4 fidem Patriarcharum et Abrahae, quae alia non est quam fides iustificans, cum per eam Abraham « iustificetur » ac Patriarchae « probati » (1) coram Deo reddantur i. e. grati ac cari fiant, non merum instrumentum mechanicum intelligere, sed veram dispositionem quae hominem vere commendat coram Deo. Comparatio quam Rom. 4, 3-5 instituit inter habitudinem operis ad mercedem, et fidei ad iustitiam, supponit 1) iustitiam esse et manere aliquid re distinctum a fide sicut merces ab opere; 2) iustitiam conferri *intuitu* fidei sicut merces intuitu laboris, id quod nonnisi de vera dispositione, minime de instrumento mechanico dici potest (2). Splendidum dein Abrahae elogium (Rom. 4, 18-22) cum adiecta causali διό (v. 22) rem ita evidenter evincit ut nullus ambigendi locus subsit. 3) id tamen fieri citra « meritum » quod gratuitam iustitiae indolem excludat aut minuat; cum ibidem Paulus fidei directe opponat opera ceu « laborem », operosum servitium, obsequio quod talem valorem non habet.

---

pisse sententiae sensum aut eum ad proprium scopum detorsisse aequum non est, praesertim cum LXX particulam εἰς adhibeant: Paulus utpote rabbinus, textum eiusque vim grammatica tenus, apprime noverat. Certe Wilamowitz et plures hodierni critici id negabunt: sed quo iure ex alibi disputatis abunde constat.

(1) Si " ex fide „ iustificantur et probantur, aliquid in fide Deus deprehendit quod ei placet in credente qua tali.

(2) Sane, ut Calvini exemplo insistamus, stipes mendico non " manus intuitu „ datur.

4. Fides iustificans « assensus » an « fiducia » ?

Habita ratione habitudinis quae inest et iustitiae ad fidem tamquam propriam dispositionem, et fidei ad iustitiam tamquam consectarium certissime, ex Dei statuto, subsequendum, Paulus duplicem iustitiae iustificanti appellationem applicat: eam enim appellat 1) " iustitiam " ex fide „ vel " per fidem „ ἐκ πίστεως, διὰ πίστεως (Rom. 1, 17; 3, 21. 22), quia iustitia ex fide sive per fidem comparatur; et 2) " iustitiam omni credenti „ παντὶ τῷ πιστεύοντι, εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας (Rom. 10, 1; 3, 22). Re utraque appellatio idem enuntiat: nexum iustitiae ad fidem ceu propriam eius dispositionem; sed dum prior sistit in ipso " nexu „, altera effert nexus certitudinem: iustitia certissime dabitur " cuivis credenti „. Adest tertia formula: δικαιοσύνη εἰς πίστιν " iustitia in fidem „ (Rom. 1, 17): haec formula aequivalet illi: δικαιοσύνη παντὶ τῷ πιστεύοντι, εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας; quia πίστις Rom. 1, 17 valorem habet obiectivum et significat " credentes „ sicut nomina ἀκροβυστία et περιτομή " praeputium „ et " circumcisio „ saepe apud Paulum sumuntur pro " praeputiati „ et " circumcisi „. Iustitia proin " in fidem „ est iustitia " ad credentes „, iustitia quae credentibus datur. Demum formula: δικαιοσύνη ἐκ πίστεως εἰς πίστιν utramque simul relationem complectitur: iustitia „ ex fide comparanda „, et " ad fidem sive credentes destinata, oblata „ (1).

At quaenam tandem est haec " fides „ aut quaenam eius natura secundum Apostolum? Momentum quaestionis facile apparet quia thesis de " iustitia ex fide „ tessera Pauli fuit in controversia contra iudaeos ac iudaizantes (2), qui iustitiam non ex fide in Christum, sed " ex lege et operibus „ sive per " legem „ et " opera legis „ comparari contendebant (Act. 15, 2. 5; Gal. 2, 21; 4, 21; 5, 2. 4). Hos adversarios haberi prae oculis ab Apostolo cum suam thesin de iustitia ex fide propugnat in Epistola ad Rom. perspicuum fit ex Rom. 9, 30–33. Ibi enim Paulus ob oculos ponit et in compendium redigit totam controversiam in serie

(1) δικαιοσύνη ἐκ πίστεως εἰς πίστιν " iustitia ex fide in fidem „ idem est atque iustitia quae ex fide sive per fidem comparatur, quaeque ad quoslibet credentes datur, conferenda ordinatur.

(2) Adversarii quos directe Paulus impugnat in Epistola sunt iudaei quorum erat thesis: " iustitia ex lege et operibus „ (Rom. 9, 31–33): hos dein imitabantur ita ut in hoc articulo vix ab eis differrent, iudaizantes (Act. 15, 2, 5; Gal. 5, 2. 4; Phil. 3, 9).

epistolae discussam cum respectiva contendentium thesi. Decertantes sunt Paulus et Doctores Israëlis, illi " qui offenderunt in lapidem offensionis „, Christum scilicet quem repudiarunt. Thesis vero respectiva: " iustitia ex fide „ et " iustitia ex operibus „, scilicet legis. Ex hoc fundamentali loco diiudicandum est de genuino valore " fidei „ et " operum „ in mente Apostoli. Ante omnia perspicue apparet fidem cuius intuitu datur iustitia, non esse " fiduciam „ sed fidem per assensum mentis in veritatem de Christi missione; nam ideo iudaei isti " iustitiam „ non repererunt, quia eam non quaesierunt via qua quaerenda fuisset, fide in Christum quam non habuerunt. Et quaenam est in mente Apostoli fides haec qua iudaei caruerunt? Non, certe, " fiducia „; sed fides qua in veritatem creditur, qua veritas suscipitur; nam caruerunt fide iustificante hi iudaei quia offenderunt in lapidem offensionis „, Christum repudiarunt, i. e. ei se Messiam declaranti assensum non praestiterunt. Huic fundamentali loco concordant omnes illi classici ubi Paulus fidem iustificantem describit. Tales sunt, prae cunctis aliis, Rom. 4, 24 et 10, 9. 10 quia in iis prae reliquis quibusvis ob oculos ponit Paulus fidem illam cuius intuitu iustitia confertur. Reputabitur nobis, scribit in primo, fides ad iustitiam, sicut Abrahae sua fides reputata est, si " credideritis in eum qui suscitavit Iesum Christum a mortuis „. In altero autem tanquam munus et officium fidei iustificantis, i. e. tamquam specificam naturam actus a iustificando praestandi proponit " confiteri ore et credere corde quod Deus Christum suscitavit a mortuis „. Hoc duplici testimonio describit nobis Apostolus fidem iustificantem tam ratione termini quam ratione tendentiae quae characteristica eidem sunt; et ex utroque elemento apparet eam a Paulo tamquam " assensum „, non tamquam fiduciam cogitari. Evidens vero est actum credendi et confitendi resurrectionem Christi non posse esse fiduciam; nequit enim haberi fiducia quod Christus resurrexerit aut quod Deus illum suscitaverit. Idem confirmant illi loci, et sunt innumeri, ubi Paulus " credentes „ πιστεύοντας, illos nempe quibus iuxta Rom. 3, 22 ob fidem conceditur iustitia Dei, intelligit eos qui " praedicationem Evangelii „ acceptarunt, i. e. revelatas veritates in eo contentas; atque per hanc acceptationem, quae sine dubio per mentis assensum, et non aliter, fit, distinguit ab incredulis qui a iustitia et salute excluduntur. Demum illi alii in quibus fides cadit in veritates aut eventus iam praeexistentes, respectu quorum fiducia haberi non potest.

Duplici ex capite potest contra proxime dicta dificultas moveri. Dictum nimirum est Christi resurrectionem esse unum ex primariis fidei articulis : iam vero Harnack (Lehrb. der Dogmeng.[4] p. 96) contendit « factum historicum » non posse esse fidei obiectum cum fides, ait, « fiducia sit, et de eventu consummato haberi fiducia nequeat ». Difficultas haud aegre expeditur negato supposito quod fides fiducia sit ; eo enim ipso quod resurrectio proponitur tamquam primarium fidei iustificantis obiectum, evidens fit fidem fiduciam esse non posse. Verum alio ex capite urgeri difficultas potest, ex eo nimirum quod cum fides christiana omnibus ex aequo fidelibus proponatur, quo pacto poterat Apostolis, qui tamen inter fideles, principes sunt, obiectum fidei esse factum quod immediata et physica evidentia usurpabant? At obiectionem iampridem solverat S. Gregorius M. cum de fide Thomae ait hunc aliud « vidisse » i. e. experientia visus et tactus usurpasse, et aliud « credidisse ». Identitatem corporis Christi, quod vivum experiebantur apostoli, cum eo quod gesserat Dominus in vita mortali utique sensu percipiebant, et sic eo ipso mente *per evidentiam* intelligebant hominem resurrexisse ; at articulus resurrectionis non erat pro illis identitas corporis aut nudum factum *resurrectionis sui Magistri ;* sed resurrectio *Filii Dei* » : « credo resurrexisse Filium Dei », credo « hunc suscitatum esse Filium Dei ». Sic enuntiat Thomas suam fidem : « Dominus meus et Deus meus » (es tu) ! (1) ; et ea prolata Christus dicit : « quia vidisti, credidisti ! » i. e. in illa exclamatione cernit actum fidei. Certe non casu Thomas solis illis verbis suam fidem hactenus detrectatam, exprimit: ex illis apparet perspicue quidnam directe eius mens tanquam supremum culmen illius processus mentalis ac praecipuum obiectum respicit : non nudum factum resurrectionis, sed eius applicationem ad « Filium Dei » sive « Deum Filium ». Idem erat obiectum fidei ceterorum apostolorum. Perspicuum est talem applicationem non sensus nec rationis evidentia fieri, sed declarationibus per Iesum factis in sua praedicatione de sua persona, quae « evidenter credibiles » reddebantur maxime facto portentoso resurrectionis.

Fidem – fiduciam protestanticam sic novissime propugnat J. Weiss. 1) πίστις = " fides „, ex nativa sua vi est " fiducia „, ac πιστεύω = " credere „ est " fiducialiter se alicui committere „. Hic est conceptus quem Novum Testamentum alligat his vocibus in insignioribus locis ubi de fide iustificante agitur ut Hebr. 11, 1 ; 1 Thess. 1, 8 ; 1 Pet. 1, 21. Profecto, Hebr. 11, 1 tam ὑπόστασις = " consistentia „ rerum sperandarum, quam ἔλεγχος = " coniectatio, coniectura „ non apparentium i. e. nondum possessarum, essen-

(1) Sententia per nominativum, non per vocativum dicitur : ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου.

tialiter " futura „ respiciunt ; et sic " fiduciam „, non " assensum sonant. Item Rom. 4, 17–23 classicus locus de fide iustificante, fidem Abrahae in futuros eventus cadere facit sub eorum implendorum " spe „, i. e. fidem tamquam " fiduciam „ describit. 2) Etsi verum sit identidem ab Apostolo in fide " assensum „ efferri, tamen saepe fidei non assignat terminum concretum, amandato scilicet quasi minoris momenti, ad locum secundarium elemento obiectivo, dum e contra effertur subiectivus i. e. fiducialis affectus. Sic Rom. 10, 8 fides iustificans reponitur in re admodum obvia : in " voluntaria scilicet et affectuosa susceptione salutis „ quae in Evangelio proponitur : certe assensus in multiplices enuntiationes quae praedicatione tradebantur, non erat tam facilis ac simplex, dum e contra, affectiva oblatae salutis susceptio facilis est. Hanc ergo, non assensum, urgebat Apostolus cum fidem urgebat. Alias, etiam in illis exemplis ubi fidei assignat terminum praesentem vel praeteritum, tendentiam tamen actus revocat potius ad " fiduciam „ ut Rom. 10, 13: " qui, credit in eum, non confundetur „. 3) Conceptus fidei proin, sic ab intellectualismo emancipatus, ex Rom. 10, 5–7 et 4, 5 definiri iuxta Paulum potest veluti " simplex et minime anxia salutis acceptatio quae quamvis operositatem excludit : fiducialis susceptio oeconomiae salutis in Evangelio oblatae „. Ratio cur saepe difficile sit Pauli mentem capere est quia vocem quae assensum significare solet, applicat ad " facta oeconomiae christianae „ quae non assensu, sed fiducia amplectenda sunt (1).

Obiectio accurate colligit quae pro fide–fiducia ex N. Test. contra rectam de fide notionem urgeri possunt. Sed iam ipse doctus Professor agnoscere cogitur Apostolum, cum agit de fide christianorum propria i. e. de fide qua " iustificantur „, assignare tamquam proprium eius terminum " enuntiata „ i. e. " veritates „ tam ordinis speculativi quam empirici, sicut perspicue apparet Rom. 4, 24. 20 ubi fides iustificans describitur veluti fides " in Deum *qua* suscitantem Christum „, i. e. fides in resurrectionem Christi veluti opus a Deo peractum. Certe talis fides non est fiducia ; nemo enim apte dicere potest : " confido Deum suscitasse

(1) *Urchrist.* 322–326. Weissio consentit Feine, secundum quem fides iustificans est " die Zueignung des von Gott im Erlösungstode Christi für jeden Mensch geordneten Heils „. (p. 275). Weiss lectorem remittit in confirmationem suae doctrinae ad Schlatter, Bousset et Lietzmann quorum tamen argumenta non alent plus quam allata a Weiss.

Christum „ : facta consummata nequeunt esse obiectum " fiduciae „ sive " spei „. Similiter Rom. 10, 9 ubi fatente Weiss Paulus de fide iustificante agit, scribit Apostolus : " hoc est verbum fidei quod praedicamus (nempe haec est fides quam necessariam ad salutem praedicamus ac requirimus) : si confitearis ore Iesum Dominum, et credideris corde Deum suscitasse illum a mortuis, *salvus eris* „. Fides necessaria ad salutem, quae certissime alia non est quam fides iustificans, describitur hic a Paulo per duplex elementum, internum cordis et externum oris quo constat ; et pro utroque, assignatur tamquam proprius eius terminus hic duplex articulus : " Iesus est Dominus „ ; et : " Deus suscitavit Christum „. Talis fides non est " fiducia „ sed " assensus „. At ex his locis sequitur etiam illam fidem qua credens iustificatur, de qua Rom. 3, 22, esse fidem quae fertur in Iesum qualis praedicabatur in praedicatione apostolica, " Filium Dei, incarnatum, natum, passum, mortuum, suscitatum „ i. e. Christum ut proponitur in Symbolo, ut obiectum " articulorum „ ; nam nec " qui credunt in Christum „ (Rom. 3, 22) alia fide credunt quam ea quae Symbolo praestatur, nec Paulus Rom. 3, 21–26 de alia fide quam iustificante loquitur.

Respondet quidem Weiss " fidem in Christum „ in mente Apostoli esse " fiduciam „ non " assensum „ quia momentum actus salutaris ab eo reponitur non in elemento intellectuali assensus sed in affectivo fiduciae, quia Paulus ait fidem esse " facilem „ id quod de " fiducia „ non de assensu dici potest ; et quia addit credentem non " confusum iri „ i. e. non frustrandum fore affectu quem actu fide concepit ; quibus declarationibus aperte ostendit se in illa fide non " assensum „, qui et difficilis est, et cum de praesenti ponatur, contingentiae confusionis obnoxius non est, sed " fiduciam „ intellexisse. — Sed ex hisce Pauli declarationibus minime sequitur eum sub illa fide non intellexisse " assensum „. Actus qui pro termino proprio et inmediato habet " veritatem empiricam „ praesentem vel praeteritam, quique " fidei „ nomine appellatur, nequit esse aliud quam " assensus „. Quod vero Paulus fidem tamquam facilem traducat, solum probat Apostoli criterium hac in re diversum esse ab eo Weissii et Feinii, nimirum difficile non esse Deo loquenti assensum praebere etiamsi ardua revelet et humanae rationi impervia. Quod vero addat eum qui talem actum posuit non passurum fore confusionem, nec mutat nec mutare potest naturam illius actus, et solum probat cum illa

fide et supra illam exsurgere sponte alium actum qui circa obiectum futurum versatur, actum nimirum " spei „ et " fiduciae „ de salute obtinenda mediante Christo, in cuius resurrectionem credit " ut mundi et hominum *Salvatoris* „.

Ad obiecta Ioannis Weiss reliqua reponimus, ad 1um : etsi concedendum sit vocabula πίστις et πιστεύω significare saepe in scriptoribus tam classicis quam biblicis " fiducialiter sese alicui tradere, committere „, Paulum tamen cum de fide loquitur, non hoc sensu illa vocabula, sed pro assensu desumere ut ex praecedenti analysi satis apparet. Ad 2um : neque cum de fide iustificante fit sermo, momentum praecipuum actus significati vocibus πίστις, πιστεύω reponi a Paulo in fiducia aut fiduciali elemento; sed solum insinuari cum fide sponte copulari spem et fiduciam de salute ad eamque ingenerandam ordinari fidem ; quia nimirum per fidem in Christum " Salvatorem „ fiduciam concipimus quod suam potentiam salvificam exercebit in nostri favorem qui eum " verum Salvatorem „ confessi sumus. Ad 3um de conceptu fidei tamquam " fiduciae „, cum proponatur velut corollarium praecedentium, his corruentibus, corruit similiter. Ad definitionem vel notionem fidei Hebr. 11, 1 : in descriptione illa perspicue distinguit Apostolus duo : ipsam fidem et eius respectum ad " speranda „ ac " nondum apparentia „. In vocibus ὑπόστασις et ἔλεγχος significatur ipsa fides seu eius actus : respectus vero significatur vel innuitur in termino : " sperandorum „ et : " non apparentium „. Fides autem est " substantia „ sive " subsistentia „ vel " consistentia „ rerum " sperandarum „ i. e. dicit ad illas relationem " fundamenti „, quia iis " ut sperandis „ vel " coniectandis „ certum fundamentum praebet (1). Sic cum " credimus „ Christum esse omnium " Salvatorem „, haec fides fundamentum nobis praebet " sperandae ab eo salutis „, quod fundamentum non habet qui Christum " Salvatorem „ non credit. Cum vero in altero membro fides dicitur ἔλεγχος οὐ βλεπομένων : " argumentum, ut optime transtulit Vulgatus, non apparentium, non visorum, eorum quae non videntur „, planum est eamdem esse relationem inter " argumentum „ et " non apparentia, non visa „ in hoc membro quae in praecedenti inter " substantiam „ et " speranda „.

(1) Coniectura sive coniectatio de qua sermo est, non appellatur ita ob termini contingentiam aut incertitudinem ut in coniectura naturali accidit : appellatur coniectura, coniectatio quia etsi certissima de suo obiecto, hoc tamen nondum " cernitur „, nondum " possidetur „.

Et sicut consideratis futuris qua " sperandis „ fides dat eis basin in linea spei, sic consideratis qua " videndis „, dat basin in linea " visionis „ i. e. intelligentiae, facit mente subobscure capere, quae postea plena luce, intuitione cernentur.

Forsan post dicta cogitet aliquis : controversia inter protestantes et catholicos de interpretatione conceptus fidei iustificantis apud Paulum, videtur quaestio de verbis : quia et protestantes admittunt in illo conceptu cum fiducia assensum, et catholici cum assensu fiduciam, igitur tandem totum discrimen est in ordine et momento respectivo elementorum, id quod definire apud Paulum ardua res est. Respondemus non esse ita. Cum protestantes fidem iustificantem reponunt in « fiducia », etsi agnoscant Paulum fiduciae adiungere assensum, putant ita assensum adiungi « fiduciae », ut assensum reputent elementum « secundarium » et quod « negligi atque omitti possit » ; fidem iustificantem Pauli esse fidem independentem ab « intellectualismo » (i. e. ab assensu in dogmata et a dogmatis ipsis) solumque stare in « religioso fiduciae sensu » versus Deum (1). Catholici vero etsi concedant assensum fidei sponte gignere « fiduciam », imo ad eam gignendam essentialiter ordinari, statuunt assensum non solum non esse elementum secundarium et quod possit parvipendi, negligi, imo et omitti ; sed statuunt, iuxta Paulum, in assensu et in obiectiva revelatione consistere totum fundamentum (ὑπόστασιν) fiduciae, neque hanc posse ulio modo stare, elemento « intellectuali » sublato. Nam salus quam christianus sperat est salus non quaevis, sed salus quae concrete manat a Christo qualis a revelatione proponitur i. e. in Symbolo et doctrina catholica. Protestantes autem hodierni qui hunc Christum non admittunt, eo ipso saluti per eum afferendae valedicunt. Videat ergo lector quaenam conceptio respondeat menti ac verbis Apostoli : utrum catholica, an protestantica. De consequentia inter protestantismum « orthodoxum » et « criticum » hac in re cfr. Moehler *Symbolik* Lib. 1 cap. 3 § 19 ubi Lutheri verba citat : « Verbum Dei omnium primum est, quod sequitur fides, fidem charitas, deinde facit omne opus bonum » Lutherus in hac serie omittit « agnitionem veritatis » ; nam « fides » est, iuxta illum, « fiducia ». Igitur vel omittit omnino assensum in verita-

(1) De facto hodie plerique protestantes, saltem in Germania, " intellectualismo „ et " dogmati „ valedixerunt, ac nihilominus putant se retinere doctrinam Pauli. Sic J. Weiss et Harnack cum innumeris aliis. Imo religio sive christianismus horum aliud non est quam pura religio naturalis in qua " categoriae „ i. e. res quae terminologiae respondent nihil retinent realitatis illius quam sub illis terminis professi sunt et docuerunt Apostoli et Christus, etsi terminologiam biblicam et protestantismi historici retineant. Aliqui protestantes etiam docti, ut Feine, ambigue loquuntur quia vellent conciliare orthodoxiam cum naturalismo ubilibet grassante. Cfr. Feine, *Theol. des N. Test.* 291–293).

tem praedicatam, vel eum ita in unum refundi cum fiducia ut huic praevalentiam concedat. Quid mirum si ex hac Reformatoris ambigua doctrina emerserit sensim neglectus « veritatis » et praevalentia fiduciae qualem hodie (2) proponit v. g. J. Weiss ?

5. Fides et opera eorumque mutua habitudo in Pauli technologia.

Ex testimonio Rom. 9, 32 non minus perspicue apparet quo sensu Paulus " fidem „ et opera „ sumat in controversia de fide iustificante. Axiomatis instar est apud Apostolum iustitiam a Deo conferri ob fidem, seu obtineri " ex fide „, " per fidem „ ; non " ex operibus legis „ aut " per opera legis „. Sed cum tam " fides „ quam " opera legis „ possint multiplici sensu intelligi, hinc difficultas in definiendo sensu praeciso quo Paulus sumit tam " fidem „ quam " opera „ in relatione mutua quam habent inter se per ordinem ad iustitiam obtinendam, etiam postquam definitum est fidem iustificantem esse " assensum „ non " fiduciam „. Ut igitur facilius hunc sensum attingamus, praemittamus prius tria quae ad notionem ipsam " fidei „ et " operum „ et ad respectivam uniuscuiusque extremi characteristicam notam pertinent. 1um Nomine " operum legis „ vel ut etiam ea compendiosius appellat, " operum „ intelligit Paulus opera quae legem vel eius praecepta aut monita quaecumque implent ; opera virtuosa : sive lex quam implent sit mosaica, sive naturalis. 2um inter " fidem „ et " opera „ hanc oppositionem statuit : quod opera cogitentur velut " operosum quoddam servitium „ in obsequium Dei, quod in huius quasi profectum cedat, et operantis laborem meritorium prae se ferat cui ex iustitia retributio rependi debeat tamquam condigna merces (2) : fides vero ut obsequium etiam, sed nec proficuum Deo, nec operosum aut meritorium ex parte credentis ita ut retributio ei ex iustitia debeatur. Habitudo haec inter fidem et opera per-

(2) Inter elementum " intellectuale „ et " affectivum „ in fide protestantica viget similis habitudo atque inter opera et fidem. Protestantes non proscribunt bona opera speculative, imo dicunt ea sponte a fide ingenerari : at cum veluti elementum salutiferum statuant *solam* fidem, obvium est practice hoc corollarium : ergo dummodo ego credam, etsi opera negligam, salvabor.

(2) Fundamentum huius conceptionis stat in hoc quod implens legem obedit Deo et exequitur opus quod Deus propter se iniungit. Hinc impletio legis " servitium „ Deo praestat quod quasi in Dei profectum cedit. Praeterea obedientibus sibi et suae legi Deus " praemia „ promittit : hinc meritum operum subauditur.

spicua redditur Rom. 4, 4. 5, ubi Paulus talem oppositionem statuit inter "operantem„ et "credentem„, ut, dum "operans„ exhibet opus laboriosum cui merces rependitur non ex gratia, sed ex debito; "credens„, e contra, proponatur veluti qui nullum opus laboriosum praestat ex debito compensandum, sed aliquid penitus diversum: "fidem„, cuius intuitu datur iustitia, at non ex debito, sed, quod consequens est, "gratis„ (1). Hinc 3um: iustificari "ex fide„ et iustificari "gratis„ in Pauli conceptione idem prorsus est: sic 3, 21-26 cum recenset iustitiae characteres, copulat in ea quod sit ex fide et quod sit gratuita. Hinc etiam 4, 6 testimonium Psalmi 32 quod nihil expresse de fide dicit, sed solum de gratuitate iustitiae loquitur, copulat Paulus cum testimonio Genesis 15, 6; et allato utroque intendit probare thesin 3, 21 statutam de iustitia Dei "a lege et Prophetis„ testimonio firmatam, i. e. de iustitia "ex fide„. Demum 4, 5 ex eo quod Abraham "ex fide„ iustificetur, concludit "gratis„ iustificatum esse.

Prima quidem specie mira et arbitraria videtur talis distinctio inter fidem et opera virtuosa, cum et fides quoque opus virtuosum sit, et opera quaevis virtuosa non magis Deo proficua sint quam fides: quare igitur valor fidei minor sit valore aliorum actuum virtutis? At Pauli mens non est comparare fidem cum operibus virtuosis « in se »: Pauli argumentatio procedit in ordine gratuito providentiae divinae, et refutaturus errorem iudaeorum qui iustitiam ex operibus concedi autumabant, quasi mercedem laboris, dicit: si Scripturam consulimus, reperiemus Abrahamum, de cuius iustitia dubitari nequit, imo quem iustissimum iudaei praedicant, non eo processu iustitiam obtinuisse quo iudaei volunt, sed « ex fide », minime habitis in consideratione quibusvis vel praestantissimis aliis eius operibus virtuosis quae in eo certissime plurima et eximia fuerunt. Cum de iustitia Abrahae agit Scriptura, eique originem assignat, eam non ex magnis Patriarchae virtutibus derivat,

(1) "Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei vero qui non operatur sed credit ... reputatur fides ad iustitiam„. Textus latinus offert duplicem, etsi levem utique difficultatem in v. 5: prima est inconcinnitas inter constructionem per relativum (qui non operatur) et per participium (credenti), cum tamen in originali utrumque membrum, utpote in eadem linea coordinatum, exprimatur per participium: τῷ μὴ ἐργαζομένῳ, πιστεύοντι δέ ... Secunda, usus particulae "autem„ quasi imperfectae seu relativae oppositionis cum tamen oppositio sit perfecta, et δὲ aequivaleat ἀλλά ut saepe apud Paulum. At levis haec inconcinnitas in expressione sensus perspicuitati non nocet.

sed ex fide ; ac proin iustitia ei non conferebatur ob meritum, sed gratis ; non quasi merces ob laborem, sed ex liberalitate : si ex merito ob virtuosa opera data fuisset Abrahae iustitia, Scriptura omnes eius virtutes velut iustitiae causam memorasset. Paulus hoc solum affirmat : in iustificatione Abrahae Deus, ut ei iustitiam conferat, ad solam fidem attendit atque huius intuitu ei iustitiam confert. Hinc sequitur 1) iustitiam non ex merito dari, cum certissime Abraham plurima alia magna opera patrasset quae memoranda fuissent, si iustitia ex operibus datur : 2) fidem ipsam non attendi tamquam « opus », sed veluti meram conditionem.

Praelucente hac sua analysi historiae Abrahae, ac consequente inde oppositione inter « fidem » et « opera », adstruit Apostolus suam doctrinam de dispositione ad iustitiam. Rom. 3, 21. 22. 28 ait iustitiam obtineri « ex fide, sine operibus legis » χωρὶς νόμου, χωρὶς ἔργων νόμου : et Gal. 2, 16 acuit oppositionem docens iustificationem « non ex legis operibus, sed ex fide Christi » comparari.

Expositis iam notionibus, videamus quaenam concrete opera excludat Paulus, an omnia penitus, an quaedam solummodo ; atque in primis num talem oppositionem statuat Apostolus inter fidem et opera in ordine ad iustitiam obtinendam ut etiam operum " praesentiam „ excludat. Sed quomodo iustificatio apud Deum opponi potest impletioni Decalogi ab ipso Deo promulgati et iuxta Psalmistam sub strictissimae observantiae iniunctione? (1) Aut quis audeat negare Abraham praestantissima virtutum opera exhibere potuisse eo tempore quo Gen. 15, 6 dicitur iustificatus? Nec Paulus negat Abrahae praeclara opera, imo libenter adfuisse in Patriacha concedit : addit tamen Deum ad illa non attendisse cum Abraham iustificavit (2). Et Rom. 3, 27 eo ipso quod " gloriationem ex operibus „ exclusam dicit " norma fidei „ exposita 3, 21–26, aperte prodit posse utique praeclara opera haberi, quibus tamen gloriari apud Deum non liceat, sicut Abrahae non licuit.

Sed tametsi de sola " efficacia „ iustificativa, non de simplici praesentia agatur, perstat difficultas in definienda oppositione operum et fidei. Si fides, ut iustificationis principium, excludit

(1) Ps. 119, 4.

(2) Chrys. (Hom. 8 in Ep. ad Rom. M. 60, 454) Abrahamum cum iustificabatur dicit " affluxisse „ eximiis operibus. Paulum vero concedere haec eadem opera in Abrahamo apparet ut recte Chrysostomus loco citato animadvertit, eo ipso quod dicit : " si ex operibus iustificatus est ... „ quod nimirum concedendo operum exstantiam dixit.

opera legis eisque opponitur, id videtur sequi "fidem solam„ virtute iustificandi pollere et ab hac efficacia excludi quidquid fides sola non sit, ita ut quaevis, cuiuscumque generis, opera, non solum ea quae "sine fide, ante fidem et extra fidem„, sed etiam quae "cum fide et sub fide„ exercentur, excludantur. Ut hanc esse mentem Apostoli tenent ab aetate Lutheri omnes protestantes passim, non solum qui dicuntur orthodoxi sed etiam hodierni rationalistae et critici; et, Luthero duce, axioma paulinum ita explicant, ut fidei nomine intelligant "solam et nudam fidem„ quam ideo appellant antonomastice "fidem iustificantem„. Non negant protestantes, neque negabat Lutherus "fidem„ sive "fiduciam„, secundum Paulum, actibus aliarum virtutum posse consociari, sed contendunt neque necessarium id esse, neque, si aliae virtutes adsint, iustitiam concedi intuitu earum, sed solius fidei. Nomine igitur "operum„ a Paulo exclusorum per fidem, intelligunt quidquid non est sola et nuda fides. "Tenemus, ait Lutherus, hominem iustificari sine legis operibus, sola fide, vel solummodo per fidem„ Hic est sensus quem dat adverbio "tantum„ (allein) quod textui paulino interpolavit Rom. 3, 28.

Sed si prae oculis habeatur, ut debet haberi, Paulum per totam sectionem Rom. 2, 1-3, 31, speciatim vero a 2, 24 et specialius adhuc 3, 27-31 non alios adversarios respicere quam iudaeos, hosque velle refellere, facile perspicitur Apostolum "opera legis„ quibus vim iustificativam negat, non alio sensu intelligere quam eo quo eadem opera propugnabant iudaei, cum iustitiam "ex lege„ vel "ex operibus legis„ derivabant. Iamvero opera quae iudaei tamquam iustitiae fontem propugnabant, erant "opera sine fide et extra fidem„; nam iuxta Rom. 9, 32 ideo illa opera dicuntur a Paulo opera "ex lege„ et non "ex fide„ quia iudaei illi iustitiam quaerebant "non ex fide (qua carebant cum in Christum impegerint repudiata eius praedicatione), sed quasi ex operibus„ (quae illis sine fide restabant). Si adversarii illi fuissent "credentes„ Paulus alio ac diverso prorsus modo de eorum operibus locutus fuisset, et non reputasset ea penitus inepta ad iustitiam (1). "Opera„ ex lege„ vel "legis„ quae contraponuntur "fidei„ non sunt in

(1) Non opponuntur haec superius dictis de iustificatione Abrahae: quia ibi quoque Paulus opera intelligit sensu iudaico: sed ipse in illa fide Abrahae includit opera virtuosa Abrahae quatenus fide informata, ut patebit ex dicendis et expressis terminis docet S. Iacobus 2, 21-25.

mente Pauli quaevis opera, sed opera quae fide non informantur; opera vero quae fide informantur in idiomate Apostoli sunt "fides„ non "opera„. Et hunc esse legitimum sensum locutionis luculenter confirmatur ex Hebr. 11, 1-40 ubi plurima opera diversarum virtutum ab apostolo appellantur "fides„. Sic oblatio Abel, fabrica arcae, obedientia Abrahae, benedictio Iacob, mandata Ioseph etc.; nam "fide„ obtulit Abel suas hostias, "fide„ Noë fecit arcam etc. i. e. respectivis actionibus offerendi, fabricandi, fide informatis.

Obiiciet forsan quis: at «fides» quam Paulus opponit operibus, fides sola debet intelligi; tum quia id sonat vox, tum quia iudaei quos Paulus impugnat, informabant etiam ipsi sua opera per «fidem» non quidem in Christum, sed utique «in Deum» et tamen a Paulo opera illa opponuntur «fidei». Ut ergo Apostoli axioma suam vim retineat, opera quae a fide excluduntur, debent esse quaevis opera, etiam sub fide. — At 1) cum de mente Pauli detegenda agatur, termini debent sumi secundum eius scopum et contextum in materia de qua sermo est, non secundum definitiones abstractas aut notiones a priori: ex contextu vero sectionis vel pericopes 9, 29-32 sensum illorum terminorum «opera legis», «opera ex fide» perspicue cognoscimus. Cognita autem vi harum expressionum in illa pericope, ex ea concludimus ad reliquas, quia per totam epistolam controversia eadem est et cum iisdem adversariis. Obiectio ex distinctione inter fidem in Deum et fidem in Christum vim nullam habet: pro Apostolo et in rei veritate, nulla datur vera fides extra fidem in Christum; et qui Christum ex obstinatione repudiaverant, non minus repudiaverant Deum (Ioann. 15, 23-25 (1). 2) Fides vera secundum Paulum, ut ex Hebr. 11 patet, non est nuda fides tantum, sed etiam opera ex fide. In Pauli ergo formulis fides non intelligenda est nec nuda, nec quae in Christum non sit, semel scilicet noto Christo. Quod si Christus expresse non cognoscitur, et tamen concipitur ab aliquo, a pagano v. gr. fides supranaturalis, dum illa ignorantia durat, fides haec revera est fides in Christum licet implicita.

(1) "In haeretico discredente unum articulum fidei, non manet fides neque informis neque formata..... sed ea quae sunt fidei alio modo tenet quam per fidem„. S. Th. *Sum. theol.* 2^a 2^{ae} q. 5 art. 3 corp. In illo qui bona fide non crederet in Christum quia nondum v. gr. sufficientia motiva videret, posset utique fides in Deum esse vera fides; sed non sunt tales iudaei Pauli adversarii. Deinde in illo qui in Christum formaliter non credebat ob motivum dictum, remanebat fides etiam in Christum aequivalenter, quia paratus erat ad eam formaliter concipiendam quamprimum motiva ei proponerentur. Haec non est fides "in voto„: votum non est de fide sed de quodam eius obiecto concreto, dum manet aliud formaliter susceptum.

Quae in epistola ad Hebr. (1) sparsim de pluribus virtutibus dicuntur cum in medium eas Paulus affert ceu totidem manifestandae fidei formas, ad generalem formulam revocatur Gal. 5, 6 cum ait in christianismo summam rei cum de fonte salutis et iustitiae agitur, huc revocari, ut axioma retineatur de " fide quae per caritatem operatur „ i. e. actuatur (2), actuosa et fecunda bonorum operum redditur. Nimirum fidem quae ad iustitiam disponit non quamlibet fidem etiam sterilem et sine ullo boni operis subsequente fructu intelligit, sed eam quam virtuosa omnis generis opera subsequuntur sub caritate fidem fecundante, eamque ad actus virtutum, ad quos generandos nata est, promovente. Hinc, collato axiomate Gal. 5, 6 cum Hebr. 11, 4–40 apparet Paulum in priore loco nomine caritatis (ἀγάπη) vel quamlibet christianam virtutem intelligere quando christiano spiritu Deum respicit, vel caritatem quidem proprie dictam i. e. perfectam, sed quasi virtualiter actus christianarum virtutum informantem. Ceterum actuatio sive informatio fidei per caritatem ad omnigenam virtutem de qua Paulus loquitur, est informatio, ante omnia, " radicalis „ per propositum voluntatis perficiendi vel implendi omnia Dei mandata ; et postea formalis pro singulis actibus vel opportunitatibus sese offerentibus illud propositum exequendi, vel utrumque simul : primum pro momento ante iustificationem, alterum pro vita subsequente. Ideo Tridentinum inter dispositiones ad iustificationem recenset septimo et ultimo loco : " propositum inchoandi novam vitam et servandi divina mandata „ (3).

Ex dictis sponte haec corollaria consequuntur : 1um concordare cum Paulo illos Scripturae locos ubi iustificatio eodem modo atque fidei, promittitur poenitentiae (Act. 2, 38), eleemosynae sive beneficentiae operibus (Dan. 4, 24) ; caritati (Lc. 7, 47) : quia nimirum omnes hi virtutum actus sicut Christus Lc. 7, 50 insinuat, fide reguntur, in ea radicem habent eamque actuant. 2um amice etiam concordare cum Paulo Iacobum cum fidem operi-

(1) Quae per totam sectionem testimonia ex epist. ad Hebr. afferimus quasi Pauli doctrinam testantia, ex adversariorum quos impugnamus mente id agimus : hi enim afferunt etiam pro sua doctrina locos ex eadem epistola quasi aut Pauli sit, aut Pauli doctrinam hac de re exhibeat. Sic vidimus afferri pro se a J. Weiss Hebr. 11, 1.

(2) πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη : ut patet, Vulg. sumit verbum *operor* passive, aut supponit formam *opero*.

(3) Sess. 6. cap. 6, Cfr. Möhler (ex Sadoleto) *Symbol.* § 19.

bus compleri docet, ac sine operibus mortuam, inanem esse (Iac. 2, 20–26). Imo 3um fidem sine operibus sive de facto sive in votis, inanem esse.

6. Operum ad iustitiam imparitas.

Restat exponendum de qua operum " imparitate „ ad iustitiam agatur cum de operum ad iustitiam imparitate fit sermo: an de imparitate ex operum " absentia „, quod nimirum extra fidem universae legis observantia quae iuxta Lev. 18, 5 et Dt. 27, 26 ad iustitiam requiritur (qui fecerit ea i. e. observaverit praecepta omnia Legis, vivet in eis) impossibilis plane est, et sic ex operibus sine fide non potest comparari iustitia quia nemo legem implebit; an de operum " improportione „, quod scilicet etsi darentur talia opera, adhuc, utpote naturalia, iustitiam Evangelii quae supranaturalis est non attingerent. Sunt qui primum sensum, sunt qui alterum et sunt demum qui utrumque simul, sed praecipue alterum cogitari ab Apostolo putant. Mens Apostoli iuxta postremos hosce haec est: paganismus et iudaismus non exhibent honesta opera; sed tametsi ea exhiberent, nondum ex his operibus homo iustitiam obtineret quam Christus in Evangelio affert, quia adhuc talia opera, utpote naturalia, imparia ad iustitiam Evangelii essent quae supranaturalis est.

In quacumque explicatione est aliqua difficultas. Si de imparitate ex defectu impletionis legis ob absentiam operum agitur, videtur sequi iustitiam a Paulo ut pure naturalem cogitari; si enim ratio quare iustitia desit, est absentia impletionis legis, ubi primum lex impleretur, ibi haberetur iustitia; iamvero talis iustitia, utpote mediis naturalibus parta, esset ipsa quoque naturalis; et tamen indubium est Paulum Evangelii iustitiam non naturalem sed supranaturalem adstruere (1). Si de imparitate agitur ob improportionem, Apostoli argumenta ad ostendendam iustitiae absentiam in paganismo et iudaismo inepta essent ad scopum, cum evidenter eo tendant ut non improportionem sed absentiam operum probent. Thesin suam Paulus his argumentis ostendit: 1) ex facto: paganismus nedum in suis clientibus Dei iustitiam ostendere possit, colluvie vitiorum qua obruitur, ostendit e contra, Dei vindictam (1, 18-32); iudaismus vero parum a paganismo differt cum

(1) Utpote datam non solum gratis, sed tamquam participationem filiationis divinae cum Christo, pignus coelestis beatitatis quae in Dei visione consistit, etc.

eadem patret quae in paganismo damnat (21-3, 9). 2) Scriptura factum hoc oculis manifestum suo testimonio confirmat (3, 10-19). 3) Scriptura rationem facti aperiens declarat « ex operibus legis sive naturalis sive mosaicae, neminem posse iustitiam obtinere (3, 20ª), cum neutra valeat iustitiam ingenerare quandoquidem legis munus est notitiam de peccato dare, minime vero vires ad illud vitandum et implenda mandata conferre (3, 20ᵇ). Triplex argumentum versatur in eadem linea : in testando facto et facti ineluctabilitate de absentia honestorum operum in paganis et iudaeis ut, ea demonstrata, demonstrata simul eo ipso remaneat absentia iustitiae, ita ut « iustitiam » cum « probitate » identicam faciat, ac proin mere naturalem. Argumentatio igitur ad iustitiam supranaturalem non pertingit ; seu quod idem est, si de « improportione » operum agitur, argumenta idonea non sunt. In tertia explicatione ostendendum esset Paulum ex absentia operum ad eorum, etiamsi exstarent, improportionem gradum facere : sed ubi talis gradus in Apostoli argumentatione fiat, non ostenditur.

Vera solutio est Paulum agere de iustitia supranaturali ; at non ideo argumentatio ex facto et facti ineluctabilitate de absentia honestorum operum in paganis et iudaeis manca est, sed peridonea ad scopum, cum factum et facti ineluctabilitas de operum honestorum carentia, eodem modo, atque eo ipso quod iustitiae " naturalis „, probat quoque iustitiae " supranaturalis „ absentiam in hypothesi et providentia quam Paulus supponit. Natura humana suis solum elementis et viribus relicta, iis in vitae cursu difficultatibus ex propria sua conformatione premitur ut sine adiutorio ultra nativas facultates superaddito, sive habituali et antecedenti ut in natura integra, sive per preces obtinendo ut in natura pura et magis adhuc in lapsa, nequeat per diuturnum tempus legem honestatis in suo complexu implere. Hoc adiutorium in natura pura et etiam lapsa non restituta, nullum aliud munus haberet quam iuvandi naturam ad legis impletionem seclusa quavis eius elevatione : in natura vero lapsa restituta, ultra munus iuvandi, elevat praeterea naturam ; etsi munus iuvandi commune ei sit cum adiutorio naturae purae aut lapsae non restitutae. Cum de facto, i. e. in ordine historico, nunquam exstiterit conditio naturae purae aut lapsae non restitutae, sed post lapsum primordialem, illico restituta sit generi humano elevatio quam per lapsum amiserat (etsi nonnisi sub certis conditionibus per singulos recuperanda) ; poterat Paulus in sua argumentatione loqui ad lectores de paganis ac iudaeis tamquam sub oeconomia restitutionis constitutis, et sic de adiutorio ad legem honestatis implendam; omisso,

sed minime negato, imo sabaudito ex orali cathechesi, altero munere elevationis. De facto, non solum capp. 1–3 sed per totam Epistolam, insistit Paulus in hoc iuvandi naturam munere ad legis impletionem, quod simul cum munere elevandi novo principio per iustificationem infuso competit; et vix potest definiri utri ex duobus maius momentum tribuat. 6, 1–20; 7, 1–8, 11 utrumque munus tamquam novi principii propriissimum, late evolvit; sed vix non maiori diligentia et amplitudine munus iuvandi quam elevandi effert. In argumentatione igitur 1, 18-3, 20 Paulus agit *directe* de imparitate ex " absentia „ operum ob impotentiam; sed in adiutorio ex fide praeter vim remotivam impotentiae *subaudit* vim elevativam naturae.

II. Processus iustificativus: elementa et notiones.

1. Iustitia Dei quae in iustificatione confertur, non est attributum divinum.

Expeditis his quae ad dispositionem pertinent, Paulus 3, 21 transit ad processum ipsum iustificativum in propriis elementis atque ordine quo sese excipiunt, exponendum. Nomine " processus iustificativi „ intelligitur ordo ipse sive modus quo in praesenti providentia iustificatio perficitur. Constat collatione iustitiae atque communicatione fructuum quos iustificatus ex iustitia sibi collata percipit. At ante omnia opus est definire quid in mente Pauli sit ipsa iustitia, i. e. quanam realitate concreta constet: (1) id quod haud aegre constabit si processus iustificativus quem Apostolus describit, in suis elementis consideretur. Processus iustificativus, prout ab Apostolo proponitur, sub quadruplici aspectu considerari potest: 1) ut actio Dei; 2) ut passio in iustificato; 3) ratione effectus quem in iustificato ponit; 4) in hoc eodem effectu qua perseverante. Quatuor haec elementa correlativa sunt, et uno definito in propria natura, eo ipso ceterorum indoles constat. Si actio Dei iustificantis vere effectiva est, consequenter passio in iustificato respondens erit aliquid obiectivum et reale; ac similiter eo ipso realis et intraneus (2) iustificato erit effectus qui per actionem producitur, quippe cum non solum realis

(1) Notionem superius tradidimus: nunc agitur de realitate quam notio importat.

(2) Nondum dicimus " inhaerens „.

effectus per illam actionem producatur, sed producatur in " ipso iustificato „ qui " iustus „ ex illa iustitia appellatur. Demum, quamdiu perseverabit effectus, hic quoque propria realitate constabit. Hinc ut Pauli mens hac de re appareat, sufficeret in medium afferre testimonia iustificationis processum respicientia sub quovis ex his aspectibus. Si iuxta Paulum actio iustificandi in Deo ut vere effectiva describitur, etiam iustitia in homine per actionem deposita, realis et intranea erit; sicut vicissim, si iustitia proponitur veluti realis et intranea, actio Dei iustificans effectiva et actuosa erit. Quoniam vero si unum alterumve tantum testimonium afferretur aut etsi plura, si de uno solum ex elementis agunt, posset obiici aut inconsequentia aut inaccurata conceptuum expressio, satius erit in medium producere diversa testimonia quae diversa processus elementa respiciunt ut Apostoli constans ac firma de iustificativo opere sententia certo innotescat.

Initium ducimus a definienda ipsa Dei iustitia quae in iustificatione confertur. Iustitia Dei hodie ab exegetis et criticis protestanticis duce potissimum Sanday, explicatur passim de attributo divino huius nominis sese in hominem effundente. Et quadruplex huius sententiae praesidium quaeritur : 1) in ipso genitivo possessionis : " Dei „ ; si iustitia est " Dei „, de Dei proprietate vel attributo agitur. 2) in actu divino iustificandi, qui a Paulo proponitur ut sententia iudicialis qua Deus, ut iudex, hominem pronuntiat " iustum „ : sententia autem iudicis est iustitia eiusdem quae sese exerit cum ius pronuntiat. 3) Rom. 3, 26^{b} ubi Paulus, expresso simul utroque iustitiae aspectu, dicit in crucifixione Christi Deum per eumdem actum tradendi Christum in mortem sese exhibere " iustum „ et (eo ipso) " iustificantem „ credentes: δίκαιον καὶ δικαιοῦντα. Cum " iustum „ se Deus non aliter exhibeat nisi iustitia qua iustus est, i. e. proprio iustitiae attributo, etiam " iustificantem „ eodem se attributo exhibet. Cui conceptioni consonat 4) illa quoque quae Rom. 1, 17. 18 proditur, ubi duplici sententia sese immediate excipiente et iuxta eumdem tenorem sonante, dicitur et Dei iustitia de qua agimus, et eius ira revelari : ira autem Dei quae in paganis revelatur certe aliud non est in mente Pauli quam affectus in ipso Deo ; igitur etiam iustitia (1). Monent tamen Sanday et J. Weiss conceptum iustitiae Dei qui in mente Pauli his expressionibus subest, non esse strictum illum rabbinicum qui iudi-

(1) Sanday, *The Epistle to the Romans*, p. 24. 25; 90. 91; Sabatier, *S. Paul*, pp. 319. 320.

cantis sententiam meritis commensurat, cum secundum Apostolum Deus iustitiam gratis impertiat et veluti donum ; sed ampliorem quemdam et nobiliorem ad quem proxime accedit notio quam Graeci exprimunt suo τὸ καλόν per habitudinem ad τὸ δίκαιον. Basi igitur rabbinicae addidit Paulus propriam de liberalitate divina experientiam (1). Ad catholicos quod attinet, Tridentina Synodus expressis verbis dicit iustitiam esse " non illam qua Deus iustus est, sed qua nos iustos facit „ (2), et quamvis non desint inter scriptores catholicos qui putent haec verba decretoria non esse, cum adhuc in iustitia Dei sese ad iustificatum effundente aliud sit respectus " formalis „ iustificatum afficiens, de quo solo loquitur Tridentinum; aliud respectus " effectivus in Deo „ ; tamen conformior tridentinis verbis est sententia negans ; nam, non obstante quacumque diversitate in respectibus, tandem iustitia quae sub utroque consideratur alia non esset (3) quam iustitia Dei qua iustus est (iustus *simul* et iustificans), id quod dlserte negat Concilium.

Nec criticorum sententia contraria reperit ullum fundamentum in scriptis Pauli. Quo enim sensu is iustitiam appellet " Dei iustitiam „ apparet ex Philipp. 3, 9 ubi eam dicit δικαιοσύνην ἐκ θεοῦ quia nimirum " ab eo „ est atque donum ex eius largitate : quo autem pacto attributum " iustitiae „ sit donum quod Deus fideli largiatur sub ullo respectu, nemo facile dixerit. Actus vero iustificandi, ut suo loco videbimus, non est in Deo actus " iudicialis „ nec " iudicis „, sed *miseratorius* et *miserentis* ; qui dicitur " iustificans „ a termino quem respicit ; num autem a iustitia veluti a principio manet, id conceptus iustificandi non dicit. Iustitia vero illa Dei de qua Rom. 3, 26 non est iustitia " directe iustificans „, i. e. cuius terminus directus sit iustitia iusto communicata, sed iustitia vindicativa, quae in Christi crucifixione vindictam satisfactoriam de peccatis in Christo sumit. Mirus vero occursus " iustitiae „ et " iustificationis „ in Deo, i. e. mira coniunctio duplicis manifestationis attributorum Dei cum in supplicio crucis simul et iustitiae vindicativae iuribus satisfacit, et misericordiae effusionibus indulget per crucifixionem Christi stat in hoc quod Christi mors, una eademque, simul est terminus iustitiae

(1) Weiss, *Urchr.* 385. 386 ; Sanday, Ibid.
(2) Sess. 6, cap. 7.
(3) Cum diversi respectus eiusdem rei rem ipsam non mutent.

vindicativae Dei de peccato, et hostia propitiatoria qua movetur ad donandam hominibus iustitiam qua iustificantur. Demum, cum Rom. 1, 17. 18 dicuntur " revelari „ iustitia et ira Dei, adest quidem parallelismus tum in obiecto tum in eiusdem revelatione; at non in nexu quem obiectum habet cum Deo. In irae Dei revelatione, cum " ira Dei „ ex natura sua significet tantum affectionem huius nominis in Deo ipso, non in homine quem " iratum „ reddat sicut iustitia iustum, irae Dei revelatio non potest intelligi nisi de huius irae effusione in homines: cum vero " iustitia Dei „ non necessario et solummodo attributum significet quod Deum afficit, sed possit etiam significare affectionem in homine a Deo quidem procedentem, etsi non per effusionem propriae iustitiae, sed per effectionem iustitiae in iustificato, hinc fit ut revelatio " iustitiae Dei „ non necessario subiectivae Dei iustitiae manifestationem sonet. Sicut albedo in muro; albedo muri est utique a dealbante sed non per effusionem eius albedinis in murum. Nimirum " causalitas „ Dei iustificantis non est " formalis „ aut in eius genere, sed " effectiva „.

Schäffer, catholicus, sententiam propugnat praecedenti affinem. Ait « iustitiam Dei » esse attributum Dei, sed non quae inmediate se in iustificatum effundit, sed quae ornat secundam Trinitatis personam (Verbum); quae vicissim, cum naturam humanam sibi subsistenter copulet, attributum iustitiae quo ipsa subsistenter fruitur, subsistenter quoque humanitati communicat. Iustitia autem Dei, sic Christi humanitati subsistenter communicata, communicatur rursus, etsi non subsistenter, iustificatis, cum per baptismum Christo mystice incorporantur. (1) — At sententia haec, etsi confundi cum protestantica de iustitia Dei attributo inmediate a Deo in iustificatum effusa, nequeat, vel cum illa alia de iustitia externe imputata; asserit tamen gratis: 1) iustitiam Dei, de qua Paulus, esse tandem attributum divinum quomodocumque communicatum iustificato, id quod Concilii verbis: " non qua Deus iustus est „ non bene congruit. 2) attributum iustitiae divinae communicari subsistenter *humanitati* Christi: communicatur quidem Christo homini Dei iustitia, sicut reliqua attributa, cum ipsa divina natura, sed Christo homini « specificative », ut aiunt, non « reduplicative » i. e. ipsi humanitati in se. 3) gratis demum asseritur ipsam iustitiam Christi, etiam creatam, iustificatis communicari. Iustitia quae iustificatis communicatur non est ipsa iustitia Christi, sed affectio sive qualitas quae in ipso iustificato producitur (2).

(1) Ap. Cornely, *Comm. in Ep. ad Rom.* pp. 68. 9.
(2) Trid. Sess. 6, cap. 7.

2. Iustitia forma est et remissiva peccati et inductiva simul rectitudinis.

Iustitia si vi nominis stemus, idem valet atque rectitudo, i. e. " recta dispositio „, conformis scilicet normae recti ordinis sive in natura ipsa et facultatibus qua homo constat, sive in earum usu per vitae honestae actus. Hanc rectitudinem vere inducit, iuxta Paulum, iustitia quae iustificato infunditur; nam in iustificatione fidelis spiritu infuso donatur qui recte eum disponit tum ut Deo gratus in se sit, tum ut recte deinde vivat (1). Hinc iustitia ex proprio sui conceptu peccatum excludit, cum omne peccatum " irrectitudo „ sit. De se et abstracte loquendo iustitia potest cogitari sine effectu remissionis peccati: sic Deus iustus est, itemque Christus ac demum B. Virgo in quibus rectitudo sive recta dispositio vel exsistit vel statuitur, non restituitur. At cum de homine ex regula generali sermo est, prima iustitia semper eum reperit peccato inquinatum saltem originali; ideo iustitia semper secum fert peccati sive culpae remissionem. Hinc iustitia, praeter id quod ex proprio conceptu prae se fert, i. e. praeter rectitudinem, ferre quoque necessario debet culpae remissionem, cum nequeat vera rectitudo concipi in homine culpa infecto (2). Hinc iam, etsi indirectis rationibus, ipsa iustitiae notio ad hanc nos conclusionem ducit: quod iustitia simul sit et remissiva peccati et inductiva rectitudinis. At haec quam ratiocinando collegimus, estne etiam eadem iustitiae notio quam Pauli scripta produnt? Procul dubio. Id primo iam ex his apparet quae de indole informativa iustitiae Paulus tradit. Principium illud regenerativum ac renovativum, " iustitia „ quam iuxta Apostolum recipit fidelis in se ipso mediante incorporatione ad Christum, spiritus infusus qui iustificatum vivificat aptumque reddit ad novam vitam (3), sunt in mente Apostoli unum idemque principium, una eademque forma quae et remissionem peccati et positivam rectitudinem simul efficit: neque enim concipi *renovatio*, *regeneratio*, *rectitudo* veri nominis, i. e. homo vere *regeneratus*, *renovatus*, *recte dispositus* potest nisi ea conditione ut a peccato immunis sit. At prae-

(1) Rom. 3, 22. 23; 8, 2–4.

(2) Sive naturaliter et per modum consequutionis; sive essentialiter et veluti effectus formalis.

(3) Cfr. Rom. 6, 5–8. 19; 8, 2. 14; Gal. 6, 15; Tit. 3, 5.

ter argumentum hoc indirectum, Paulus in pluribus locis ubi de iustificatione agit, perspicue prodit se iustitiam veluti remissivam peccati simul et rectitudinis inductivam concipere. Rom. 3, 21–26 cum iustificationem per proprios characteres describit, dicit iustitiam Dei quae per fidem obtinetur, " in omnes credentes effundi sine distinctione, quia omnes sine distinctione peccarunt et egent gloria Dei „ ; i. e. omnes eo ipso quod peccato infecti, egent Deo " grati „ effici, egent ut conferatur eis iustitia, nimirum ut per eam et eius infusione deleantur eis peccata. Si " quia peccarunt „ vel " qua peccatores „ indigent Dei " iustitia „, iustitia de se est deletiva peccati. Iustitiam igitur Apostolus cogitat veluti, natura sua, (1) peccati remissivam. Aliunde hanc iustitiam 3, 21–26 descriptam, eamdem esse opinione Pauli cum illa quam proponit tamquam regenerativam, renovativam, inductivam rectae dispositionis (capp. 5–8) indubium est; nam certe illa iustitia quam Rom. 6, 13. 19 describit Paulus veluti redigentem sub se atque ad omnigena virtutis opera impellentem facultates iustificati, non alia iustitia est a descripta cap. 3. Idem apparet ex Rom. 4, 3–10. Postquam 4, 3–5 exposuerat Paulus quomodo Dei iustitia Abrahae et iustificatis in genere infunditur, hanc eamdem iustitiae infusionem dicit v. 6 celebrari a Davide Ps. 32, 1. 2 cum " fortunatam eorum sortem dicit (canit, celebrat cantu) quorum Deus *remisit peccata* „.

3. Actus iustificandi in Deo, et indoles inhaesiva iustitiae.

Haec duo, ut diximus, essentialiter correlativa sunt ac separari, etiam tractatione, vix possunt. Sequentes igitur ordinem logicum ac chronologicum vel naturalem 1) directe actum ipsum iustificandi in Deo Apostolus exprimit constanter per verbum δικαιόω " effective „ sumptum, i. e. quod actionem non mere grammaticalem sed realem sonat, cuius subiectum receptionis sit ipse iustificatus. Sic Rom. 3, 26 Paulus Deum appellat δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως " iustificatorem credentis „ ; eodemque modo Rom. 4, 5 Deum dicit esse δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ " iustificatorem impii „ (2)

(1) Atque ita quidem ut haec duo : iustitiae praesentia in iustificato et ablatio peccati penitus correlativa sint.

(2) Utimur nomine pro participio ad perspicuitatem ; aliunde nomen " iustificator „ habet valorem activum et participio aequivalet.

2) Vicissim eos qui divinam iustificandi actionem recipiunt dicit " iustificatos „ ; sic Rom. 3, 24 appellantur δικαιούμενοι ; 5, 1 δικαιωθέντες. 3) Effectum vero qui ex actu iustificandi in iustificatis recepto exsurgit, explanat per formulam : " iustos constitui „ δικαίους κατασταθῆναι (Rom. 5, 19) ita ut iustificativae actionis effectus recipiatur plane in intimis iustificatorum. Certe per iustitiam quae vel mere " imputatur „ aut quae iustificato ipsi non inhaereat, nequit " constitui iustus „ , sicut sine bonitate aut doctrina quae ei inhaereat nequit " constitui „ bonus aut doctus. Effectum divini actus recipi de facto in ipso iustificato eique inhaerere apparet ulterius ex parallelismo cum peccatoribus, de quibus eadem penitus locutione dicitur " peccatores constitui „ ἁμαρτωλοὺς κατασταθῆναι (ibid.) procul dubio per peccatum quod iis inhaerere indubium est. 4) Demum effectum qua perseverantem postquam semel receptus est, appellationibus designat quae omnes et singulae inhaesivam iustitiae naturam produnt, ut cum illum describit veluti " renascentiam „ vel " regenerationem „ (παλινγενεσίαν Tit. 3, 6) " renovationem „ (ἀνακαίνωσιν ibid.), " novam creaturam „ vel " creationem „ (καινὴν κτίσιν Gal. 6, 15; cf. 5, 6) ; aut cum horum elementorum plura simul tamquam synonyma coacervat ut Eph. 4, 23. 24, ubi dicit per iustificationem homines " renovari, „ " indui novo homine „ (1), i. e. renasci (ἀνανεοῦσθαι, ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον, τὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ). " Renascentia, „ " regeneratione „ " nova creatione „ sive " creatura „ designari novam in intimis hominis dispositionem vi iustificationis inductam, tamquam huius propriissimum effectum qui alius non est quam ipsa iustitia in iustificatis recepta, eis communicata, omnino perspicuum fit ex Tito 3, 6 ubi effectus proprius et characteristicus baptismi tamquam " ritus regenerantis, „ est " iustificatio per Christi gratiam, „ illa ipsa nimirum quae Rom. 3, 22–26 describitur considerata in suo formali effectu, *iustitia.* " Salvos nos fecit, ait Paulus, per lavacrum regenerationis et renovationis... ut (hoc lavacro) iustificati (iustitia ornati)... heredes simus... vitae aeternae „. Baptismusi gitur qui ritus renovans, regenerans est, hunc effectum renovandi, regenerandi pro-

(1) Metaphora indumenti (ἐνδύσασθαι) suspicionem aut dubium de natura inhaesiva iustitiae movere posset si non apponeretur veluti eius terminus " novus homo „ et sic " indui „ non declararetur identicum cum " renovari „, " renasci „. (Cfr. Ioh. 3, 3–6).

ducit " iustificando „, conferendo " iustitiam „. " Renovare „ proin, " regenerare „ est " iustificare, „ et " regeneratio „, " renovatio „, iustitiae infusio. Quod vero " renascentia, regeneratio, renovatio ad novam vitam „, " nova creatio sive creatura „ sine principio inhaerente concipi nequeat, evidens est ; nam vita in actionis inmanentia consistit ; i. e. in actione quae sicut suum terminum, multo magis suum principium intra ipsum vivens, eique intimum habet. " Vivens „ vitae actus eliciens, sine principio inmanente est contradictio in terminis.

Hinc tamquam totidem necessario promanantia consectaria haec sequuntur : 1) actum Dei iustificantis non posse esse meram declarationem forensem qua hominem iustum " pronuntiat „, sed non " facit „. 2) iustitiam iustificato concessam non posse cogitari ut aliquid iustificato externum et mere imputatum, vel quovis modo tantum " adiacens „ : hac explicatione Apostoli testimoniis non satisfit : per iustitiam solum imputatam aut adiacentem externe, non potest " renascentia, regeneratio, nova creatura „ haberi.

Nihilominus protestantes passim ab aetate Lutheri usque ad nostram miro consensu, etiam inter criticos eruditiores, mordicus retinent tamquam a Paulo propositam, theoriam quae iustificationem ex parte Dei traducit veluti actum forensem quo Deus ut Iudex « pronuntiat » vel « declarat » hominem iustum, non tamen « efficit » ; ita ut consequenter iustitia non sit aliquid iustificato « inhaerens, » sed solum « imputatum » vel « computatum, » etsi postea in definienda ipsa iustitia quae iustificato mere externe imputatur veluti sua, haud parum dissentiant, sicut etiam quoad elementa quibus constat. Secundum hodiernos exculiores criticos protestanticos Paulus theoriam de actu iustificandi in Deo, ex rabbinismo parumper tamen modificatam mutuatus est. Iuxta rabbinorum placita et iudaismum veterem Deus annotat singula hominum tam bona quam prava opera, ut secundum ipsa postea eos aut remuneret aut puniat in iudicio novissimo. Qui bene egerit, aut cuius opera bona prae malis praeponderent, iustus « declarabitur » (1) ; cuius, e contra, mala praevaluerint, punietur. At declaratio haec Dei, licet utique actus forensis, mensuratur veritate « obiectiva, » si non absoluta, i. e. ad strictam aequalitatem, saltem respectiva, meritorum hoc sensu : quod etsi non utique ad strictos apices iustitiae, tamen pro obiectivo operum valore iudicat ; sicque iustitia non est proprie « imputativa ad Dei nutum, » sed determinationem et mensuram partim ab obiecto

(1) Non est necesse ut " omnia „ opera bona sint : sufficit praevalentia (Weber, *Iüd. Theol.* p. 280) Similiter in malis.

recipit. Paulus, ut rabbinus, ante conversionem hanc doctrinam profitebatur ; sed factus christianus, ex propriis experientiis, etsi retenta prisca nomenclatura, theoriam subvertit. Deus certe forensi actu in novissimo die iudicabit homines, sed ita ut non modo citra ut volunt rabbini, verum *contra* operum condignitatem, et sic manente peccato : formula vere paradoxalis Pauli est : « a Deo *impius* declarabitur *iustus* » ! (1)

Fundamentum quo haec portenta Paulo affinguntur, est quod in contextu Rom. 4, 3-5 verbum δικαιόω aequivaleat hebraico, הִצְדִּיק, quae vox, ait Weiss, non « declarationem » peccatoris quasi iustus esset, sonat ; sed quod plus est, eius « admissionem pro iusto », i. e. quasi vere iustus esset : Deus erga hominem qui re impius est et esse pergit, se gerit tamquam si re iustus esset : habet pro « vere iusto » eum qui « re impius est ». Scilicet, conscius vel inscius, J. Weiss exprobrat (perperam) Paulo id quod nos protestantibus merito exprobramus : quod in eorum sententia Deus errandi vel mentiendi nescius iudicat vel pronuntiat contra rei veritatem.

In hac Weissii expositione facile perspicitur eius ratiocinatione controversiae punctum non attingi, quod stat in valore verbi δικαιόω apud Paulum in pericope Rom, 4, 3-5 : num scilicet significet « iustum facio » an « iustum declaro ». Weiss hoc alterum veluti per se notum assumit ; et neque hic neque superius (326) tentat assumptum demonstrare. Melius Feine id magno apparatu ostendere conatur pp. 277. 278. Ad argumentationem igitur Professoris Weiss responderi debet eam supponere id quod est in quaestione: verbum δικαιόω non *effective* sed declarative in sententiis Pauli sumendum. Ceterum contra utrumque animadvertimus iam nunc sequentia : 1) minus apte permisceri sententiam rabbinorum recentiorum in hac controversia de natura actus iustificativi in Deo, quasi originarium fontem paulinae conceptionis exhiberet cuius conceptum fun-

(1) Cfr. J. Weiss, *Urchrist.* pp. 385. 386 : Feine : *Tneol. des N. Test.* 474. 475. Weiss in sua expositione conatur explicare transitum Pauli ex rabbinica theoria ad propriam, licet oppositam : fundamentum transitus est in eo quod etiam secundum rabbinos potest Deus, eo ipso quod " ultra condignum „ aestimat opera, reputare tamquam " opus „ dignum praemio aliquid quod non est tale. " Paradoxum „ quod eadem emphasi exaggerant Weiss et Feine ex ritschlianis placitis, stat in eo quod pronuntiat " iustum „ Deus eum qui iustus non est, sed peccator. " Stärker kann man nicht das Unglaubliche hervorheben : ein Richter, der, nach der Wahrheit κατὰ ἀλήθειαν Rom. 2, 2 richten sollte, bei dem es Gnade oder Geschenk nicht geben dürfte, schenkt den Menschen die Gerechtsprechung auf die sie schlechterdings kein Recht haben „ (385. 386). Simlia congerit p. 326 : " eine Gerechterklärung des Sünders (Rom. 4, 5) eigentlich ein Widerspruch in sich selbst ist... Ein Richter der statt zu richten schenkt und erlässt, ist kein Richter mehr „.

damentalem Apostolus in secundariis solum modificaverit. (1) Doctrinam de natura « effectiva », non « declarativa vel admissiva pro » actus iustificativi in Deo non aliunde hausit Paulus quam doctrinam de iustificatione gratuita ex fide : ex testimoniis nimirum Geneseos, Psalmorum et Habacuc ; neque enim ad alios fontes provocat cum in pericope Rom. 4, 3-5 ait Deum *iustificare* impium. 2) perperam sumunt Weiss et Feine veluti clavem fundamentalem ad diiudicandum de vero valore verbi δικαιόω Rom. 4, 3-5, locum Rom. 2, 13 (δικαιωθήσονται) qui non agit de iustificatione sensu theologico sicut loci in quibus Apostolus ex professo iustificationem exponit.

Sed veniamus iam ad punctum controversiae de valore verbi δικαιόω in his locis. Vim mere declarativam conatur ostendere Sanday et post eum Feine operose congestis multis argumentis. En argumenta praecipua angli scriptoris : 1) Paulus (Rom. 2, 13 ; 1. Cor. 6, 11) ubi data opera enucleat valorem vocis proprium, hunc non per " effectionem „, sed per meram " declarationem „ iustitiae explicat. 2) ex natura verborum in όω : haec verba, cum ex adiectivis derivantur physicae significationis, profecto " effectionem „ sonant : sic τυφλόω = caecum facio, a τυφλός caecus ; at non cum derivantur ab adiectivis " moralis „ sensus ut ἀξιόω ὁσιόω, δικαιόω quae ex natura rei significant dignum, sanctum, iustum " iudicare „ non " efficere „. 3) ex usu classico : in tota litteratura classica graeca probabiliter nullum occurrit exemplum effectivae significationis. 4) ex usu biblico Veteris Testamenti ap. LXX, in apocryphis (deuterocanonicis) et pseudepigraphis (apocryphis) 5) Sanday agnoscit specialem vim ad suam thesin in verbis Pauli Rom. 4, 5 : λογίζεται ἡ πίστις αὐτοῦ εἰς δικαιοσύνην : fides eius admittitur ut aliquid quod " iustitiae aequivalet „, nimirum *reputatur, imputatur* ut iustitia. Feine eadem argumenta recoquit, addita prolixa locorum Vet. Testamenti analysi ex qua concludit verbum significare " constanter „ sententiam iudicialem de aliquo pronuntiatam et quidem hoc sensu quod sententia evadit favorabilis cum minime exspectetur : (2) i. e. detegit simile para-

(1) Nimirum ea quae congeruntur ex Weber de rabbinorum sententia super natura iustificationis, non sunt ad rem cum de Paulo agitur : sententia rabbinorum pertinet ad aetatem multo recentiorem, et, ut notat Delitzsch in Praefatione ad librum Weberi, in hoc libro solum proponuntur doctrinae rabbinicae medii aevi, haustae ex fontibus quorum etiam antiquissimi vix ad saeculum II p. Chr. pertingunt.

(2) Sanday, *Epistle to the Romans* 30. 31 ; Feine, *Theol. des N. Test.* 277. 278.

doxum atque Ioannes Weiss: Deus habet pro iusto eum qui impius est.

Totus cardo quaestionis stat in valore verbi δικαιόω apud Paulum: si forensis hic sit, sequuntur utique absona illa quae Paulo tribuuntur; sed evanescunt penitus si δικαιόω tenet effective: tunc enim semel collata vera iustitia ei qui hactenus erat impius, nulla difficultas est quominus Deus eum ut vere iustum tractet. Ad recte autem diiudicandum de valore verbi, ante omnia animadvertatur de quonam agente sit sermo, Deo scilicet. Verum quidem est actum divinum iustificandi constanter proponi veluti iudicis sententiam; revera enim peccator qui semper ac necessario est subiectum iustificationis, sistitur coram Deo ut *reus*. At etiam in iudicibus humanis locum habet aliquando non solum stricta iustitia, verum etiam clementia et liberalitas, quae condonat, in regibus nimirum, aut in patre (1). Quod vero in casu condonationis sententia humani iudicis nequeat ultra declarationem externam progredi et non ad veram rectitudinis sive iustitiae restitutionem (2) pertingere, id praeter naturam et tendentiam sententiae est, et ex impotentia iudicis provenit, qui intimam rei dispositionem mutare nequit, id quod in Deo locum non habet. Hinc si in locis ubi de " iustificationis „ et " iustitiae „ natura fit sermo, obvius vocabulorum et sententiarum sensus effectionem sonat, de vera effectione interpretanda sunt. Quod vero vocabula ac sententiae hanc vim vere habeant, perspicue ostendimus et ipse Weiss re concedit etsi verbis conetur reluctari. Nam agnoscit verbum δικαιόω in contextu Rom. 4, 3–5 respondere formae " hiphil „ verbi צדק; cum autem nativa vis huius formae sit esse " factivam kal „, (3) eo ipso quod Paulus, qui certe linguam hebraicam non ignorabat, adhibet loquens de Deo hanc aequivalentiam, eamdem in mente habet, et vult dicere Deum

(1) Illud etiam peccant critici hodierni ut sicut orbem intellectualem suae aetatis et regionis volunt ad antiquos transferre, simili modo agant cum de institutionibus, officiis muneribus etc. Antiquitus magistratus civiles non erant sicut in nostra aetate: eorum ambitus et attributiones erant admodum diversae ab hodiernis.

(2) Cum dicimus Deum posse restituere ipsam rectitudinem et iustitiam, non volumus asserere Deum ita delere peccatum et iustitiam restituere ut peccatum non exstiterit et iustitia non amissa sit: solum dicimus Deum tollere *maculam* ex peccato remanentem *irrectitudinem* quae per peccatum inducta erat.

(3) " Die Bedeutung des Hiph'îl ist *zunächst*... die eines Kausativ von Qal. „ Ges. Kautzsch [26], 141.

revera eum qui hactenus fuerat impius, sua omnipotente virtute iustum efficere. Atque eo magis cogimur id dicere, quod secus sequitur paradoxum immane a Weissio et Feinio tantopere exaggeratum, quod nimirum " Deus, veracissimus Iudex, iuxta Paulum, non solum declaret, sed habeat tamquam iustum cum qui impius est „ (1). Ad naturam quod attinet verborum in ὁω aptiores certe iudices quam nostrae aetatis critici sunt interpretes graeci Chrysostomus, Theodoretus et alii qui quamvis egregie linguam graecam et eius genium callerent, nullum offendiculum reperiunt in effectiva significatione verbi δικαιόω: sic Chrysostomus verbales formas δικαιοῦσθαι, δικαιωθῆναι apud Paulum, explicat hac aequivalentia: δίκαιον γενέσθαι iustum factum esse. (2) De facto regula a Sanday proposita et a Feine repetita fallit in pluribus verbis ut ἐλευθερόω liberum facio, χολόω iratum facio (3) etc., quae, etsi derivata ab adiectivis moralis significationis, veram effectionem significant. Sane si talis regula exstaret in lingua graeca, non poterant scriptores peritissimi huius linguae ut Chrysostomus, Theodoretus et multi alii, vim effectivam admittere in verbo δικαιόω, prout tamen de facto sine ulla difficultate admittere eos vidimus.

De usu apud LXX. Etsi non crebro recurrat apud LXX verbum δικαιόω ita ut eius effectivus sensus demonstrari possit, non desunt tamen loci ubi verbum hoc sensu recurrit. Ex his citamus sequentes: 1) Isai. 53, 11 b. Quaecumque sit huius hemistichii obscuritas tam in hebraico quam in graeco textu, illud semper ma-

(1) Non sine providentia critici tam absona de Paulo effutiunt eaque tantopere exaggerant: haud inepte dixeris eorum linguam vel calamum a Spiritu Sancto moveri sicut olim linguam Caiphae; nam quis credat Paulum tam absurda cogitasse? Ex immanitate absurdi proin aperte ostenditur Pauli mentem talem non fuisse; et ipsi adversarii suis exaggerationibus argumenta nobis suppeditant quibus eos refutemus. Sicut cum concedunt in theoria rabbinica iustitiae conceptum esse " obiectivum „, eo ipso sequitur etiam pro Paulo idem esse; nam quaestio ibi non est de *natura* iustitiae sed de *via* eam obtinendi.

(2) τὸ μὲν γὰρ ἔργα μὴ ἔχοντα ἐκ πίστεως δικαιωθῆναί τινα, οὐδὲν ἀπεικός· τὸ δὲ κομῶντα ἐν κατορθώμασι, μὴ ἐντεῦθεν, ἀλλ' ἀπὸ πίστεως γενέσθαι δίκαιον, τοῦτο ἦν τὸ θαυμαστὸν καὶ μάλιστα τῆς πίστεως τὴν ἰσχὺν ἐμφαῖνον. Quod enim aliquis opera non habens, ex fide iustificetur, non est inverosimile; quod vero affluens bonis operibus non hinc sed ex fide *iustus efficiatur* id admodum mirum erat et commonstrans maxime fidei vim. " γενέσθαι δίκαιον in altero membro synonymum proponitur cum δικαιωθῆναι in primo (Hom. 8ª in Rom. M. 60, 454).

(3) Quod χολόω non ab adiectivo (quod non exsistit) sed a substantivo χολή (vel χόλος = bilis) derivetur nihil obstat: notio efficiendi qualitatem in ordine morali subsistit.

net indubium: *a*) adhiberi verbum צדק in forma hiphil (יצדיק) et ap. LXX δικαιόω (δικαιῶσαι vel δικαιώσει) (1). *b*) sermonem esse de Servo Iahve plurimos " iustificante „. Stando canoni per Ioannem Weiss statuto de vi formae hiphil in hebraico, graecum δικαιόω vim habet plane effectivam, minime mere declarativam (2). Similiter 2) in Eccli. 18, 22: μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι, vix nisi de iustitia interna et sic vere " effecta „ in iustificato potest intelligi: sententia enim de iugi iustitiae incremento agit, quod per continuos Dei iudicantis actus explicare, omnino innaturale est, maxime cum iuxta criticos quorum theoriam refutamus, non detur in mente rabbinorum alius actus Dei iustificans quam in extremo vitae, et sic unicus, non pluries iteratus.

De usu classico: 1) cum graeca litteratura immensa sit, et multo magis augenda esset si prae oculis habeantur documenta quae perierunt, prudenter agunt critici cum illud solum asserere audent (sequentes Godet): " difficile „ esse exemplum effectivae significationis afferre. 2) Quod si regeratur id sufficere, quia si adfuisset talis usus fieri non poterat ut in tam uberrima documentorum copia non recurrerent exempla, reponemus rem non ita miram esse, cum scriptores profani imperfectissimas hac de re notiones haberent, imo cum vix eam curarent. Ceterum testimonia graecorum superius allegatorum abunde sufficiunt ad concludendum, vel non esse verum defuisse talem usum, vel si defuit, defectus causam hanc fuisse, quod de hominibus hoc verbum tali sensu nequeat adhiberi, et de Deo profani et pagani scriptores non cogitaverint; non vero talem esse indolem verbi cum de Deo sit sermo. De facto Reitzenstein citat testimonia ex documentis mysteriosophicis ubi verbum δικαιόω sensu effectivo adhibetur v. gr. in mysteriis hermesianis forma ἐδικαιώθημεν = iusti effecti sumus. (3)

(1) Qui novit textum Isaiae et quam incorrecta sit versio alexandrina, non mirabitur mutationes inductas: ceterum sensus quem fundit textus sic correctus indubius est, et verbum δικαιόω in suo valore manet inmotum.

(2) " Servus „ est Magnus Minister Iahve in salute peragenda (53, 10b; 49, 6).

(3) *Die hellenistischen Mysterienreligionen* pp. 100–102. Reitzenstein, cui ampla linguae et litteraturae graecae notitia detrectari sine iniuria non potest, nullum experitur scrupulum in admittendo sensu effectivo verbi δικαιόω ex documentis. (Cfr. praesertim p. 101).

4. Iustitia fidei et iustitia operum in conceptione paulina.

Recurrit in Pauli scriptis duplex locorum series quorum conciliatio haud leve negotium, saltem prima specie, facessit: ex una parte inconcussum Apostoli axioma est centies et sub innumeris formis expressum quod unica via obtinendae iustitiae et salutis sit fides sine operibus legis, i. e. fides, non legis adimpletio. Hoc axioma pro duplici sui parte proponit solemniter Paulus Rom. 1, 18–3, 21; nam 3, 21 ait in christianismo manifeste pandi Dei iustitiam ex fide Christi, omni credenti parabilem, postquam 1, 18–3, 20 late ostenderat opera legis sive naturalis sive mosaicae nullo modo praebere viam qua Dei iustitia paretur. Ex alia vero parte 1) in illa ipsa ratiocinatione 1, 18–3, 20 agnoscit nihilominus Paulus naturalem legis nisum (tendentiam) hunc esse ut per sui impletionem ad iustitiam veluti ad propriam metam homines ducat; nam quod de facto pagani iustitiam Dei in suo coetu (et tantumdem de iudaeis pro lege mosaica valet), ostentare nequeant exinde venit quod legem non impleant; absentiam enim iustitiae Dei inter illos probat Paulus ex eo quod vitiis immersi sint. 2) nisum hunc (tendentiam) legis de facto posse ac debere compleri ostendit Apostolus per totum caput 2 (6, 12–16. 26. 27) ubi docet aut supponit in iudicio extremo illos solum declarandos fore salvos qui non " auditores „ sed " factores „ legis i. e. impletores fuerint; atque " impletionem legis „, non " huius possessionem „ discrimen constituere inter damnandos et salvandos. 3) Demum 8, 2–4 praecipuum munus iustitiae infusae reponit Paulus in hoc ut legis sterilitatem, infecunditatem sanet, ita ut in posterum lex per sui impletionem homines ducat ad illam iustitiam ad quam antea ducere non potuerat. Itaque habemus duplicem locorum seriem: iuxta primam, legis impletio nequit ad Dei iustitiam ducere et sola fides viam praebet ad eam parandam: iuxta secundam, Deus, ut salvet in iudicio, postulat legis impletionem. Aliis verbis: iuxta primam seriem opera virtuosa nequeunt " iustitiam „ praecedere: iuxta secundam, et possunt et debent praecedere. Quo pacto haec testimonia conciliantur?

Protestantes nostrae aetatis ut videre est apud praestantissimos eorum v. gr. B. Weiss, duplicem seriem ita conciliant: iuxta Paulum, " in christianismo „, unica via iustitiae obtinendae est fides, et in Apostoli principiis nulla datur iustitia " operum „ i. e. per legis impletionem comparata. Hoc axioma enuntiant vel

supponunt Rom. 3, 20. 21. 28; 4, 2-4. 15; 5, 20; 9, 32. Altera series (2, 6. 12-16. 26. 27; 8, 2-4) loquitur iuxta normam Vet. Testamenti iuxta quam iustitia " per legem „ comparanda erat. At quia cap. 2 Paulus Iudaeos alloquitur, qui illam normam adhuc vigere censebant, Paulus dicit Deum utique salutem concessurum in die iudicii illis qui legis implementum exhibuerint, si de facto exhibeant. Ceterum, de facto neminem fore talem impletionem exhibiturum, quia, etsi lex mosaica fuerit in veteri oeconomia norma obtinendae iustitiae, de facto tamen impleta non fuit, et ideo substituta est per normam fidei (1).

At Paulum Rom. 2 loqui non solum de Iudaeis aut de implemento legis tamquam de norma pro certo quodam tempore; sed de omnibus hominibus, ac de lege tamquam norma universali; itemque de lege quae de facto implebitur, indubium est; nam sententiam: " Deus reddet unicuique iuxta opera eius „ (v. 6.) universalis est; et vv. 9. 10. 11. 12 omnes homines ex aequo exhibentur obnoxii iudicio divino, et iudicio divino quod exercebitur secundum normam " legis adimplendae „ : imo, 14–16 ostendunt quomodo ethnici pares sint Iudaeis in possessione legis, ita ut ipsi quoque possint in tribunali divino exhibere legis implementum dum Iudaei illud non exhibebunt (vv. 26. 27). Differentiam autem normarum pro iustitia in Vet. et Novo Testamento commentitiam esse facile ostenditur, cum Paulus ex testimonio Genesis (Rom. 4, 3), ex testimonio Psalmorum (4, 6–8) et ex testimonio Prophetarum (1, 17; 3, 21) ostendat iustos Veteris Testamenti iustificatos fuisse per eamdem normam fidei.

Aliter ergo concilianda est duplex textuum series; id quod ex principiis eiusdem Pauli haud aegre obtineri potest. Paulus nimirum distinguit duplicem iustitiam: primam et secundam; inchoatam et evolutam: primam, in praesenti oeconomia naturae lapsae nec praecedunt nec possunt praecedere opera honesta per quae obtineatur; i. e. nequit iustitiam primam praecedere implementum vere tale, legis; nam humana imbecillitas sibi relicta et non obstante libero arbitrio, non potest de facto legem implere sine speciali Dei auxilio, quod in praesenti providentia alligatum est fidei. Cum vero, hac posita, illico ex principiis Pauli iustitia subsequatur nulla prorsus re interposita, " primam iustitiam „, ex fide, nequit

(1) *Theologie des N. Test.* 7 266-271; 312-319. Similiter in Comm. ad Rom. 2, 6. 13 et passim.

praecedere implementum legis i. e. nequeunt opera honesta (1) praecedere, etsi utique non solum possunt, sed debent praecedere opera bona in proposito voluntatis cum, ut diximus superius, fides qua iustitia comparatur, non fides mortua et sterilis sit, sed parata ad sui actuationem per omnigena virtutum opera. Primam autem hanc iustitiam quae gratum Deo hominem reddit sequitur " iustitia secunda „ per opera in re ; nam iuxta Rom. 8, 2. 3 iustitia prima per fidem comparata, ad hoc maxime infunditur ut legis impotentiam atque sterilitatem auferat eamque fecundam reddat ad consummandam " iustitiam „ i. e. rectitudinem sive honestatem ac sanctitatem per opera, id quod antea, infirmata ob carnis imbecillitatem, non valebat. In posterum autem iidem illi qui hactenus carne regebantur, spiritu feruntur. Idem iam cap. 6 dixerat Apostolus, cum liberationem a peccati servitute exponebat per substitutionem " iustitiae „, novi principii animum informantis, loco " peccati „ quod antea homini imperitabat, eumque ad omnigenam corruptionem raptabat. Si iustitia infusa, comparata per fidem, eo maxime ordinatur ut animum ad omnigena virtutis opera aptum reddat et ad ea quasi adigat, si eius praecipuum munus est legem fecundam facere ad consummationem omnigeni actus virtuosi, evidens est iustitiam primam in mente Pauli, sponte ordinari ad sui evolutionem per opera iusta, i. e. ad " iustitiam secundam „, ad " iustitiam operum „.

De prima iustitia loquitur Paulus in priore serie textuum Rom. 3, 20, 21. 28 ; 4, 2–6. 15 ; 5, 20 ; 9, 32 etc. ; de secunda in altera serie Rom. 2, 6. 12–16. 26. 27 etc. Nihil igitur mirum quod si Paulus iustitiam primam, ex fide, concipit veluti radicem, inchoationem iustitiae secundae ex operibus, admittat, imo postulet tamquam necessariam ad salutem in tribunali divino, iustitiam operum ; nec est ulla inter utramque seriem testimoniorum pugna, sed plena concordia et amicissima conciliatio.

Unus tamen restat scrupulus. Si Paulus re vera duplicem iustitiam distinguit, duplicemque eius fontem : fidem et opera ; quomodo 1) multis in locis, imo in genere, loquitur de utraque sub unica « iustitiae » appellatione ; ac 2) unicum eumdemque utrique fontem assignat « fidem » ; imo 3) utramque plane identicam facit non solum appellatione sed etiam conceptu ? Nam certe eam quam nos appellamus « iustitiam

(1) Opera honesta : non unum alterumve aut etiam plura ; sed talia opera quae iustum reddant hominem, i. e. impletio legis plena et constans per diuturnum tempus.

operum », ille nunquam hoc nomine appellat, imo constanter excludit et repudiat ut falsam « iustitiam operum ». Deinde de quavis iustitia dicit solummodo ex fide haberi. Demum, cum loquitur de iustitia primo iustificante, eius exempla desumit saepissime ex iustificatione quae certissime prima non fuit. Sic in loco classico ubi naturam et fontem iustitiae primo iustificantis, qua « impius » iustificatur, describit Rom. 4, 2-5, exemplum desumit ex iustificatione Abrahae de qua loquitur Gen. 15,6, quae certissime prima Abrahae iustificatio non fuit (1). Similiter in multis ex exemplis quae coacervat Hebr. 11.

Ante omnia notandum non esse a nobis postulandas in Paulo methodicas illas notionum distinctiones et classificationes quales in scholis usurpantur : sufficit ut rem vere in eo deprehendamus et comprobemus : de rebus enim agimus, non de nominibus et methodicis classificationibus. Hoc posito, argumenta quae ex Paulo attulimus ad comprobandam distinctionem utriusque iustitiae ac respectivi pro utraque fontis, demum ad conciliationem locorum, perspicua et efficacia indubie sunt. Hinc quod utramque iustitiam non ita accurate per appellationes proprias distinguat, parum refert. Ceterum ratio, cur utrique unum eumdem fontem attribuat, fidem, facile intelligitur quia revera utriusque fons primarius ac verus, fides solum est. Nam opera illa quae iustitiam secundam inmediate gignunt, non sunt nuda opera legis, sed sunt opera « cum et sub fide » ; ac proin, cum in idiomate Apostoli « opera legis » aut « opera », prout opponuntur « fidei » sint non quaevis opera, sed opera sine et extra fidem ; ac contra, opera cum et sub fide sint in eius terminologia « fides », nihil mirum quod etiam secundae iustitiae fontem reponat in fide, sicut fontem primae. Repudiatio constans « iustitiae operum » explicatur ex eadem ratione, quia « opera » intelligit sine fide ac proin non illa opera quae nos facimus fontem inmediatum secundae iustitiae. Demum solutio tertii capitis obvia est positis prioribus : cum enim in omni casu, etiam in secunda iustitia, vis quam opera habent ad illam obtinendam proveniat ex fide qua informantur, et quia tandem sunt fides, iustitia prima et iustitia secunda, respectu Dei qui iustitiam collaturus est, et respectu illius conditionis ex parte hominis cuius intuitu Deus iustitiam concedit, habent eamdem penitus naturam : sunt iustitia ex fide ; eumdem penitus fontem : fidem.

Quod vero B. Weiss et protestantici critici atque exegetae in genere solutionem quaerant in duplici oeconomia per duplicem

(1) Cum a pluribus annis sit iam sub specialissima Dei tutela post vocationem (Gen. 11, 27 ; 12, 3) et ab eodem Paulo Hebr. 11, 8 exhibeatur eximiam fidem exercens illa obedientia, ita ut Hebr. 11, 39 huius obedientiae vi dicatur " Deo probatus „, sicut ceteri enumerati in serie 13, 4-38 per respectivam virtutem qua nitent.

viam obtinendi iustitiam: viam operum sive per legem in Vetere Oeconomia et viam fidei seu per fidem in Evangelio, etsi prima specie simplicius, est tamen omnino alienum a Pauli principiis. Secundum axiomata protestantica, etsi protestantismi Doctores conveniant nobiscum in indole episodica legis mosaicae, utpote superadditae " promissioni „ de mittendo Messia Restauratore cui de facto salus alligata erat; modus tamen quo illam indolem episodicam intelligunt est toto coelo diversus a nostro et ab illo quem Paulus docet. Secundum protestantica principia, cum Deus promissioni superaddidit legem, non solum " praevidit „ eius effectum de augendis transgressionibus, sed " positive hoc augmentum intendit „ : lex subintravit *eo scopo ut* augeretur peccatum (1), non ut vitaretur; et paedagogia legis in eo fuit ut iudaei perspecta illa transgressionum multiplicatione, restaurationem quaererent. Scopus excitandi studium Restauratoris quem Deus primario intendit, iustificat medium a Deo adhibitum, etsi iudaei carerent efficaci subsidio contra perniciosum effectum legis, nec possent " fide „ iustificari, cum oeconomia fidei, Evangelii propria, tunc non exstaret.

Nos penitus diversa statuimus. Secundum nos, lex quidem episodica fuit, utpote superaddita promissioni cui soli alligata erat salus quae nonnisi cum Christo ventura erat. Deus praeterea praevidit effectum multiplicationis transgressionum ex adventu legis ob maiorem peccatorum notitiam sine salutis praesidio per Christum quem lex non attulit. Verum 1) Deus non intendit multiplicationem, sed frenum peccati per legem. 2) Norma obtinendi iustitiam erat eadem quae nunc, " per fidem „, eamque ad manum habebant iudaei, quia in oeconomia vel in aevo Veteris Testamenti populus iudaicus habebat duo: " legem „ et " promissionem „, vel quod Paulus appellat " Evangelium in promissione „. Quamvis attenta lege sola, laborarent gravi difficultate, imo impotentia, tamen non carebant recursu " fidei in Christum venturum „, qua poterant, sicut nos per " fidem in Christum qui iam advenit „, iustificari, et qua de facto iustificati sunt Abraham, David, illi quos David in Psalmo 31 celebrat, illi quos recenset Paulus Hebr. 11, 1–40 et innumeri alii. 3) Discrimen inter illam et nostram oeconomiam erat duplex: *a*) quod tandem " Evangelium,

(1) Plura de his cum ex professo agemus de " fide et Evangelio „ in conceptione paulina. Interim cfr. Holtzmann, *Theologie des N. Test.* II, 50–56: " das Gesetz seine Diener tötet „ (p. 51).

Christus et quae cum Christo et Evangelio colligantur: gratia scilicet, dona etc., „ non pertinebant tamquam elementum organicum ad illam oeconomiam, sed ea omnia habebant quasi precario mutuata ex Evangelio; *b*) eo ipso fructus hi non manabant nec ea copia, nec ea efficacia quas ubertas Evangelii iam praedicati, exempla Christi, sacramenta, donorum effusio amplior, secum sponte ferunt. " Praedictio „ enim facti tandem non est " historia „ et " factum ipsum „.

Theoria protestantica est antipaulina et Deo iniuriosa. Est antipaulina: Paulus expressis verbis saepe dicit normam iustitiae obtinendae eamdem atque unicam semper fuisse: " fide „ iustificati sunt omnes iusti Veteris Testamenti: et tam in epistola ad Rom. quam ad Gal. Paulus pro sua doctrina citat Habacuc qui certe " normam fidei „ tamquam Veteris Testamenti propriam proponit. Quod Apostolus Rom. 3, 21 dicat " normam per fidem „ nunc patefieri vel patefactam esse (νυνὶ πεφανέρωται) non significat nunc " inchoari „ vel induci de novo, dum hactenus minime in vigore esset: mens Pauli est quod " nunc „ passim et omnibus in universo orbe " panditur „ postquam per plura saecula in angulo delituerant et apud ipsos iudaeos non ita passim ac distincte nota esset, etiam pro illis qui per fidem iustificabantur; nec enim necesse est ut omnis iustus et sanctus omnia ac singula reflexe noverit quae Deus in eius animo operatur.

Est Deo iniuriosa quia supponit Deum intendisse peccati augmentum, id quod dici non potest etiam obtentu maioris boni, ut protestantes autumant dicentes Deum " primario „ intendisse excitare desiderium Reparatoris. Etenim neque ad maius bonum obtinendum licet medium adhibere quod " de se et inmediate „ nonnisi malum affert (Cfr. Rom. 3, 8). Cum vero Paulus Rom. 5, 20 ait " legem subintrasse ut abundaret i. e. augeretur delictum „ non de scopo Dei loquitur sed de eventu ipso ex adventu legis praeter intentionem Dei; ἵνα = " ita ut, eo eventu ut „ non: " eo scopo ut „. Gal. 3, 19 autem cum dicitur legem " propter transgressiones positam fuisse „, non est sensus: propter transgressiones " fovendas „, sed " coërcendas „. Quod enim alias saepe scribit Apostolus legem de se non posse " vitare „ sed tantum " ostendere „ peccatum, non tollit quominus iudaei, suscepto monito legis, ad fidem confugerent ut vires impetrarent. Et de facto plurimi, i. e. omnes illi qui iustificati sunt, ita egerunt. Etsi utique plerique de facto non ita facerent, i. e. legis monitis non ad salutem uterentur, sed voluptati indulgentes graviora sua errata facerent.

5. Iustitiae infusio: eius per proprios characteres descriptio.

In processu iustificativo primus gressus posita dispositione praevia ex fide, est ipsa iustitiae infusio. Iustitiae infusio, secundum Apostolum, sequitur immediate exhibitionem fidei ex parte hominis: posita nimirum fide, dummodo haec talis sit qualem Paulus et Deus postulant, non nuda et sterilis, sed actuosa et per charitatem vivificata, vel vivificanda, illico sequitur ex parte Dei iustitiae infusio. Sane Apostolus Rom. 3, 21, postquam asseruit in christianismo iustitiam Dei omnibus pandi dummodo credant, statim nulla interposita mora, transit ad descriptionem ipsius iustitiae per proprios characteres: atque ita quidem ut descriptio, id quod sedulo animadvertendum est, iustitiam respiciat non abstracte, sed " ut afficientem iam iustificatos „. Nam. v. 24 in tertio membro enumerationis characterum, iustitia sumitur concrete, in ipsis iustificatis: δικαιούμενοι per participium passivum, tamquam de re iam consummata. Porro ipsa etiam appellatio iustitiae " ex fide „ hanc inmediatam i. e. semel posita ex parte iustificandi conditione, infusionem confirmat: si ex fide est, posita fide, subsequi eam inmediate debet. Revera, in historia iustificationis Abrahae quam Paulus proponit ut iustificationis universim exemplar, posita fide, statim sequitur credentis iustificatio: credit Abraham " et „ (*et* inmediatae consecutionis) eius fidem sequitur illico iustitiae infusio.

Haec est ratio quare Apostolus exposita fidei necessitate ad iustitiam, gradum facit ad huius explanationem; utque omnes eam distinguerent a iustitia sive probitate quam iactabant iudaei ac philosophi, eam per suos characteres describit: 1us character est ut comparetur " per fidem Iesu Christi „: δικαιοσύνη διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ i. e. in Iesum Christum: Ἰησοῦ Χριστοῦ est genitivus obiecti. 2us est ut omnibus offeratur modo credant: εἰς πάντας τοὺς πιστεύοντας. Paulus rationem addit: quia nullum est discrimen, cum omnes peccaverint ut 1, 18–3, 20 ostensum est, et egeant pariter " gloria Dei „ i. e. hoc eius liberalitatis dono, quod tam insignem Deo gloriam creat. 3us character est eius gratuitas per respectum ad quaevis merita ex parte hominis: δικαιούμενοι δωρεάν: " qui (nempe: πάντες πιστεύοντες) iustificantur *gratis* „, i. e. gratuita Dei condonatione. Addita appositione: τῇ αὐτοῦ χάριτι = " per eius domum „ explicat Paulus cuius donum sit iustitia. Ex hoc charactere apparet quo titulo requiratur fides in

primo: non titulo meriti quod habeatur in ipsa fide etiam vestita operibus quae eam complent inclusa charitate inchoata; sed titulo conditionis ad placitum divinum, i. e. dependentis ab extrinseca et gratuita ordinatione Dei. 4us character, ex causa meritoria: iustitia habet praeterea hanc proprietatem ut sit διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως... = per redemptionem soluto pretio. In quo sit haec ἀπολύτρωσις exponitur illico: τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ: per redemptionem " quae est, completur, *in* sive *per* Christum Iesum „: redimente et pretium solvente Christo Iesu. Quando igitur iustitia superius dicta est " gratuita „, id intelligendum est attentis nostris meritis et pretio: quia scilicet nobis nihil conferentibus, sive meriti, sive pretii, Deo eam donante, conceditur. Non est proin gratuita hoc sensu quod Deus nullam ab ullo requisierit satisfactionem aut pretium: satisfactionem ac pretium requisivit Deus a Christo " quem proposuit propitiationem in sanguine ipsius „ – in ἐν = ב = per sanguinem eius, mediante sanguine ipsius tamquam satisfactione et pretio. Particula: " in sanguine ipsius „ copulanda est cum " proposuit propitiationem „, seu tamquam propitiationem i. e. propitiaculum, et exprimit propitiationis, sive benignae Dei reconciliationis modum ac viam: Deo sic decernente, Christus est victima propitiatoria pro peccatis generis humani: hac via peracta fuit redemptio (1).

Postulatio pretii pro iustitia hominibus largienda non opponitur ut vult Zahn (2), gratuitati doni respectu nostri: nos ex nostra parte nihil

(1) Nam est necesse ut Deus Christo mortem stricto praecepto imponeret: ceterum, tam Paulus quam Petrus et Isaias " positivum Dei consilium sive decretum „ i. e. propositam de morte Christi adstruunt: at Isaias satis innuit quale hoc propositum fuerit: eodem tempore et in eadem sectione qua dicit Deum " voluisse conterere eum in infirmitate, percussisse eum „, ait etiam " Christum voluntarie se morti obtulisse „. Egregie id exponitur Psalmo 40, 7-9; propositum Dei intimatur Christo facto ipso incarnationis; et in actu ipso coaptandi naturam humanam quam Pater Christo coaptat, cernit Christus et acceptat Patris intimationem. (Cfr. Hebr. 10, 5-9).

(2) *Römerbrief*, p. 182 (1910). Putat nimirum Zahn ad conceptum gratuitatis pertinere ut omnino sine pretio detur iustitia: si per quemvis aut quovis modo vel via solvatur Deo " pretium „ ἀπολύτρωσις proprie dicta, eo ipso iam iustitiam gratuitam non esse: ἀπολύτρωσις proin, concludit, sumitur a Paulo improprie et metaphorice — At vox *redemptionem* sonat: deinde Apostolus dicit Christum se " pro nobis „ dedisse oblationem et hostiam Deo. Mera substitutio sine simultanea solutione vix intelligi potest: nam certe si homo ipse oblatus in mortem esset, satisfecisset quantum in se erat; quod si solutio non erat

apposuimus ; atque eodem prorsus modo, i. e. eadem cuiusvis meriti absentia recepit homo iustitiam solvente expensas Christo, quam si, nullo solvente, pura condonatione reddita fuisset peccati venia. Particula interposita διὰ πίστεως inter ἱλαστήριον et ἐν τῷ αἵματι quasi parenthetica est, et exprimit, non elementum ullum obiectivum propitiationis, sed viam qua propitiatio applicatur.

Conceptus vero causae meritoriae nondum est expletus proposita Cristi morte : completur vv. 25-26ª. Christi mors est propitiatoria quatenus Deus Filium suum in mortem tradidit « in ostensionem iustitiae suae ob negligentiam peccatorum hactenus patratorum, dum Deus praestolaretur versus ostensionem suae iustitiae in praesenti tempore » εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ διὰ τὴν πάρεσιν τῶν προγεγονότων ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ πρὸς τὴν ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Iuxta Paulum Deus Christum morti tradidit ad ostendendam suam iustitiam postulando severissimam satisfactionem, propter negligentiam peccatorum hactenus patratorum, i. e. quia hanc severam ostentationem iustitiae postulabat illa quasi negligentia (πάρεσις non ἄφεσις) vel indulgentia, quae nimia videri poterat, in puniendis peccatis praeteritarum generationum : quamquam tali indulgentia idcirco Deus utebatur quod intentis oculis prospectabat versus (πρός non εἰς) inauditum exemplum iustitiae quod praesenti nostro tempore exhibiturus erat in morte Christi. πάρεσις est « negligentia » non « remissio » sensu condonationis. Paulus his verbis sententiam insinuat quam expressius alias evolvit (Act. 14, 16 ; 17, 30) : quasi Deus in sua erga genus humanum providentia certo quodam tempore nonnihil remiserit. Videtur saecula respicere post lapsum in idololatriam, quo tempore non tam severe ut in priscis aetatibus hominum scelera puniebat, permissa quodammodo suis erroribus humanitate. Talem agendi rationem explicat Paulus nostro in loco. Deus nimirum hac apparenti negligentia usus est quia eius obtutus conversus erat (πρός) in inauditum « suae iustitiae » exemplum quod in morte Christi toti mundo exhibiturus erat. Iustitia haec non est iustitia, attributum sanctitatis, rectitudinis qua Deus sanctus est, sed iustitia vindicativa qua poenas de sceleribus sumit ; nam non solum mors Christi est in satisfactionem et propitiationem Dei i. e. ut Deo pro peccatis satisfiat et reddatur placatus, sed est decreta et ordinata ab ipso in talem scopum. Hinc perspicua fit intelligentia verborum quibus tandem 26ᵇ tota pericope clauditur : εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δίκαιον καὶ δικαιοῦντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ : « unde fiat ut Deus ostendatur simul et iustus et iustificans credentem ». Nempe, eodem facto mortis Christi miro modo copulantur

---

sufficiens id non ex defectu actus sive traditionis, sed ex exiguitate rei oblatae fuisset, id quod de Christo dici nequit. Ad gratuitatem plane sufficit ut ille cui condonatio fit, nihil ex propriis contulerit.

et condigna vindictae divinae de hominum sceleribus satisfactio, et generis humani ad iustitiam adductio ; quia mors Christi est simul terminus vel obiectum iustitiae Dei peccata vindicantis, et causa meritoria iustificationis hominum. Sedulo notandum discrimen inter ἄφεσιν et πάρεσιν : ἄφεσις ab ἀφίημι est remissio sive dimissio, condonatio ; hinc in oratione dominica dicitur : ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν : « dimitte nobis debita nostra » : πάρεσις a παρίημι non est dimissio sensu condonationis, sed neglectus, dissimulatio. Vulgatus sententiam transtulit : « propter remissionem praecedentium delictorum » ; at « remissionem » intelligit « neglectum », non condonationem » nam πάρεσις de qua Paulus, cadit solum in peccata « praeterita ». Si de « dimissione » ageretur non posset limitari ad peccata praeterita. Praepositiones εἰς et πρός vv. 25 et 26 non sunt synonymae : εἰς ἔνδειξιν exprimit « scopum » mortis Christi : « ad ostensionem iustitiae » ; πρὸς ἔνδειξιν describit Dei habitum dum prospicit, dum obtutum defigit in futuram Christi crucifixionem ceu spectaculum stupendum, quod cum compleatur, facile dissipabit quamvis de divina indifferentia erga peccata suspicionem quae ex tot sceleribus sine proportionata temporali poena quasi neglectis, oriri poterat.

Ut superius cum de iustitiae notione ageretur diximus, Sanday fulcimen suae opinionis praecipuum quaerit in verbis 26^{b} ubi putat utroque membro de iustitia iustificante agi et particulam καί (δίκαιον καὶ δικαιοῦντα) illativam vim habere : Deus Christi morte iustus ostenditur et *simul* vel *eo ipso* (also, therefore) iustificans (1) Sed attento contextu id parum recte adstruitur. Ultimum membrum 26^{b} εἰς τὸ εἶναι... clausula pericopae est, quae quid ex praecedentibus sequatur, declarat : in praecedentibus vero 24^{b}-26^{a} Paulus explicuerat quomodo Christi mors a Deo fuerit decreta et consummata ceu processus concretus quo de facto iustitia hominibus concederetur. Processus est " mors Christi, fusio eius sanguinis in satisfactionem divinae vindictae et in pretium iustitiae hominibus conferendae „. Si hoc processu Deus in morte Christi manifestatur iustus et iustificans, iustitia qua Deus dicitur iustus est iustitia vindicativa ; iustitia vero qua iustificat homines est iustitia *quam hi recipiunt*, quaque constituuntur iusti : haec duplex iustitia habet commune *nomen*, sed nonnisi nomen, et Paulus sicut saepe alias, agnominatione ludit : *et*, καί est mere copulativa " disparatorum „ quae praeter opinionem in illo eventu " connexa „ redduntur.

(1) " God is righteous *and also* declares righteous the believer in Jesus „ (p. 91).

III. Iustitiae semel infusae fructus

1. Incorporatio ad Christum

Explanatis his quae ad iustitiam eiusque in fideles infusionem spectant, atque subiuncta eius descriptione per proprios characteres Paulus gradum facit ad enucleandos fructus quos iustitia semel infusa iustificatis affert vel dona quibus cumulat, descripto per singula activo labore quem in exequendo suo opere explicat iustitiae forma in iustificati animo ut ei " salutem „ afferat. Processus, quo iustitia Dei per Evangelium oblata salutem credentibus confert, duplex stadium, ut iam alias innuimus, complectitur: salutis inchoatae et salutis consummatae. Salus inchoata confertur vel communicatur in hac vita 1) inducendo credentes in statum coniunctionis cum Deo per pacem cum eo atque per spem gloriae; idque mediante incorporatione ad Christum morientem, qui, sicut Adamus culpam ac mortem, sic ipse iustitiam, gratiam et vitam propagat ad suam posteritatem, qui sunt credentes per baptismum sibi incorporati (5, 1–6, 5); 2) liberando eos a servitute peccati, inducta libertate iustitiae (6, 6–23); 3) redimendo a servitute legis sub cuius iugo detinentur quotquot fidem et iustitiam Evangelii non obtinuerunt (7, 1–25); 4) infundendo principium novum, spiritum filiationis ad sancte vivendum (8, 1–16), idque ita ut 5) simul fundamentum habeatur, ex ipso filiationis titulo, ad hereditatem per redemptionem completam (8, 17–39). En " forma seu via concreta qua iustitiae applicatio fit, huius applicationis effectus, atque horum amplitudo „, per hanc nimirum et alteram vitam: i. e. en problematis solutio quod secundo loco Apostolus explanandum sibi proposuerunt. Effectus tamen infusae iustitiae qui ad futuram gloriam pertinent et quorum tantum " spes et pignora „ in praesenti habentur, Rom. 8 innuuntur potius quam explanantur: explanatio proprie habetur 1. Cor. 15, 12–28. Inducta nimirum in hominem iustitiae forma, activissimum laborem, ceu vera Dei " energia et vis „ intra iustificatum explicat eo ferme modo quo vires sive formae in ordine physico intra massam quae earum energiis subiicitur.

Et primus interni huius laboris per iustitiam peracti effectus est propria suiipsius quasi radicatio in animo iustificati per eius incorporationem ad Christum. Sectionem de praeparatione et primo iustitiae in hominem ingressu, inchoatam 1, 18, clauserat Paulus

4, 25 illa sententia: quod Christus resurrexit propter iustificationem nostram: διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν. Huic sententiae arcte coniungens sequentem pergit 5, 1: δικαιωθέντες οὖν... " cum ergo iustificati iam simus ex fide „... Vel ipsum aoristi participium ostendit Apostolum minime iam in themate de obtinenda iustitia versari, sed eius acquisitione ac possessione supposita, salutiferam ipsius operationem intra iustificatum pertractandam aggredi.

B. Weiss putat Paulum 5, 1-19 pergere adhuc in themate de salutis acquisitione, adiecta nimirum demonstratione de huius acquisitionis « securitate », primum ex motivis dogmaticis (5, 1-12); quae confirmatur dein allato parallelismo ruinae per Adamum, quae restitutionem per Christum postulat (5, 14-19). (1) At securitas de qua 5, 9-10 agitur non est securitas de iustitia iam obtenta, sed de gloria obtinenda. Exemplum vero Adami affertur ad illustrandam incorporationem et solidaritatem quae per iustitiam infusam inducitur inter Christum et suam posteritatem (iustificatos), quae similis est illi quae intercedit inter Adamum et eius posteros, physice per naturam, moraliter per culpam, et sic universalis sicut illa. Sicut incorporatio posterorum Adami cum suo parente ad mortem est universalis, sic incorporatio ad Christum ut unusquisque iustificatus ex eius vita vivat, est etiam universalis. Non ergo adducitur Adae exemplum quoad ruinam, ut ex hac denuo probetur iustitiae necessitas per Deum concedendae, sed ad illustrandam vel ostendendam universalitatem iustitiae iam obtentae. Sane, non solum participium δικαιωθέντες, sed totus contextus 1-11 de incorporatione cum Christo agi, quam iustificatio i. e. iustitia infusa induxit, haud obscure prodit. Iam ipsa congratulatio de iustificatione veluti de re possessa atque ad novum statum iam obtentum pertinente (vv. 1. 2); deinde spes certa de complenda redemptione (per gloriam) cuius nimirum pignus certissimum est mors Christi pro nobis oblata « cum adhuc peccatores essemus » i. e. cum in conditione versaremur, a qua per iustificationem erepti sumus (5, 3-10) nullum relinquit dubium quin describatur novus status post peccatum remissum; his accedit demum gloriatio in Deo

(1) *Der Brief an die Römer*, pp. 215. 216. Bernardo Weiss adstipulantur unus alterve ex catholicis qui, sicut germanus Professor, in exemplo ruinae per Adamum novam demonstrationem cernunt a Paulo allatam ut iustitiae necessitatem ulterius confirmet. " La doctrine du peché originel nous ramène à la necessité de la justification „. (Lagr. p. 99). At exemplum Adami in contextu non tam " denuo nos ducit „ ad primam iustitiae adquisitionem demonstrata iterum eius necessitate, quam ad perspiciendam " universalitatem „ communicationis iustitiae quae iam acquisita supponitur; quia, cum ruina ad quam restaurandam datur iustitia, fuerit universalis, etiam iustitia restauratrix debet universalis esse: " *sicut* per peccatum Adae peccatum et mors *omnes* invaserunt, *sic* iustitia Christi *omnes* restaurat „.

obtenta reconciliatione (5, 11). Parallelismus igitur inter Adam et Christum v. 12 inductus per particulam διὰ τοῦτο = quae cum ita sint (ut 1-11 dictum), utpote ad praecedentia illustranda allatus, non ad stadium ante iustificationem denuo nos retrahit, sed in subsequenti de quo agitur, sistit : illustratur nimirum incorporatio cum Christo per iustificationem obtenta exemplo incorporationis posterorum Adami ad eorum stipitem.

Hanc esse Apostoli mentem sequentia rursus confirmant (5, 15-19), quae in hoc versantur ut huius cum Christo incorporationis praestantiam in ordine ad bona iustificatis per Christum parta, prae incorporatione posterorum Adami cum suo stipite in ordine ad mala per protoparentes posteris transmissa ob oculos ponant.

Quamvis vero 5, 1–21 incorporationem iustificati cum Christo consummatam supponant, modus tamen concretus incorporationis nonnisi inferius (6, 1–11) graphice describitur. Festinabat nimirum Paulus ut donum ipsum incorporationis eiusque ad omnes omnino protractionem quamprimum exponeret, reservata ad cap. 6 descriptione modi concreti quo ex Christi dispositione incorporatio fit. Qua proin expositione peracta, Apostolus pericope 6, 1-11. baptismum, ritum nimirum quo christiani initiantur, exhibet tamquam actum quo fideles Christo morienti mystice incorporantur ut in posterum eius fortunam participent sicut ramus arbori insitus vitam arboris cui inseritur. Cum Christus nimirum oblatus in pretium pro nobis in cruce, mortuus sit non ut in morte maneret, sed illico resurrecturus, fidelis Christo morienti incorporatus, pergit incorporatus Christo resurgenti ut eius novam vitam participet et quasi exsugat, sicut ramus arbori insitus succum arboris vitalem exsugit atque in propriam substantiam convertit.

Ut Paulus innuit (Rom. 6, 3), doctrinam de baptismo ad Christum incorporante ut iustificatus sub Christo capite novam iustitiae vitam inchoët, apostoli Christo ipso docente didicerunt. Id nimirum Christus Nicodemo explanat cum de nova " renascentia „ erudit. " Renascentia ex aqua et Spiritu „ completur per insitionem in Christum mortuum mediante baptismate. Per baptismum mira transformatio perficitur. Cum fidelis ad baptismum accedit, credit quidem sed nondum mortuus est peccato ; apposuit conditionem ad iustificationem obtinendam, nondum tamen iustificationis labor peractus est : semel vero incorporatus ad Christum morientem suscepto baptismo, sicut Christus vitae mortali moritur in ordine physico, moritur cum eo fidelis peccato ; cum

vero postea Christus ad novam vitam resurgit, resurgit cum eo fidelis ut hanc novam eius vitam mystice participet per infusionem iustitiae ceu fecundissimi principii omnigenae sanctitatis. In primitiva Ecclesia erat adeo pervulgata, inter christianos haec mystica baptismi significatio, ut iam cum Paulus Romanis suam epistolam scriberet, anno circ. 57, baptismus christianus passim " baptismus ad mortem „ (christiani videlicet cum Christo) appellaretur (1). Hinc etiam ortae sunt communes illae formulae : " vetus homo „ " novus homo „ ad exprimendam diversam hominis conditionem ante et post iustificationem. Hinc demum Apostolus doctrinam hanc non tamquam novam aperit aut recens invectam, sed tamquam notissimam et tritam memorat Rom. 6, 3 " an ignoratis... „

2. Servitus peccati ac servitus Legis : liberatio ab utraque per iustitiam.

Paulus in exponenda salutis elaboratione per Dei iustitiam in regeneratis, eumdem ordinem tenet quem in describenda iustitiae acquisitione tenuerat : ab inferioribus ad altiora gradum facit ; a remotione impedimentorum ad positivam et perfectam salutis consummationem. Ut vera energia seu virtus Dei, iustitia suam vim multifariam exerit, multiplicemque effectum per partes complet. Instar energiarum ordinis physici, semel inducta in iustificatum, in primis noxia removet ut dein salutaria inferat ; non quod iustitiae operatio in iustificati animo per temporalem durationem mensuretur, sed quod de facto plura efficiat quae et naturae ordine et paulina descriptione successive evolvuntur. Ante iustificationem homo duplici eaque tetra servitute opprimebatur, servitute peccati ac servitute legis : quae tamen duo ut rite intelligantur opus est per ordinem explanare quid Paulus hic sub " peccato „, quid sub " lege „ intelligat ; itemque in quonam reponat respectivam utriusque servitutem. " Peccatum „ quod hominem nondum iustificatum dira huiusmodi servitute premit, intelligit Apostolus concupiscentiam ex originali lapsu commotam.

« Peccatum » quod servitutem inducit quam Paulus describit Rom. 6, 12. 13. 19 et rursus 7, 14-23 esse concupiscentiam, perspicuum est ex

(1) Id perspicue ostendit modus ipse loquendi quem Apostolus tenet. Rom. 6, 3 baptismum appellat βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον Χριστοῦ ; 6, 4 βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον, vel Christi cuius mortem physicam mystice retrahit in se fidelis, vel ipsius iustificati qui mysticam mortem obit ad Christi exemplar. Supponit autem et rem et nomina esse Romanis apprime nota. Idem apparet Col. 3, 3.

characteribus sub quibus describitur. Est enim 1) ut ex 6, 13. 19 ; 7, 13. 17. 20 apparet, principium activum omnium pravarum actionum internarum et externarum quae in homine consummantur : ideo per prosopopoeiam Paulus illud describit tamquam tyrannum qui facultatibus insidens eas in non iustificatis quasi pro lubitu in omnigenam pravam actionem raptat. Est nimirum prava inclinatio quae omnes facultates pervadit easque ad pravos actus pertrahit, i. e. egoismus qui se in omnibus quaerit quavis honestatis lege posthabita : id quod concupiscentiae characteristicam est. 2) est vis, nisus cuius actus sive manifestationes prohibentur praecepto : « non concupisces » ; vis autem et nisus cuius actus sive manifestationes hoc praecepto prohibentur concupiscentia est ; huius enim est concupiscere. Non est « peccatum actuale » vel determinatum vel indeterminatum ; nam peccati actualis utpote in actione sive actu consistentis proprium non est esse actionis pravae principium. Nec peccatum in genere innotescit praecepto « non concupisces », sed praecepto : « non peccabis ». (1) Demum non est peccatum originale ; nam sicut peccatum actuale actus est, non principium actus, sic originale est macula ex actuali remanens, cuius proprium est inhaerere in peccante ex actu transacto, non principium activum constituere novae peccaminosae actionis. Concupiscentia scilicet, i. e. egoismus in utroque ordine intellectuali et sensili, quae ante protoparentum culpam, mediante originali iustitia, rationi subiecta retinebatur (Gen. 2, 25), subtracto in peccati poenam hoc dono, tale, processu temporis et adiectis novis lapsibus actualibus tum privatorum tum in coetibus, praedominum obtinuit ut natura humana sibi relicta, eius suggestionibus semper gravius succumbat, et sub luctuoso eius tyrannico imperio gemat nisi per gratiam quae ex fide est liberetur.

Ad « legem » quod attinet, hoc nomine intelligit Paulus primario « legem mosaicam », secundum tamen portionem eius moralem (7, 7-25) ; atque exinde, quoniam materia sic contracta legis mosaicae et legis naturalis eadem est, et par quoque ad utramque servandam naturae imbecillitas, etiam legem naturalem.

At in quo reponitur, secundum Apostolum, " servitus „ (δουλεία) peccati et legis, qua iustificatus ante iustificationem et fidem premitur ? Peccati servitutem in hoc reponit Paulus (Rom. 6, 13. 16), quod ante iustificationem homo se veluti mancipium peccati sive concupiscentiae exhibeat ut ei obediat commodatis eidem propriis facultatibus ad pravos actus consummandos. " Servitium „ hoc

(1) Quamvis concupiscentia (egoismus) principium sit omnis peccati, non ideo tamen quodvis peccatum formaliter est " concupiscentia „ aut stat in " concupiscendo „: aliud est esse " principium „ sive " radicem „, aliud esse " omne peccatum „: radix nimirum differt a trunco, ramis, fructu.

peccato praestitum, " coactum „ procul dubio intelligit Paulus ; id enim fert secum notio " servitutis „ et conditio " mancipii „ (δοῦλου) : non tamen sensu stricto per vim aut necessitatem arbitrio illatam ; nam cum de servitiis per hominem " peccato „ et " iustitiae „ ante et post iustificationem praestitis agit (cap. 6) studiose adhibet verbum " commodandi „ sive " exhibendi „ (παραστήσατε), quo rem tandem penes arbitrium stare significatur. Sensus igitur servitutis peccati in mente Pauli hic est : quod posita imbecillitate liberi arbitrii sibi relicti, atque gratiae auxiliis, quae vivae fidei alligantur, destituti, licet posset absolute utcumque importunis concupiscentiae vel illecebris vel insultibus resistere, de facto succumbet, nec diuturno tempore firmum manebit. Iugis igitur ac tenax concupiscentiae sollicitatio, merito coactioni et tyrannico dominio comparatur ; sicut, consequenter, correlativa hominis subiectio, servituti. En servitus peccati.

Legis vero servitus describitur ab Apostolo Rom. 7, 5. 6 et 8. 9 : 5. 6 factum ; 8. 9 modus et indoles facti eiusque causa. " Cum in carne essemus — i. e. non in spiritu, sicut nunc post iustificationem, sed quasi ad nutum carnis sive concupiscentiae hac illac traheremur, — passiones peccatorum (1) — i. e. appetitus peccaminosi in varia peccata connitentes (2), — qui per legem erant, — i. e. qui ex legis actu, interventu insurgebant, — agitabantur in membris sive facultatibus nostris eo exitu ut fructificaremus morti „. Servitus haec non est subiectio ad legem ex officio eam servandi, sed est " gravamen „ quod homo sibi relictus et auxiliis gratiae ex sola iustificatione et fide manantibus destitutus, experitur cum, sub luctuosa illa peccati tyrannide superius descripta, constitutus, iugum legis sua praecepta nihilominus urgentis, subire cogitur. Nimirum, ex peccati oppressione fit ut, ob impotentiam quae exinde oritur legem servandi, atque ex vehementi propensione in vetita, legis intimationes " invisum exerceant dominium „ quod " gravate „ sustinetur. In lege ergo habetur aliquid simile atque in peccato : " dominium „ ex parte legis praecepta sua urgentis quae non implebuntur ; et " gravamen „ sive servitus, onus, ex parte hominis. En legis servitus.

Sed sedulo distinguendum est inter modum quo " peccatum „

(1) " Passiones peccatorum „ τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν = commotiones ad peccata (varia) excitantes : appetitus inordinati.

(2) Commotiones dicuntur παθήματα quia revera eas ab externis irritantibus patitur homo : genitivus " peccatorum „ indicat terminum ad quem tendunt.

et modum quo " lex „ dominium exercent et servitutem inferunt. Peccatum suum dominium exercet lubens ac petulanter, et servitutem vi infert ; quia aliud non vult quam pravos actus in homine consummare. Contra, lex invita dominium exercet et servitutem inducit, ac solum quia a munere sibi imposito denuntiandi peccatum, desciscere nequit. Non obstante tamen hac " peccati „ et " legis „ diversissima dispositione, conspirant de facto vel quasi conspirant in eumdem eventum, et respectu miseri hominis sub peccato gementis, quasi foedus inter se contra illum ineunt ; quia dum concupiscentia impelliit, et lex praeceptum urget, non solum prior, i. e. peccatum ut perspicuum est, sed etiam ipsa lex fons transgressionum ac damnationis evadit, cum ex una parte impleri non possit, et ex alia urgere non cesset. Imo sola peccati servitus, nisi accederet servitus legis, non magnopere noceret, quia quantumvis homo ad prava per concupiscentiam pertraheretur, quamdiu ea ut prava non cognosceret, minime peccaret, et sic nec " ad mortem „ operaretur. At accedente lege suas intimationes urgente, et tamen vires ad concupiscentiam pervincendam non conferente, servitus non solum duplicatur, sed plane mortifera redditur. Talis est conditio hominis non iustificati, tamque luctuosa servitus qua premitur ! Ab ea tamen per iustificationem plenissime liberatur : quo modo, illico videbimus (1).

Conceptus de legis servitute creber admodum est apud Paulum et sub multiplici forma recurrit, « maledictionis » loco benedictionis, «irae» sive «damnationis» loco salutis, « exundantiae peccatorum » loco sanctitatis etc. Gal. 3, 10-13 ait Apostolus a lege nonnisi « maledictionem », nullo modo benedictionem exspectari posse. Nam, ait, ex una parte lex (Dt. 29, 26) maledictionem fulminat contra eos qui eius omnia praecepta non observant. Aliunde lex efficere per se nequit ne maledictio haec de facto subditos percellat, cum, teste Habacuc, iustitia « ex fide » sit, fides autem non ad sphaeram legis pertineat quae tota « intra praecepta et prohibitiones » se continet, quin vires ad mandata implenda conferat. Quamdiu igitur legi stemus, non iustitiae benedictionem, sed damnationis maledictionem exspectare solum possumus. Solus Christus factus pro nobis « maledictio » (vel maledictum) ob crucis supplicium potest a legis maledictione eripere, quia solus fons gratiae est quae vires ad legis impletionem praestat.

Rom. 4, 15 ait « legem » operari iram i. e. efficere, producere, secum portare iram, vindictam, poenam. Nam ubicumque adest lex,

(1) Proposita descriptio desumpta est ex Paulo Rom. 6 et 7, 5-12.

ibi pedissequa sequitur transgressio ac proin poena; et tantummodo ibi exulant transgressiones ubi lex non adest. Sensus, ex iam explanatis, perspicuus est: cum de homine agitur non iustificato sibique cum lege relicto, cum careat auxilio quo legis praecepta integre ac constanter impleat, vitari transgressio non potest, cum lex praecepta sua omnia ac constanter urgeat, nec tamen vires praestet unde impleatur. Similis explicatio valet pro illis locis ut Rom. 5, 20; 3, 20 et similibus.

Quo autem modo ab utraque servitute iustificatus liberetur explanat Paulus respective 6, 12-13. 18–22; 8, 2–5 et 7, 6. Liberatio a servitute peccati fit substitutione novi principii operandi, iustitiae scilicet, pro veteri tyranno. In iustificatione, per incorporationem cum Christo infunditur iustitia tamquam nova facultatum rectrix ac gubernatrix quae eas sub suo ductu ac regimine colligit, et ad omnigenam honestatem propellit, idque non voluntate modo, sed voluptate, ob suavem nimirum unctionem ac vim qua intimos animi sensus perfundit et voluntatis studia mutat. Iidem illi qui antea sua membra omnigenae corruptioni libentes sub concupiscentia venumdabant, nunc sub iustitia, laeti et exsultantes eadem iustitiae mancipant (6, 13^{b}. 17–22: 8, 2–5). Liberatio a servitute legis describitur 7, 6: iustificatus solutus per iustitiam a lege " mortis „ i. e. a lege sub cuius gravamine ac dominio mortifero nonnisi perversa operabatur, nunc fecundatus a Christo omnigenae honestatis opera gignit.

3. Status sive conditio " sub lege „ et status " sub gratia „.

Exhortante neophytos S. Paulo ad commodandas facultates proprias in manus iustitiae ad bona opera, illi, etsi muniti iustitia, memores tamen luctuosae illius conditionis qua sub concupiscentiae iugo gemuerant, verentur ne sanctae resolutiones quas ceperant, inanes evadant ob novas tyranni saevitias et perfidas artes quae iterari forsan possent, eosque denuo ut antea, in vitia raptare (Rom. 6, 13. 14). Paulus respondet: non est cur timeatis; dominatus peccati finitus est; in posterum non ita contra vos valebit potentia, nam " non estis iam sub lege, sed sub gratia „. Iustitia quam accepistis affert secum Dei gratiam quae iugiter, sicut illa, habitat in vobis quaeque abunde confert, id quod lex non poterat, unde peccati astus facile infringatis. Ad scrupulum neophytorum timentium novos ex peccato insultus, Paulus respondet conditionem hominis describens ante et post iustificationem

ita ut, sicut proprium non iustificatorum est " esse sub lege „, sic proprium iustificatorum sit " esse sub gratia „. Inter utramque conditionem Paulus talem relationem statuit ut, sicut prior secum fert dominatum peccati, ita posterior liberationem ab hoc dominatu efficiat et contrarium iustitiae regnum firmet. Quo autem pacto " legis servitus „, sive conditio " sub lege „, dominatum peccati firmet, supra exposuimus. Non quidem eum firmat " directe „, cum lex eo tendat ut pravos actus impediat; sed indirecte, ob infirmam subditi dispositionem et moralem impotentiam, qua non obstante lex urgere sua praecepta pergit. Declaratum praeterea est quid Paulus intendat significare sub legis " servitute „ : taedіosam scilicet hominis erga legis monita dispositionem ob gravamen quod lex supra illum exercet, dum peccato servit. Hinc liberatio a servitute legis vicissim aliud non est quam exemptio ab hoc gravamine et consequente taedio erga monita legis, restituto legitimo et iusto criterio ac sensu de divinis ac religiosis.

" Esse sub lege „ proin idem tandem est atque esse obnoxium illi legis dominatui qui vicissim " legis servitutem „ gignit. Esse " sub gratia „ est esse non solum immunem ac liberum a gravamine illo ex inviso legis dominatu quo urget praecepta et non iuvat; sed praeterea, quod ceteroquin connexum cum praecedenti est, imo proprius eius fons, muniri talibus praesidiis quibus et mens suavi veritatis lumine collustretur, et affectus voluptate in bonum perfundatur. Gratia nimirum sive iustitia ut praeclare Augustinus, " aperit quod latebat et suave facit quod non delectabat „ praestando insuper " vires efficacissimas „ voluntati ad bene operandum.

Protestantismus liberationem a legis servitute aliter ac nos intelligit. Immunitas illa, secundum protestantium Doctores, est « immunitas absoluta a quovis legis onere ». Secundum protestantes « servitus legis » est onus ex officio legem observandi, et « liberatio a legis servitute » solutio vel inmunitas a « quovis legis vinculo ». Sic B. Weiss (1), qui multiplex ad suam opinionem firmandam argumentum affert : 1) Paulus

(1) Der Römerbrief, p. 281 : " Entbindung von jeder gesetzlichen Ordnung „ ; p. 292 : " der Christ im Gnadenstande ist in ein Dienstverhältniss zur Gerechtigkeit ***ohne unter eine*** gesetzliche Verpflichtung gestellt zu sein, getreten... „ p. 293 :... " im Gnadenstande ist in ein neues Dienstverhältniss getreten bei welchem tatsächlich ***vom Gesetz gar nicht*** mehr die Rede ist... ***jede gesetzliche*** Verpflichtung als aufgehoben anzusehen ein Recht hat „ ; p. 298 : " der Christ ist jeder Beziehung zum Gesetz abgestorben „.

Rom, 6, 14-23, quamvis in novo etiam statu, iustitiae scilicet, soluta legis servitute, adesse asserat « servitutem » ad Dei voluntates, titulum tamen servitii non « ex lege » repetit, sed ex libenti ac voluntaria subiectione. 2) Rom. 7, 4 ait iustificatum « mortuum esse legi » ; id quod dici vere nequit nisi soluto quovis vinculo ad legem ligante. 3) solum in hypothesi solutionis ab officio in legem potest surgere difficultas quam fidelis iustificatus proponit 6, 15 : « quid ergo ? peccabimus quia non sumus sub lege ? » Nam si lex urget, nullum est dubium quin peccari non possit, i. e. peccare non liceat. 4) Paulus in seqq. (6, 16-23) ad solvendam quamdam difficultatem, quamvis efferat factum perstantiae vinculi cum Deo in iustificatis quoad impletionem voluntatis divinae, non provocat ad factum de perstantia legis et officii in eam sub ullo titulo. Vinculum igitur quod fideles ligat cum voluntate divina ad eam implendam, non est vinculum legis, sed alterius generis (1).

Inter catholicos communissima et tenenda sententia hanc explicationem non admittit : Paulus nullibi dicit christianos " lege „ et " verae legis titulo „ non ligari ; imo perspicue asserit contrarium. Nam Rom. 8, 2. 3 partes proprias iustitiae de auferenda per spiritum infusum legis servitute in hoc reponit quod conferat id quod lex non conferebat, nempe vires ad bene et honeste constanter operandum, sicque fiat ut lex hactenus sterilis et orbata implemento ob " infirmitatem carnis „ i. e. ob impotentiam qua natura sibi relicta laborat, nunc fecundetur et, mediante gratia superaddita, sortiatur effectum ad quem natura sua ordinatur : " ut iustificatio (δικαίωμα) legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum „. Mediante igitur

(1) Etiam inter catholicos non semper satis dilucide notiones hac de re evolvuntur, ut cum v. gr. asseritur in christianismo ex lege morali mosaica solum remanere " id quod aeternum est „ nempe solam eius materiam, vel ad summum promulgationem mere naturalem, non positivam. Similiter, cum approbantur pronuntiata ut illud Adolphi Lülicher quod in christianismo remaneat solum " obedientia *voluntaria*, sub gratiae divinae influxu, cuidam splendidae normae morali „ ; nimirum, nullum vinculum quod ex intimatione praeceptiva legis exsurgat. At neutrum dici potest. Christus manifeste incorporavit Evangelio legem moralem mosaicam addita propria intimatione graviter praeceptiva de non omittendo vel apice ex ea. Et revera Paulus Rom. 13, 9 articulos Decalogi appellat *mandata* (ἐντολάς). Nec alterum de *voluntaria* obedientia ex solo lumine legis et gratiae *invitatione* salvat vim intimationis *imperativae* praeceptorum non supposita Christi promul gatione. Abrogata fuit vel cessavit promulgatio " mosaica „, sed substituta est promulgatione Christi : " *Ego* dico vobis „. Nec obiiciatur intimationem " dico „ non esse praeceptivam : intimatio habet procul dubio eamdem vim quam cum dicitur " antiquis *dictum* fuisse : non occides „.

spiritu infuso, " iustificatio legis „ i. e. iustitia ad quam ordinatur lex, iustitia ex praeceptorum observantia, sortitur in iustificatis plenum effectum ; idque " quia iam non ambulant secundum carnem, sed secundum spiritum „ ; non impediuntur carnis onere sive imbecillitate quae legis impletionem impediebat. Hinc spiritus infusi munus est, iuxta Paulum, " removere impedimentum „ quod aderat ante iustificationem ad legis implementum, et viam sternere ad hoc ut in posterum valeat attingere proprium scopum. Haec explicari apte nequeunt si lex in iustificatis cessat i. e. si eius intimationibus ablata est vis imperativa ; lex in tali hypothesi non transit ex " sterilitate ad fecunditatem „ i. e. ex inefficaci ad efficax praeceptum, nec habetur impedimenti remotio ad legis metam, nec vera legis impletio in suis iustificationibus : opera virtuosa non erunt " iustitiae *legis* „. Quae omnia aliena a Pauli descriptione sunt.

E contra miro modo confirmant sensum oppositum de vera perstantia " legis „ ea quae idem Apostolus Rom. 13, 8–10 de " mandatis „ tradit, ubi non solum eorum complexum " legis „ nomine proponit, sed eam tamquam vere urgentem et titulo praeceptivo ligantem describit. Quae igitur Paulus tum 6, 14ª tum 7, 4–6 de " servitute legis „ deque connubio hominis cum ea ad consummanda prava opera disserit non de lege ut tali, nec de officio eam servandi profert, sed de lege " ratione superadditi gravaminis „ ex luctuosa subditorum conditione profert, ob impotentiam legem servandi. Lex cui moritur iustificatus non est lex divina ut talis, sed " lex ruinam inferens ob coniunctum gravamen „ ; lex cum hoc gravamine et qua eo affecta. Certe nisi ita intelligatur lex quo pacto cum 7, 4–6 possent conciliari ea qua 7, 7–13 de lege secundum se tam expresse, tam reverenter Paulus asserit ? Nam, id quod sedulo notandum, Paulus Rom. 7, 12. 13 legem " sanctissimam „ appellat etiam pro illo tempore sive statu quo servitutem inducit. Quo pacto id dici vere potest si lex ipsa intimatione sua servitutem illam inducit de qua Paulus loquitur, ita ut ad servitutem conferendam necessarium sit legem ab illa intimativa vi spoliare ? Nimirum quod ante iustificationem effectum plenum suae institutionis lex non sortiretur, ipsa aegerrime ferebat, sicut vicissim de recuperata efficacia laetata est, id quod de sui abrogatione dici nequit : nemo enim aut nullum ens sui annullatione aut capitis diminutione laetatur.

Imo, in hypothesi quam refutamus, lex penitus inanis esset.

Nam subisteret ut vera lex tum cum effectum sortiri non posset; cessaret et annihilaretur cum illum sortiri posse inciperet! " Lex viri „ a qua liberatur uxor et qua Paulus significare vult vinculum quo iustificati tenebantur erga legem et a quo per iustificationem soluti sunt, est " odiosus dominatus et impotentia „ sub quibus gemebant, quaeque merito proponuntur tamquam detestanda, cum vere ingens malum sint. Nec est novum in Apostolo, sicut etiam in Christo, cum parabolas vel similitudines adhibent, eas partiali quodam aspectu, neglectis aliis, pro scopo quem intendunt, considerare. Nec dicatur haec quae disputavimus nimium probare quia probarent legem continuare ut " mosaicam „, id quod nos ipsi negamus, et non conciliari cum dictis in praecedentibus de mosaicae legis cessatione. Non probant nimium; quia cum dicimus legem " continuare „, intelligimus " sub promulgatione Christi „; lex autem sic perseverans " materie „ et " positiva divina nova promulgatione „ identificatur cum eadem sub antiqua promulgatione ut dici possit continuare, perseverare (1). Eadem principia solvunt secundam difficultatem.

Nec argumenta Weissii urgent. Quod Paulus 1) tamquam titulum obedientiae christianae non memoret (Rom. 6, 14-23) *officium* legem servandi, explicatur ex eo quod vult extenuare duritiem et efferre, e contrario, voluptatem et indolem mitem talis obedientiae: at ipsa retentio denominationis « servitutis » signum est manifestum quod etiam in Evangelio voluntas divina per verum imperium intimetur, cui respondet strictum officium ex titulo « legis ». De facto Christus incorporavit Evangelio legem moralem quae proin obligat christianos titulo promulgationis a Christo factae: ac revera Apostoli Petrus (2 Ps. 2, 21), Iacobus (Iac. 2, 8) et ipse Paulus (Rom. 13, 8-10) moralia praecepta veluti « veram legem » christianis fidelibus proponunt. Imo, nullus evangelicus praeco, etiam inter apostolos, tam valide effert momentum legis moralis, qua talis, in christianismo, quam Paulus. Notissima est eius tessera: in christianismo praeputium nihil est, et circumcisio nihil est: summa rei in fide christiana est « observatio *mandatorum* Dei » ἐντολῶν θεοῦ. Ipsa appellatio *mandatorum* hic sicut Rom. 13, 9 vim praeceptivam intimationum legis aperte effert: sed praeterea, summa rei non

(1) Nec dicatur: lex promulgatione maxime fit: si ergo promulgatio mosaica cessat, lex ipsa mosaica cessat. Nam lis inter protestantissimum et nos non est de " eiusdem promulgatione „ aut de " legis sub eadem promulgatione „ perseverantia, sed de " legis ipsius „ perseverantia i. e. de " praeceptorum sub vera imperativa intimatione „ perseverantia, de obligandi vinculo, etsi titulus iam idem numerice non sit.

poterat in mandatis Dei collocari nisi de vere imperativis intimationibus ageretur. « Summa rei » hic illud est cui omnia cedere debent; si autem « mandata » non ex intimatione imperativa remanent talia, iam summa rei non est in « mandatis » ut talibus, sed praeciso eo quo sunt mandata, sicut leo sine dentibus. Ad 2^m. Quod iustificati dicantur Rom. 7, 4 mortui *legi*, non est quia de omnimoda legis abrogatione Apostolus cogitet, sed quia Paulus legem ibi cogitat *cum adiuncto gravamine* ex impotentia servandi. Imo ipsa sententiae conformatio qua Paulus dicit fideles « mortuos legi » potius confirmat catholicum sensum. Nam postquam Paulus proposuerat exemplum uxoris liberatae a iugo coniugii ob viri mortem, applicatio obvia ad iustificatos haec erat ut, quandoquidem in exemplo uxor repraesentat fideles, vir legem, diceretur: « Lex mortua vobis est » ; et tamen conversis terminis dicitur : « vos mortui estis legi ». Cur hoc nisi quia revera proprie non ipsa lex moritur, sed fideles ad illam remoto scilicet impedimento impotentiae eam servandi quod vere legis gravamini, vel legi cum adiuncto gravamine, non legi ipsi subiectos efficiebat? Ad 3um difficultas ex 6, 15 intelligitur optime tametsi 6, 14^b non de absoluta legis abrogatione sit sermo : difficultas procedit non ex absentia transgressionis, sed ex veniae facilitate.

Ad 4) Ex dictis etiam apparet quo sensu de lege (νόμος) per totam sectionem Paulus loquatur et quo pacto lectores etsi gentiles stirpe, legi colligatos supponat ante susceptum Evangelium. Cum ex dictis praecepta moralia legis mosaicae, ratione materiae, omnes sine distinctione semper obligaverit, cum praeterea pars moralis ratione promulgationis per Christum factae perseveraverit inter Christianos ut lex positiva divina, nulla erat ratio cur cunctaretur de ea disserere tamquam de divina lege qua semper eadem perseveraverit (1).

Scholium de « tituli » substitutione per Christum in Lege

Quoniam saepe diximus Christum substituisse propriam promulgationem positivam Legis promulgationi mosaicae, operae pretium erit hanc affirmationem ostendere, cum tali assertione ceu fundamento nostrarum solutionum usi fuerimus. Forsan enim nonnemo dicat : ubi reperitur in historia Evangelii talis promulgationis Christi ad mosaicam substitutio? Testimonia quae afferuntur v. gr. ex Paulo Rom. 13, 8-10

(1) Diximus superius sententiam de " lege morali „ perseverante in christianismo etiam ut " positivam „ ob Christi promulgationem esse inter catholicos communem : sufficiat testimonium recentissimi theologi afferre, P. Christ. Pesch., secundum quem " omnes concedunt „ (catholici) praecepta moralia non solum ut naturalia, sed ut " a Christo Dominus pro suo regno stabilita „ perseverare. (*Praelectiones dogmaticae* ⁹ V, 283).

ubi Decalogum appellat « Legem », eumque ceu normam moralem fundamentalem in Evangelio vigentem proponit, explicari facile possunt sine nova promulgatione. Dicet enim fortasse quispiam : decalogus est fundamentalis norma ad vitam moralem, quam christiani omnes servare debent et ut talem merito proponit Paulus ; sed appellat « Legem », non quod in Evangelio sit norma quae ut rigorosa lex urgeat, verum quia hanc vim habebat in Veteri oeconomia, et Paulus assuetus antiquae nomenclaturae, eam citato in loco per abusivam applicationem servavit, conscius ceteroquin de recta lectorum intelligentia post ea quae de eius abrogatione in praecedentibus capitibus disseruerat.

At de substitutione propriae promulgationis per Christum constat Mt. 5, 17-48. Agitur in hac oratione de solemnibus declarationibus Christi circa Legem. Cum Dominus ait se venisse non ad « solvendam » sed ad « adimplendam » Legem, in primis indubium est de Lege morali, praesertim de ipso Decalogo sermonem esse, ut ex applicationibus concretis constat quae ad singulos huius Legis articulos fiunt vv. 25. 27. 33. 47. Cum autem ait se venisse non ad « solvendam », sed ad « adimplendam » Legem, solvere non est « transgredi » sed « dissolvere » i. e. vi obligatoria spoliare. Nec adimplere est « servare », sed « in sua vi obligatoria corroborare ». Sane, cum Pharisaei a Christo dicuntur solvere quaedam Legis mandata, « solvere » non est « transgredi » sed « relaxare », eorum vim praeceptivam dissolvere : docebant nimirum concupiscentiam internam peccatum non esse : praeceptum grave de ea cohibenda non urgere : Christus vero e contrario dicit in sua Ecclesia « neque apicem neque iota ex Lege fore praetereunda » i. e. remansura sine plena sua vi sive rigore obligandi. Consequenter ad hanc normam, in singulis praeceptis declarat illico Christus quo pacto, secus atque faciebant pharisaei, qui in pluribus legis integritatem enervabant, contenti aut opere externo, neglecto affectu interno, ut in 5° et 6° praecepto (Mt. 5, 21. 22. 28. 29) ; aut opere incompleto ut in amore proximi (vv. 43-48) ; ipse in suis perfectam undequaque legis vigentiam omnino stabiliturus sit. Et ad singulas de pharisaeorum relaxationibus animadversiones apponit propriam correctionem praemissa formali promulgatione : « ego autem dico i. e. praecipio, vobis », et addita respectiva ac severissima sanctione de reatu culpae ac poenae (vv. 22. 26. 30). Sicut formula : « dictum est antiquis » intimationem sonat imperativam pro lege mosaica ut perspicue ex pluribus exemplis recitatis quae ex Decalogo sumuntur (Cfr. vv. 21. 27. 33) constat, sic formula : « *ego* autem dico vobis » intimationem a Christo Legislatore exprimit qua Legem pro suis subditis promulgat. Evidens autem est ea Legis praecepta moralia de quibus nihil taxative dicit, contineri in illa capitalis normae generalitate : « iota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec *omnia* fiant » qua universam legem revisioni ac propriae

promulgationi subiecit. Haec non ignorabant christiani, et ideo cum Paulus Rom. 13, 8-10 de Decalogo quasi de « Lege » christianorum loquitur, eius mens fertur in hanc Christi promulgationem.

4. Peccatum, Lex, humanum arbitrium singulorumque partes in hominis servitutem ante iustificationem.

Descriptio Pauli (Rom. 7, 5. 6) de legis influxu in hominis ruinam, difficultatem suscitaverat qua lex cum peccato aequiparabatur tamquam si eodem modo illam provocarent. Quam Apostolus indignabundus respuit 7, 7 (1): sed negatione non contentus, eius fundamentum sequentibus exponit explanato discrimine inter peccatum et legem in provocanda peccatoris ruina. Legis influxus totus est in hoc, atque in hoc solummodo: quod secundum proprium officium ac munus malitiam moralem aperiat quae in cupiditatibus (internis) adest, quaeque, nisi lex advenisset, ignoraretur, et sic culpa non incurreretur, tametsi homo cupiditates illas internas deliberate admitteret (2). Contra, verus pravorum

(1) Rom. 7, 7. Obiectionem non a lectoribus sed ab alio callidiori adversario, iudaeo nempe, proponi indignatio ipsa insinuat qua Paulus eam repellit. His nempe innumeris tricis ac subtilitatibus iudaei Paulum convolvere quasi retibus omni studio, laborabant, frustra tamen, cum eos longe acumine ingenii superaret.

(2) Paulum Rom. 7, 7. 8 non de quovis inordinato etiam externo motu, sed solum de internis agere, constat 1) ex ipsa ratione quam affert ad probandum quomodo per legem innotescat *peccatum*: " nam *concupiscentiam* nesciebam „, ac manifestius 2) ex subiuncto praecepto per quod innotescit concupiscentiae pravitas: " non concupisces „ quod ut ex loco Exodi constat, unde sumitur citatio, cum nonnisi de internis cupiditatibus agat, ad eas solas extenditur. Et revera internae concupiscentiae pravitatem saepe in rudibus ratio (naturalis) non attingit. Sunt utique (Prat 1, 320) qui putant " pro iudaeo qui e matris uberibus mosaicam legem incipiebat discere „, omnis pravae actionis malitiam ex lege mosaica innotuisse, et Paulum potuisse quodvis aliud praeceptum etiam de externis v. gr. " non furaberis „ seligere pro illo de non concupiscendo. At nec Paulus loquitur de solis iudaeis, nec apud ipsos iudaeos confundebatur lex mosaica cum naturali (Rom. 2, 14-16), nec sub ipsa lege mosaica omnes agnoscebant malitiam internae concupiscentiae ut ex Mt. 5, 20 apparet. — At si de internis solum est sermo, quo pacto, obiicietur forsan, mediante hac legis illustratione, peccatum consummat " omnem concupiscentiam „ i. e. omnis generis peccata etiam externa in linea concupiscendi? — Quia cum omnia peccata radicem in internis motibus habeant, vitiato fonte et relicta sine freno concupiscentia interna, sponte ac fere necessario grassantur sine freno omnia peccata etiam externa. Certe nulla via certior ad corruptionem externam quam relaxatio interni affectus.

motuum auctor peccatum est, quod, non obstante praecepto legis, imo eo abutens, hominem gratia destitutum, inermem, iteratis suis sollicitationibus in malum pertrahit (7, 7b–12). Nec luctuosa hominis dispositio ex impotentia legem servandi ob carentiam gratiae, vel legem damnat, cum huius influxus in peccata semper mere indirectus maneat, vel peccatum excusat; e contra maximam huius perversitatem ostendit, quippe quod re sanctissima abutens, miserum hominem sine ulla pietate in ruinam praecipitet: peccatum, et solum peccatum verus auctor est illarum transgressionum. (7, 13) (1).

Hoc assertum, prolatum v. 13 magna contentione probare conatur Paulus vv. 14–24: ratio autem est ne vel umbra dubii apud lectores remaneat de legis sanctitate, simulque ut summam concupiscentiae perversitatem efferat sicque ad eam pro viribus prosternendam fideles connitantur. Revera summus valor redemptionis Christi et salutis, quam per Dei iustitiam infusam Evangelium fidelibus affert, in hoc stat, ut a luctuoso servitutis peccati ac legis iugo liberet. Sedulo tamen notandum in quonam controversiae cardo stet et de quanam peccati sive concupiscentiae in pravas actiones causalitate agatur. Multi enim et inter recentissimos criticos non ignobiles vellent ut Paulus hac pericope apertius humani arbitrii vires significaret eiusdemque iura in tuto reponeret. Imo nonnulli eo procedunt ut Apostolum hic arbitrium humanum auferre pronuntient. At posito quaestionis statu non erat cur hic directe de libero arbitrio loqueretur aut de eius viribus. Quaestio quae agitur est: num causator luctuosi infortunii quod homo non iustificatus patitur quodque describitur 6, 12. 14. 19a. 20. 21 et 7, 5 sit " peccatum „ sive concupiscentia; an " lex „, ut ex verbis Rom. 7, 5 (passiones quae per legem erant τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ τοῦ νόμου) sequi contendebat iudaeus. Hic non impugnabat Paulum directe ob liberi arbitrii decurtationem, sed ob iniuriam quam legi faciebat eam " peccato „ aequiparans (Rom. 7, 7): gravamen illud et vis (servitus) quam iniustificatus patitur eadem manebat sive a peccato tota veniret sive a lege.

In Pauli argumentatione (vv. 14–23) illud est mirum quod cum thesis probanda haec sit: " angustiae illae non a lege, sed a peccato sunt „ (utique per legem 7, 13), ad singula membra argu-

(1) Semper oportet prae oculis habere Paulum prosopopoeiam cap. 6 inductam hic quoque retinere.

mentationis conclusio quae thesin repraesentat, sic exprimitur : " non *a me*, sed a peccato „ : quare " legem „ pronomine " ego „ substituit ? — Vix dubium quin pro obiicientis mente. Paulus, utpote eximius dialecticus, suam argumentationem accurate obiicienti accommodabat cuius mens vel etiam fortasse expressa verba sic sonabant : lex nullo modo talem conditionem qualem tu asseris nec directe nec indirecte inducere potest ; nam quivis homo in lege quae spiritualis est et honesta suadet, quaeque, ut talis, etiam resonat in intimis humani cordis, habet quantum satis est ut se a tali conditione excutiat et recte vivat (1). Homo legem repraesentat. Paulus respondet : nulli dubium quin lex et in se et in hominis corde spiritualis sit ; at simul homo carnalis est atque eo gradu ut quasi in concupiscentiae mancipium venditus dici valeat : hinc simul cum illa legis voce ac sensu, adest sensus contrarius qui hominem ad se raptat (14–16) : unde potius quam ego (cum legis voce ac sensu), actionem pravam concupiscentia consummat (v. 17). Nec solum " mente „, sed etiam " affectu „ flector in bonum ob legem ; at bonum perficere non valeo sed in malum trahor, rursus non ego (cum lege), verum peccato tractus (18–20). Certe condelector mente legi Dei, at persentio legem membrorum contrariam quae me rapit : hinc non tam ego legi consentiens quam membrorum vis inhonesta consummat (21–24^{a}). Sola Dei gratia, non lex, potest me ab hac servitute eripere, superadditis viribus quae legi desunt ! (24^{b} . 25).

Ut ex iteratione eiusdem conclusionis : « non ego, sed peccatum » ad vv. 17. 20. 23 apparet, Paulus argumentationem per triplex membrum distribuit : at in omnibus idem sub diversa forma dicit : cum legis voce ac sensu adest in me inclinatio contraria potentior ad illicita, quae ut luctuosa experientia docet, praevalet prae lege et ad malum pertrahit. Hinc nisi auxilium homini robustius adiiciatur, a servitute sensuum eripi non poterit : hoc autem auxilium a sola Christi gratia venit.

Paulus hac descriptione nihil aliud dicit quam quod experientia docet, quodque scriptores quoque profani perspexerunt, etsi vividius et prolixius rem pertractat, et, quod caput est, verum liberationis fontem assignat Dei gratiam. Non tamen ita intelligendus est Paulus ut de impotentia physica loquatur perempto libero arbitrio : Paulus hic in cap. 7 non retractat ea quae 6, 12. 13. 19 satis perspicue significaverat ut iam superius exposuimus (2).

(1) Iudaeos quibuscum Paulus disputabat, suo axiomate de " iustitia ex lege „ proxime admodum stoicis accessisse indubium est.

(2) In 1° membro suae argumentationis (14–17) Paulus iustum syllogismum adhibet cuius maior quae duplici membro constat, v. 14 enuntiatur, adiecta v. 15

5. Spiritus infusus.

Complanata quasi via et remotis impedimentis, nihil iam prohibet quominus iustitia plene ac positive vires suas exerat in exequendo labore ad quem complendum maxime infunditur. Hic in eo versatur, ut iustificatum in via salutis quam ingressus est conservet, roboret, et versus optatam consummationis metam ducat. Per spiritum infusum igitur iustificatus informatur novo principio supranaturali quo ad omnigenam sanctitatem ducitur. Spiritum hunc Paulus describit 1) veluti " normam spiritualis vitae in Christo „ i. e. normam sive principium vitae quae tota secundum Christum reguletur, id quod in iustificatis fit quia " Deus, misso Filio suo in carne, quae carni peccati similis erat ac damnato per Christi carnem peccato, abstulit impotentiam legis quae ex carnis infirmitate proveniebat, ut iustitia legis impleretur in iustificatis qui secundum spiritum, non secundum carnem ambulant „ (Rom. 8, 3. 4) (1). Nimirum, iustificati valent omnigenam sanctitatem sectari, quia Deus, pretio " carnis „ Christi pro peccato et peccatoribus immolatae, et damnavit peccatum tamquam iniustum hominis iam redempti detentatorem, et abstulit a nostra carne infirmitatem qua laborabat, infuso Christi spiritu qui norma sanctitatis est. At 2) spiritus infusus pignus praeterea est consummandae redemptionis per corporis resurrectionem et gloriam. " Si spiritus Christi habitat i. e. fideliter conservatur in fidelibus, qui suscitavit Iesum, eos quoque qui eius spiritum, et sic vitam, ceu membra ex capite,

---

eius probatione. Minor subiicitur v. 16; et v. 17 elicitur et pronuntiatur conclusio. In maiore Paulus totus est in ostendendo hominem invitum et quasi coactum ferri per concupiscentiam in illicita, reluctante altiori voce, voce mentis, quae partes legis tenet. Quid sit legem " pneumaticam „ sive spiritualem esse, apparet ex eius contrario σάρκινον sive σαρκικόν esse, quod ultimum Apostolus quasi per synonymum explicat expressione: " venumdari sub peccatum „ atque in eius mancipium quasi ad exequendas eius voluntates trahi. In secundo membro expressius " affectum rectum „ animi in honesta exprimit: at uterque motus indeliberatus est et superatur propensione contraria. " Lex „ est directe lex mosaica prout mente cognita et acceptata; indirecte autem est etiam lex naturalis cuius materia in moralibus eadem est atque necessario servanda ac vitanda enuntiat. Quod de 1° membro argumentationis dicitur, applicandum est ad 2um et 3um.

(1) Ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινεν τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί, ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν τοῖς μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν.

eiusdem Iesu conservent, suscitabit in corpore „ (Rom. 8, 11) (1). 3) Adest in spiritu et alia ratio cur pignus sit futurae glorificationis : spiritus infusus quem ex Christo derivatum iustificati participant, spiritus filialis est, qui sua iam praesentia et affectu quem iustificatis suggerit, hos filios Dei esse testatur. Si autem filii, eo ipso haeredes et cohaeredes cum Christo. Si ergo Christus resurrectionem etiam corporis et plenissimam glorificationem eo titulo tamquam haereditatem obtinuit, nos quoque iisdem cum ipso potiemur, dummodo ei durante hac vita compatiamur (8, 12–17).

Quae restant ex octavo capite (Rom. 8, 19–39) partim ad ultimam iustificationis periodum, et sic adhuc ad primum restitutorii operis stadium, partim ad secundum stadium pertinent. Describit nimirum Paulus 8, 19–22 finalem apocatastasin, et 23–30 futuram iustificatorum gloriam qua coronabuntur ut Dei filii et Christi fratres. Haec tamen duo proponit hic Paulus non ut alterum stadium operis restauratorii i. e. consummationem redemptionis, directe describat ; sed potius tamquam obiectum " spei „ iustificatorum dum in hac vita versantur, ut eorum desiderio ac firma spe accendantur et sic in iustitia acquisita conserventur et crescant, ut ex subsequente hymno in spem (31–39) perspicuum fit. Certe apocatastasis veluti solatium in praesentibus aerumnis utpote glorioso illo exitu finiendis nisi per iustificatos stet ; itemque futura iustificatorum coronatio ceu definitivus terminus in processu divinorum favorum per iustificationem inchoatorum, quique in eadem firmissimum pignus possidet quantum ex Deo est, proponuntur ; ac proin potius ut fomentum spei, et sic, ut una ex excellentiis illius status quem obtenta iustitia fideles ingrediuntur : " spes gloriae filiorum Dei „ (Rom. 5, 2). Hinc dona haec, cum nonnisi " spe „ ad stadium iustificationis, re autem et substantia ad alterum de glorificatione pertineant, opportunius describenda reservantur cum alterum stadium data opera pertractabitur.

« Spiritus infusus » de quo Paulus Rom. 8, 1-18 et quem per ordinem ad novam vitam describit potissimum vv. 2-5, est idem illud principium vitale de quo in omnibus illis locis sermo est ubi iustificatio proponitur veluti renovatio, regeneratio, nova creatio, nempe Rom. 6, 4-10 ; Eph. 4, 23 ; Tit. 3, 6 etc. : « iustitia ». Identitas constat ex iden-

(1) εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος τὸν Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας ἐκ νεκρῶν Χριστὸν Ἰησοῦν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν.

titate functionis ei attributae, quae est conferre « formaliter » (1) iustificato *novam vitam in Christo :* evidens enim est vitam novam in Christo unicam esse, et nonnisi unicum habere formale principium. Re et concrete tale principium est ipsa forma iustificans sive iustitia inhaerens cuius effectus formales sunt incorporatio sive insitio in Christum mystica, et vivificatio in ordine spirituali ac novo. Eo ipso quod spiritus 8, 1-2 definitur per ordinem ad vitam *in Christo*, i. e. ex Christi, ceu capitis, influxu, perspicue alluditur ad descriptionem incorporationis cum Christo 6, 4-6. Planum est ex dictis spiritum hunc non esse Spiritum Sanctum, nam Spiritus Sanctus non potest esse nec forma inhaerens, nec principium vitale ex quo emanent actus huius spiritualis vitae ad modum quo in vita physica actus vitales profluunt ex viventis forma. Est proin donum quoddam quod, utpote natum ad informandum iustificatum in ordine ad novam vitam spiritualem, coaptatur ad indolem subiecti quod informat. Indoles autem hominis postulat ut, quandoquidem actus novae vitae, quantumvis supranaturales et ad sphaeram divinam, natura sua, pertinentes, a facultatibus nihilominus eiusdem hominis peragendi sunt, ac proin radicem in ipsa animi substantia habent, praeparentur et colligentur mutuo per illas relationes quibus actus vitales in vita naturali. Igitur spiritus infusus, forma iustificans, aliud non est quam forma supranaturalis quae adamussim sese adaptat ad animam cum facultatibus et relatione ad actus. Inde praeter truncum centralem qui in imo animi insidet, multiplici quasi ramo constat per singulas facultates diffuso ut eas informet atque ad proprios actus in ordine gratiae disponat (2).

Sedulo distinguendum est inter " supranaturalitatem „ ipsam actuum in iustificato et eorum " vitalitatem „. Actus exercentur ab ipsis facultatibus hominis ut expressis verbis docet Paulus tum Rom. 6, 19, cum ad exercendos actus requirit ut " iustitiae commodentur a iustificato propriae facultates „ ; tum 8, 3 ubi actus quibus " iustificatio legis „ impletur, exercentur a iustificatis implendo praecepta legis (credendo, sperando, uno verbo, vitales actus operando). At exercentur mediante " directione „ et " cooperatione

(1) " Formaliter „ i. e. instar formae, ad modum quo formae naturales viventium iisdem vitam tribuunt. Spiritus infusus in anima depositus eique inhaerens elicit actus supranaturalis vitae : eodem modo in renovatione, regeneratione de qua Tit. 3, 5, principium quo fidelis regeneratur et vitam regenerationis elicit proprios actus.

(2) Hinc perspicuum est quantopere a vera Pauli intelligentia aberrent hi qui autumant ex fontibus revelationis nihil aliud dici quam quod admittendum sit per iustificationem conferri " vitam supranaturalem, divinam „, ceterum quoad talis vitae intimam indolem nihil definiri posse, scholasticorumque theorias inania esse et medioaevalia commenta.

altiori „ ipsius iustitiae vel spiritus infusi, qui facultates iustificati quasi proprias adhibet sub Spiritus sancti inhabitantis ductu. Si iustitia et spiritus infusus utuntur facultatibus iustificati " quasi propriis „ (Rom. 6, 19; 8, 3), praeter influxum " suasivum „ admittendus est " effectivus „ ita ut ipsa iustitia vel spiritus infusus " cooperetur „, operetur cum ipsis facultatibus. Hinc qua eliciti a facultatibus actus sunt vitales; qua a iustitia, supranaturales.

Spiritui infuso ceu principio novae ac supranaturalis vitae sub Christo capite debentur actus virtutum omnes quotquot a iustificato, ut tali exercentur durante cursu suae vitae: a spiritu infuso recipiunt omnes elevationem, impulsum et cooperationem. Cum spiritus infusus ex dictis coaptetur iustificato secundum huius naturam et facultates, spiritus infusus in ordine supranaturali est quasi " informans „ in eodem ordine hominis naturam, et complectitur omnia illa principia quae necessaria sunt ad omnia virtutum genera quas iustificatus exercere debet dum mortalitatis stadium percurrit. Quam igitur multa et varia sunt virtutum genera a iustificato exercenda, tam multae et variae sunt dispositiones quae iustificatum eiusque facultates exornant disponuntque ad respectivas virtutes. Uno verbo, id omne in suo genere praestare debet spiritus infusus in ordine supranaturalis vitae, quod natura et facultates in vita naturali.

Haec quae breviter de natura et ambitu actionis spiritus infusi disseruimus gratuita non sunt: fundamentum manifestum habent in his quae Paulus de hoc argumento expressis terminis docet Rom. 6, et 8. In cap. 6 v. 13 scribit: « neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma iustitiae Deo ». Et v. 19: « humanum dico: sicut exhibuistis membra vestra servire inmunditiae et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem ». Paulus perfectam paritatem statuit inter influxum concupiscentiae in hominem eiusque facultates in vita vitiosa ante iustificationem, et iustitiae sive spiritus infusi influxum post eam. Certe concupiscentia in priori conditione ita hominis facultatibus utebatur ut earum ad concupiscentiam « commodatio » universum vitiorum ambitum complecteretur: adhibebat concupiscentia facultates ad omnium vitiorum actus consummandos. Igitur sub iustificatione, iustitia sive spiritus infusus ad omnis generis virtutum actus facultates impellit atque adhibet. Sicut igitur concupiscentia complectitur sub se omnia vitiorum genera, i. e. habitus vitiosos et per eos informat propellitque ad omnes actus vitiosos, sic e contrario iustitia sive spiritus infusus in ordine virtutum. Spiritus infusus igitur

complectitur sub se omnia particularia principia singularum virtutum, omnes earum « habitus » et per hos hominem provehit sub eminentiori inhabitantis Spiritus Sanctis ductu in omnigenam sanctitatem. Certe interest hoc ingens discrimen inter « concupiscentiam » et « iustitiam » tamquam principia respectiva vitae peccaminosae et vitae virtuosae in ordine supranaturali : quod concupiscentia sit pars substantialis ipsius naturae hominis eiusque substantiae, dum iustitia sive spiritus infusus extrinsecus advenit : at Deus potentia et sapientia sua id efficere potest ut tali modo naturae compenetretur quo vere possit esse verum actionum principium.

6. Spiritus Sancti in iustificatis inhabitatio : huius amplissima consectaria.

Iustificationis operi fastigium imponit " Spiritus Sancti inhabitatio „ in anima iustificati. Adventum divinarum personarum in animam iusti, iugemque apud eum divinorum hospitum mansionem iam Christus pollicitus erat : " qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus „. Qui Deum diligit, i. e. iustus, hospitium divinis personis praebet, nec fugitivum et transitorium sed iuge et stabile : " *mansionem* apud eum faciemus „. De Spiritu sancto autem singillatim haec promiserat : " ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in aeternum... apud vos manebat et in vobis erit „. Eo ipso quod de " perpetua apud discipulos mansione Spiritus loquitur Christus, ostendit se non de apostolis tantum, sed universim de fidelibus loqui. Promissiones Christi impletas videmus in historia Actuum ; et Paulus singulari studio hanc Spiritus Sancti non in coetu fidelium tantum sed apud singulos praesentiam et mansionem non sine magna emphasi saepe memorat : " nescitis, ait ad Cor., quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti ? „ In epistola vero ad Rom. susceptionem Spiritu Sancti tamquam unum ex donis enumerat in iustificatione receptis, id quod inhabitationem Spiritus apud singulos secum fert, cum fideles nonnisi singillatim iustificentur. Hinc Paulus Rom. 5, 1-5 descriptionem fortunatissimae conditionis per iustificationem obtentae claudit v. 5 his verbis : " caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis „. Non agitur hic de spiritu infuso, qui nec " Spiritus Sanctus „ umquam appellatur, nec describitur ut " persona „, sed ut forma inhaerens : sermo omnino est de tertia Trinitatis persona. Spiritus

Sanctus itaque conceditur iustificatis veluti *donum:* " qui datus est nobis „, eoque ipso veluti donum iuge perenne, quod enim " datur „, in perennem possessionem datur, idque singulis iustificatorum viritim.

Nondum tamen explicat Paulus hic quodnam munus obeat in iustificatis Spiritus Sanctus : at cap. 8 post descriptionem " spiritus infusi „ huiusque munerum, adiungit praesentiam et influxum Spiritus Sancti in iustificatorum animo, hoc tamen statuto discrimine : dum spiritus infusus inhaeret animae et facultatibus iustificati instar formae vel qualitatis sicut in superioribus descripsimus ; Spiritus Sanctus proponitur veluti eminentialis et supremus motor, qui spiritu infuso et eius energiis utitur tamquam instrumento cuius ope iustificatum quaquaversus movet per omnigenae sanctitatis semitas, ita ut iustificatum " agat „ i. e. agitet, moveat ; ac vicissim iustificatus agatur, agitetur, moveatur, utique consentiente libero arbitrio : i. e. sinat se agi, moveri a Spiritu Sancto : " qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei „ (Rom. 8, 14). Ex hac intima spiritus infusi ad Spiritum Sanctum subordinatione fit ut saepe Paulus Spiritus Sancti actionem per actionem spiritus infusi exprimat et e converso.

Hinc iustificatus in possessione iam formae iustificantis, liberatus a peccati ac legis servitute, ornatus spiritu infuso qui eum intus sub supremo Spiritus Sancti ductu ad omnigenos in ordine supranaturali fortunarum habitus conformat, promptusque demum ut se his motibus duci sinat, dignus efficitur ut « Dei filius » appelletur ; nam « qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei », cum spiritus infusus a iustificatis receptus et a Spiritu S. ceu instrumentum in movendo fideli adhibitus, sit vere « spiritus filiationis » qui eos veros Dei filios et facit et ostendit. Facit i. e. constituit : quia hoc spiritu ducti, clamant verissimo affectu filiali : Abba Pater ! (1) Deum patris nomine compellantes. Compellatio haec non aliunde quam a spiritu infuso et Spiritu Sancto procedit, qui solus potest talem filialem affectum suggerere. Ostendit : quia externa illa affectus filialis expressio ceteris manifesta est.

Caput de divina iustificatorum filiatione sub Spiritus Sancti ductu, Paulus quadruplici membro evolvit : 1) filiatio divina et eius testimonium (8, 15–16) 2) haereditas quae filiationem subse-

(1) Christiani aevi apostolici, in Dei invocatione, vocabulo graeco vel latino " Patris „ praeponebant aramaicum " Abba „ ob memoriam et in venerationem Christi.

quitur atque eius non minus ineffabilis magnificentia quam infallibilis certitudo (8, 17–27). 3) tutela omnipotentis aeque ac paternae providentiae erga electos a prima eorum electione usque ad supremum in coelesti beatitudine fastigium (8, 28–30). 4) Hymnus in electorum securitatem sub tali providentia (8, 31–39).

1) **Iustificati, filii Dei.** — Iustificati qui spiritu Dei se per omnia regi sinunt, sunt et ostenduntur " filii Dei „. Certe non omnes iustificati ad hanc perfectionem pertingunt ut per omnia se a Dei Spiritu quem in iustificatione receperunt, regi sinant: adhuc suscepta iustitia, etsi qui ita sunt constituti, " debitores sint non carni ut secundum carnem vivant (Rom. 8, 12) sed spiritui ut per eum regantur „ (8, 5. 13^b); possunt tamen pro arbitrii optione, alterutrum eligere; utique plane diverso exitu: vel primum, " ut moriantur „ (13^a) sicut iam 6, 13 Paulus innuerat; vel alterum, ut Spiritui se mancipantes, secundum illum incedant, vitam consecuturi (13^b). Quisnam vero sit Dei scopus cum iustitiam confert et spiritum infundit, itemque quo tendat, tamquam ad iustificationis metam, Spiritus Sanctus cum " inmissionem „ in iustificato facit, Paulus minime dissimulat: ii qui se Spiritui agendos tradunt, iique soli, sunt vere " filii Dei „ (8, 14) atque ut tales produntur (8, 16). Qui vero spiritum inactivum relinquunt, se ab eius actione subducentes, ii " filii „ non sunt. Merito autem, tamquam per notam maxime characteristicam, per hanc " a Spiritu gubernationem „ iustificati dicuntur innotescere tamquam vere " filii Dei „ quia spiritus in iustificatione receptus non timoris spiritus est, sicut illorum spiritus qui tempore promulgationis Veteris foederis ad montem Sinai, recedebant a Deo, mortem formidantes (Ex. 20, 19); sed spiritus est filialis adoptionis, qui ad accedendum Deo portat, eumque " Patris „ nomine compellandum invitat. Dum ergo Deum " Patrem „ fideles compellant, genuino iustificatorum spiritu se ferri, et vere " filii Dei „ produntur.

Produntur autem genuini filii Dei testimonio ipsius Spiritus Sancti; nam aspirationes illae quibus Deum « Patrem compellant », ipso Spiritu Sancto inspirante effunduntur et sic verissime ipse Spiritus eas (cum iustificatis) effundit. Non tamen dicit Paulus a iustificatis testimonium hoc « qua divinum et a Spiritu Sancto prolatum » per conscientiam percipi: id conscientiae ambitum excedit quae psycologica facta (actus et impressiones) qua « propria et vitaliter aut emissa aut recepta » renuntiat; non vero qua ad alium simul agentem pertinentia, qui quoquomodo se in ea immiscere potest. Si secus esset, etiam divinum con-

cursum in proprias actiones et impressiones in ordine naturali perciperemus. De facto, Apostolus, etsi cum hoc Spiritus Sancti testimonium ad iustificatos nostro in loco describit, se illis connumerat (testimonium reddit spiritui *nostro*, quod *simus*...), tamen 1. Cor. 4, 4 non audet se incunctanter « filium Dei » declarare. Mens igitur Pauli haec est : quod in iis qui sincere se gubernandos Spiritui tradunt, Spiritus Sanctus vere illas invocationes inspirat, unde fit ut, cum iustificati illos actus tamquam proprios per conscientiam percipiunt, eo ipso vocem, testimonium Spiritu Sancti percipiant, licet non « qua Spiritu Sancti » (1).

2) **Iustificati Dei haeredes.** — Pauli tamen animus ad titulum " haeredum „ describendum festinat, illectus haereditatis magnificentia : " si filii et haeredes „ (Rom. 8, 17ª). Quanti hic titulus aestimandus sit, ex patris qui haereditatem legat, et fratris qui eam a se in confratres transmittit excellentia iudicandum : " haeredes quidem *Dei*, cohaeredes autem *Christi* „ (17ᵇ). Haereditas vero est " gloria filiorum Dei „ i. e. tam splendida et magnifica, qualis filios Dei decet et fratres Christi. Ideo Apostolus ab ea directe describenda desistit, utpote cuius magnificentia ineffabilis est ; et potius, quod maxime interest, ad eius infrustrabilem certitudinem extollendam se convertit, quippe quam anxia exspectatione anhelant 1) inmensus totius creationis infrahumanae gemitus (Rom. 8, 18–22) ; 2) gemitus universim fidelium (23–25) ; imo 3) gemitus, si ita loqui fas est, ipsius Spiritus Sancti (26. 27). Triplex autem hic gemitus, ardenter filiorum Dei gloriam anhelans, frustrari utpote a Deo inspiratus, nullatenus potest, sed certissime implebitur. — Revera 1) creatio infrahumana mandatum a Deo acceperat homini innocenti famulandi, quod illa gestiens et laetabunda implere coeperat. Cum vero homo peccasset, cessabat eo ipso divina iussio ; et creatio perduellioni servire renuit. Deus nihilominus praeceptum renovavit ut etiam peccanti ministrare pergeret, seque " corruptionis (corrupti hominis) servituti „ subiiceret, adiecta scilicet promissione participandi quondam libertatem " filiorum Dei „ eorumque " gloriam „ , cum haec suo tempore revelaretur. Paruit novo imperio creatio etsi invita, et ab eo tempore non cessat ingentes gemitus edere, filiorum Dei gloriae reve-

(1) Possunt etiam testimonium tamquam " Spiritus Sancti „ percipere, at non actu " conscientiae „, sed ratiocinio mentis, quia, cum ex doctrina Pauli sciant iustificatos, si sincere procedunt, vere a Spiritu Sancto moveri et inspirari, ex sinceritate qua procedunt possunt se a Spiritu Sancto regi concludere : sed semper debent timere sicut ipse Paulus citato loco ad Cor.

lationem anhelans (20–22). Tales gemitus qui Dei expressa restitutionis promissione nituntur tam frustrari nequeunt quam ipsa Dei promissio. 2) At non solum creatura infrahumana, sed ipsi quoque fideles et iustificati, similes gemitus edunt; etsi enim " spiritum renovantem „ receperint, eum tamen non plene, sed per exigua quasi fragmenta et in " primitiis „ acceperunt, coacti interim similem corruptionis servitutem subire, dum passionibus corporis subsunt quae animam aggravant, donec illucescat dies completae restaurationis per redemptionem a corpore, cum plene incorporati Christo resurgenti, eius gloriam cumulatissime participabunt. Interea salutem receperunt sed inchoatam, non consummatam; quam sola spe, nondum possessione, et sic " patienter „ et cum gemitu exspectant certissime tamen abstergendo, cum " primitiae „ futurae plenitudinis pignus sit, cumque haereditatis spes Dei promissione nitatur (23–25). Imo 3) futura illa filiorum Dei gloria ipsius Spiritu Sancti gemitus provocat, qui certissime multo minus frustrari possunt quam creationis infrahumanae, aut fidelium universim, exspectatio. Saepe contingit, ait Paulus, ut cum pro " sanctis „ oramus, ob incertitudinem de conducentia aut inconducentia ad gloriam in rebus et eventibus quam liquido discernere non valemus, ambigui haereamus in nostris precibus, cum ignoremus quid ad salutem vere conferat, quid non. His in adiunctis, nostrae insufficientiae subvenit Spiritus Sanctus qui fervidis suis inspirationibus preces nostras sic regit ut ea postulemus quae Deus, cordium scrutator, cernit conformia esse suis consiliis circa " sanctos „ perspicit nimirum preces illas " secundum Deum, i. e. quae Deo grata sunt, postulare pro sanctis „ (26. 27).

Quinam sint « sancti » ἅγιοι pro quorum salute orant fideles, non est difficile definire : sunt alii fideles, fideles in genere quos passim Paulus ἁγίους sanctos appellat (Rom. 1, 7 ; 1 Cor. 1, 2 ; 2 Cor. 1, 1 etc. : sunt filii Dei de quorum revelanda suo tempore gloria agitur a v. 18, quamque gemitus 22-27 descripti anhelant. « Orantes » vero qui pro « sanctis » precantur quinam sunt ? Putant multi alludi at preces in coetibus per glossolalos fusas. Glossolali enim 1 Cor. 14, 2-11 describuntur loquentes sermone et formis peregrinis ita ut nec ab adstantibus nec a seipsis intelligantur ; plane sicut fideles sub Spiritu (Rom. 8, 26) : aliunde autem una ex glossolalorum functionibus erat preces pro coetu fundere (1 Cor. 14, 14). — At Paulum loqui de fidelibus in genere perspicuum est ex communibus expressionibus quas in eis designandis

adhibet: « quid *oremus... nescimus...* Spiritus adiuvat infirmitatem *nostram...* » i. e. Paulus alloquitur sicut passim in epistola ipsos lectores. Quamquam utique non de quibusvis precibus loquitur, sed de fervidioribus, et cum ob rerum de quibus agitur incertitudinem et gravitatem specialis fervor adhibetur et specialiori etiam Spiritus Sancti interventu adiuvantur precantes. « Gemitus inenarrabiles » στεναγμοὶ ἀλάλητοι ita appellantur, non quia singultibus sine articulata voce preces fundantur, sed quia inter singultus prae fervore fusos, nescit precans praecise definire suas petitiones ob incertitudinem electionis inter plura quae cogitationi offeruntur. Adiutorium autem Spiritus et ambiguitatis deflexio ad ea quae conformia sunt Dei consiliis circa eos pro quibus preces funduntur, explicari potest aut de propensione qua orans ad unum ex extremis se ferri per impulsum Spiritus experitur etsi ceteroquin non perspiciat in sua mente rationem qua illud extremum iudicet conducentius, quod tamen de facto ita est ; aut de impulsu ut se iudicio et voluntati divinae committat quae bene novit id quod ipse ignorat. « Gemitus » tribuuntur Spiritui Sancto sicut invocatio Dei suo « Patris » nomine in iustificatis v. 15 : preces illae fervidissimae quae cum magnis singultibus funduntur, inspirantur speciali motu a Spiritu Sancto.

3) **Consilia divina de " sanctis „ et paterna de eis providentia per cursum vitae.** — Dixerat Paulus vv. 26. 27 cum exponeret tertiam seriem gemituum in exspectatione gloriae filiorum Dei, nonnumquam fervidissimas preces a fidelibus fundi pro " sanctis „ Deumque in his precibus, ob specialem in iisdem regendis Spiritus Sancti interventum qui falli nequit, detegere petitiones conformes suis consiliis " de sanctis ,,, ac proin certo exaudiendas. Si igitur consilia illa Dei de sanctis sunt de iis ad gloriam filiorum Dei provehendis, i. e. de iis ad supernam in coelo beatitatem perducendis, tales precantium gemitus supernam sanctorum beatitatem anhelantes, certo non frustrabuntur, sanctique illi pro quibus funduntur gemitus, " sanctі vocati secundum propositum „ (1), beati

(1) In bimembri sententia versus 28, alterum membrum non est limitativum prioris, quasi velit insinuare Paulus inter diligentes Deum alios esse vocatos secundum propositum, alios non ; sed dicitur per appositionem ita ut in utroque membro iidem designentur. Secus verba 29. 30 non respicerent omnes diligentes Deum, et sic sententia nedum animos lectoribus adderet, potius adimeret, quia forsan etsi se sentirent diligentes Deum, ignorarent num essent vocati secundum propositum. Praeterea verba 29. 30 nihil ad contextum conferrent. " Vocati igitur secundum propositum „ et " diligentes Deum „ sunt iidem. Quinam vero concrete sint vocati secundum propositum ex vv. 29. 30 constat : sunt vocati " secundum praescientiam et praedestinationem in imaginem Christi „ (*quos* praescitos praedestinavit, *hos* vocavit).

erunt. Iam vero talia esse Dei consilia de sanctis declarat Paulus vv. 28–30. Nam diligentibus Deum (1) omnia cooperantur in bonum finale (2), omnia ad hoc conspirant ut talibus obtingat beatitudo, siquidem pro eis militat specialissima providendia quae eos ita per vitam ducit ut non deserat donec in gloria reponat.

Nam vocati secundum propositum sunt praesciti a Deo ; praesciti autem praedestinantur in imaginem Filii quem ut totidem fratres velut Primogenitum sequuntur : semel autem praedestinati in imaginem Filii iustificantur et iustificati glorificantur.

Summa sententiae vv. 28-30 haec est : pro diligentibus Deum sive vocatis secundum propositum militat specialissima Dei providentia cuius consilia de iisdem sunt ut eos iam ab aeternitate elegerit, electos vocaverit, vocatos iustificaverit, iustificatos glorificaverit : i. e. providentia quae eos semel in aeternitate sub sua custodia susceptos, numquam deserat aut negligat donec in supernae beatitudinis fastigio collocet. Ut vero sententia rite intelligantur, explananda sunt plura quae difficultatem provocare possunt.

Ante omnia « glorificatio » significata in ultimo membro per verbum ἐδόξασε est indubie glorificatio finalis per supremam beatitudinem. Nam ut ex particula γάρ apparet, Paulus 29. 30 vult ostendere id quod v. 28 dixerat : « diligentibus Deum » sive « vocatis secundum propositum », « sanctis », omnia cooperari in « bonum » scilicet antonomastice ac vere tale, in bonum supremum collimare. Id autem non probatur si « glorificatio », terminus providentiae erga sanctos sive vocatos secundum propositum non est finalis beatitudo, sicut vicissim plane probatur si est. Diligentium ergo Deum sive vocatorum secundum propositum beata sors, est firmiter a Deo decreta et infallibili eventu evolvetur. Processus divinae huius tutelae pro sanctis desumitur ab ipso suo exordio in aeterna eorum electione et evolvitur per quinque actus successivos ita

(1) " Diligentes Deum „ in mente Pauli et in hoc contextu sunt sancti pro quibus funduntur preces (v. 27), nam preces pro sanctis probat Paulus non frustrari ex eo quod diligentes Deum finalem beatitudinem obtineant ; id quod verum est si " diligentes „ sint " sancti „, secus si non sint. Ideo Vulgatus addidit in fine sententiae " sancti „, sive quia legit in originali, sive quia ex contextu supplevit.

(2) " Omnia cooperantur „ πάντα συνεργεῖ non uno modo explicatur. Sunt qui verbi subiectum faciant nominativum ὁ θεός qui facile subintelligitur ex immediato τὸν θεόν. Iuxta hos interpretes Deus omnia " cooperari facit „ in bonum diligentium se, sumpto verbo transitive. Quoniam Vulgatus subiectum videt potius in neutro πάντα et verbum intransitive sumit, possumus retinere hunc sensum cum sententia non mutetur et grammatica non obstet.

" Bonum „ est finale ac supremum ; de hoc enim solum vera est sententia, cum ei cui ultimus vitae limes infauste accidit, omnia male et in malum cedant.

arctissimo nexu copulatos ut unusquisque ab inmediate subsequente non excipiatur nisi sub conditione mutuae consecutionis ex firma lege divina. Seriem aperit « praescientia » (πρόγνωσις) quam excipit « praedestinatio (προορισμός) (1) in imaginem Christi »; praedestinationem hanc sequitur « vocatio » (κλῆσις); vocationem « iustificatio » (δικαίωσις) et hanc « glorificatio » (δόξα, ἐδόξασεν).

πρόγνωσις **sive praescentia et** προορισμός **praedestinatio.** — Ex quinque divinis actibus quibus describitur providentia de "sanctis„ sive "vocatis secundum propositum„, duo praecedunt ipsam eorum exsistentiam pendentque exclusive a solo Deo: praescientia et praedestinatio in imaginem Christi; nam certe praecedunt "vocationem„ ut sancti fiant i. e. christiani; cooperatio autem hominis ad Deum in negotio salutis inchoatur consensu ad vocationem (2). Quid autem est praescientia sive πρόγνωσις in mente Pauli? Non est simplex "praenotitia„, sed cum singulari affectu erga praescitum; nam non solum iam ipsa praenotio quae praescito prae aliis impenditur, cum eum ab eis segreget (id quod sine favore non fit) magnam benevolentiam secum fert; sed praeterea actus ille, ex dictis, essentialiter ordinatur ex parte Dei ad quatuor sequentes qui certissime summam in Deo praedilectionem ostendunt in praescitum, quae radice tenus praevertit actus ipsos (3).

(1) Vocabulum non recurrit apud Paulum, sed occurrit certe conceptus; ac praeterea iam antiquissimi ex graecis vocem ipsam adhibuerunt. Sic Origenes: Ἀνωτέρω δέ ἔστι τοῦ προορισμοῦ ἡ πρόγνωσις.

(2) In sententia: "quos praescivit et praedestinavit...„ particulam *et* καί intelligimus sensu non copulativo sed illativo, ita ut agatur de sententia per se quae duplici membro constet, protasi et apodosi hoc sensu: "praescitos, praedestinavit„. Sunt quidem interpretes qui hanc sententiam unicum membrum computant, sed id non solum est contra analogiam totius conformationis periodi 29-30, sed inducit praeterea anacoluthon minime necessarium.

(3) Cfr. Rom. 11, 2: ibi quoque praescientia evidenter secum fert magnum praedilectionis affectum. Etsi intellectum numquam praevertat etiam in Deo (quem iuxta nostros conceptus cognoscimus) affectus, itamque etsi πρόγνωσις non inveniatur in scriptoribus profanis sensu "diligendi„, id non probat apud Paulum in nostro casu et in aliis ubi sumitur ab Apostolo eodem sensu (v. gr. cit. Rom. 11, 2) non posse affectum includere. Non agitur aut de usu classico, aut de mente communi, agitur de vocabulario et conceptione paulina. Ceterum neque est necesse ut, cum dicimus in notione vel conceptu προγνώσεως copulari notitiam et affectum, affectus praevertat notitiam: sufficit ut in ea quasi sponte imbibatur ad hoc ut, cum ei compenetretur, eodem vocabulo exprimatur ita ut actus hac voce significatus designet in Deo "notitiam affectivam„, affectu benevolo copulatam: non quod affectus sit elementum notitiae in linea cognoscendi, sed quod etsi de facto notitia in signis naturae affectum praecedat, ob intimam cum eo

" Praescientiam „ ita descriptam sequitur " praedestinatio in imaginem Christi „. Praedestinatio haec in primis non est praedestinatio quae possit quomodocumque definiri : habet suum terminum perfecte determinatum : est praedestinatio in " imaginem Christi „. In quo autem concrete stet haec ratio " imaginis „ insinuat subsequens sententia : " ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus „. Si ex praedestinatione praescitorum in imaginem Christi id sponte sequitur ut Christus evadat Primogenitus inter multos fratres, ratio imaginis, sive similitudo cum Christo stat in filiatione divina et fraternitate cum Christo : praescitos igitur praeordinat " Deus in fratres Christi, filios Dei „. Id non vult dicere " imaginem „ consummari sola adoptione in filium Dei et fratrem Christi quae fit in actu iustificationis : imo eo ipso quod " fratres „ debent Christum in se reproducere transsumpta in se eius vita (Rom. 8, 17), cum vita haec non solum sit vita virtuosa in terris, sed maxime gloriosa in coelis, imago Christi perficitur quotidie, et tunc solum consummabitur cum incorporationi quae fit in terris, accedet illa quae fiet in resurrectione gloriosa.

Vocatio (κλῆσις). — Praescitos autem et praedestinatos in Dei filios et Christi fratres, Deus " vocat „. Hactenus habuimus actus qui a Deo exclusive pendent quique ad " intentionis „ ordinem pertinent et " proposita „ divina signant. Ut vero proposita haec Deus exsequatur, praescitos et praedestinatos " vocat „. Certe nisi vocet ad se illos et " suos „ faciat, nequit in eis exsequi sua consilia ; neque enim in " non suos „ i. e. aversos a se potest Deus effundere pretiosissima suae dilectionis dona. Rursus vero, vocatio haec non est quaevis, sed " efficax „ quam de facto amplectatur vocatus. Quamdiu enim vocatio remanet in regione merae invitationis, nequeunt in praescito et praedestinato compleri divina consilia. Vocationem hanc efficacem appellat Apostolus " vocationem secundum propositum „ : κλῆσιν κατὰ πρόθεσιν ; secundum propositum nimirum quod concepit Deus erga electos cum illos praescivit ac praedestinavit in imaginem Christi. πρόθεσις igitur (propositum) aliud non est quam duplex ille actus divinus praevius qui

---

copulationem complexus utriusque a Paulo voce unica πρόγνωσις exprimitur. Nomen nihilominus etsi includat affectum, sonat notitiam quia est prima in serie, et actuum Dei series, utpote summe intelligentis nonnisi ab intellectu inchoari potest. At probe animadvertendum notitiam hanc appellari non γνῶσιν sed πρόγνωσιν quia quatuor reliquos actus praeit. Nec S. Thomas huic explicationi opponitur.

vocationem efficacem praecessit tamquam huius vocationis determinativus "quos praescivit ac praedestinavit in imaginem, hos et vocavit„: cum Deus vocat hac vocatione suos, habet prae oculis illam praescientiam et praedestinationem in imaginem ut eas in vocato exsequatur. Hinc apparet discrimen inter vocationem κατὰ πρόθεσιν et non talem: hanc ultimam non praecessit duplex ille actus. Qui vocantur et non acquiescunt, vocantur quidem, sed non "secundum propositum„. Ratio facile intelligitur: si Deus aliquem vere praeordinat in imaginem Christi, vult omnino exsequi in eos suum propositum: si autem id vult, debet ita vocare ut vocatus consentiat.

Iustificatio (δικαίωσις **et glorificatio** (δόξα). — Vocationem sequitur "iustificatio„: δικαίωσις. Iustificatio est aeque necessaria ac vocatio ad exsequendum propositum de perficienda Christi imagine in electo: nisi vocatus iustificetur, nequit relucere in eo Christi imago ceu fratris "Primogeniti„ inter multos minores. Nam quod Christus sit "Primogenitus„ inter fratres suos sive filios Dei, explicante Paulo Gal. 2, 20; Col. 1, 18; 1 Cor. 15, 20. 23 exinde fit quod fideles Christo incorporentur eumque referant perfecte in se, primum per novam vitam sanctitatis in anima, deinde per vitam gloriosam etiam in corpore: talis vero incorporatio inchoatur iustificatione (Rom. 6, 3–5). Altera ratio intimae copulationis iustificationis cum vocatione est ob fidem quam vocatus concipit quamque inmediate sequitur iustitia. Iustificationem demum excipit glorificatio, quia in Christi opere restitutorio prima, via est ad alteram; et haec, prioris complementum. Sic per hos quinque gradus divina providentia electos ducit a prima eorum electione in aeternitate usque ad supremum aeternae beatitudinis numquam amittendae fastigium. Atque hoc demum coronatur imago illa Christi quae per praescientiam et praedestinationem delineata, per vocationem et iustificationem inchoata, per glorificationem consummata est.

Hymnus in fortunatissimam iustificatorum sortem. — Descripserat Paulus 8, 28–30 capitalia illa dona, ceterorum omnium compendium quae iustificatio in iustificati animo congerit. Iustificati describuntur veluti sub omnipotenti divinae providentiae tutela quae evolvit et exequitur in sanctis per singula, durante eorum vitae cursu, consilia de eis ab aeterno per Deum concepta, ita ut vigilanti providentia exequatur Deus adamussim in tempore quaecumque in aeternitate peragenda in iustificatis decreverat. Quan-

tum ad Deum pertinet et nisi per ipsos iustificatos stet, Deus certissime ita singulos vitae eventus disponet ut ad suorum filiorum gloriam, aeternam beatitatem indubie confluant. Mirificum hoc et grande spectaculum quo Dei sapientia et omnipotentia impenditur in obsequium, bene dici potest, credentium, imo et universa creatio commovet valide Apostolum qui exclamat: Deus, ut videtis, nostram causam in suam curam suscepit, vultque omnino nos omnes ad se pertrahere! Si Deus pro nobis, quis contra nos? Sicque persequitur eucharisticum hymnum pro iustificatis.

7. Vocati secundum propositum quinam?

At quosnam respicit descriptio Rom. 8, 29. 30 proposita? Estne omnium iustificatorum sive omnium efficaciter ac de facto vocatorum, omnium fidelium, an nonnullorum solum inter ipsos efficaciter vocatos, specialissime electorum? Aliis verbis, estne propria praedestinatorum " ad gloriam „, an " ad fidem? „ Descriptio Apostoli ita exhibet colligata inter se beneficia divina quae per quinque membra enumerationis enuntiantur ut praesciti praedestinentur, praedestinati vocentur, vocati iustificentur, iustificati glorificentur i. e. aeternam gloriam assequantur. Paulus proponit iustam soritem in cuius conclusione, secundum leges dialecticas, praedicatum ultimae propositionis legitime applicatur subiecto primae ob nexum continentiae praedicatorum propositionum intermediarum in praedicato enuntiati primordialis. Hinc Paulus omnes " praescitos „ faceret destinatos ad " gloriam „. Cum igitur destinati ad gloriam non sint omnes " fideles „ sive " vocati „, etiam efficaciter, sed quidam tantum nonne sequi videretur, per totam descriptionem, et iam a primo membro, nonnisi de praedestinatis esse sermonem? Sane, in enumeratione 29. 30 nexus qui ex lege divina copulat praedicatum uniuscuiusque membri ad praedicatum praecedentis tamquam a se distincti sed se inferentis, est uniformis per omnia membra: sicut praescientia fert secum, ex dicta lege, praedestinationem, ita praedestinatio vocationem, vocatio iustificationem et haec demum glorificationem. Utique textus sixtinus pro " glorificavit „ legit v. 30 " magnificavit „ (1); alii etsi retineant lectionem " glorificavit „ verbum aut legunt aut intelligunt sensu futuro, quasi nimirum abrumpatur in

(1) Wordsworth *Nov. D. N. I. Ch. Test.* (fasc. 2 p. 105) affert plurimos codd. Vulg. qui ita legunt.

ultimo membro illa uniformitas certae colligationis, et in "glorificatione„ eventus relinquatur quasi incertus et fallibilis. Sed nec lectio "magnificavit„ (1) est probabilis attento contextu; nec lectio aut sensus per futurum potest admitti. Paulus in argumentatione vv. 29. 30 habet prae oculis praecipue et ante omnia "glorificationem„ tamquam fastigium quod lectorum prospectui proponit veluti certo destinatum a Deo et attingendum ab electis de quibus sermo est. Totus contextus praecedens a v. 24 id postulat; totusque subsequens 31–39 confirmat. V. 24 dixerat salutem hactenus obtentam per iustificationem eique adnexa, non esse salutem plene talem et in re, sed solum "in spe„ quae futuram glorificationem prospicit; vv. 25–28 et dein 29. 30 firmissima huius spei fundamenta exponit ex eo quod et Spiritus Sancti impulsus, dum electorum preces versus glorificationis metam flectit, id nonnisi ex Dei consilio facit, qui illam eis concedere vult; et Deus de facto sic suam in electos providentiam per omnia ordinavit ut singula ad finalem beatitudinem collimarent. Contextus vero subsequens a v. 31 ad 39 exsultare iubet electos ob providentiam qua fruuntur singularissimam quae nimirum non sinet eos a recta via ita aberrare ut demum glorificationis metam non attingant: eadem igitur certitudine implementi eademque habitudine praedefinitionis nectitur glorificatio cum iustificatione qua reliqua membra cum suo praecedenti.

Demum nec legi verbum potest in futuro: tota sententiae conformatio contrarium suadet: et Paulus vult potius quam quinque Dei providentiae actus successivos et magnis distantiis dissitos, quinque quasi unius actus manifestationes describere quae successivae quidem sunt in se, non vero in Dei consilio. De revocatione igitur quinque actuum ad primum, deque eorum cum hoc arctissima copulatione ita ut, eo posito, reliqui infrustrabili consecutione veniant, vix dubitari potest; et Paulus hac descriptione vult firmissimam fiduciam excitare in lectoribus ostendens eos de quibus loquitur in sua vocatione et iustificatione habere infallibile pignus futurae glorificationis, cum haec eodem prorsus nexu copuletur cum iustificatione et vocatione qua iustificatio et vocatio cum praescientia et praedestinatione ad imaginem Christi, de quibus du-

(1) Certe verbum respondet satis bene graeco ἐδόξασε; at quoniam Paulus agit manifeste de suprema glorificatione quae ex usu non alio verbo aut nomine quam δοξάζω et δόξα exprimitur, lectio non potest mutari. Porro qui verterunt "magnificavit„ videntur putasse cum Chrysostomo (Rom. 15. Hom. M. 60, 541) sermonem esse de exaltatione per ipsam iustificationem.

bitare non possunt, quippe qui iis iam fruantur. Inde multi putant Paulum revera de solis praedestinatis ad gloriam loqui, in quibus solis illa uniformis graduum concatenatio impletur. Attamen totus contextus antecedens et subsequens manifeste docet Pauli mentem non esse hanc, sed omnino de omnibus lectoribus loqui. Id perspicue ostendit totus contextus a v. 18 ubi incipit exponere magnitudinem gloriae iustificatorum in apocatastasi sive universali renovatione manifestandae. Pronomen " nobis „ ibi certe Paulum et lectores designat, nec potest aliter exponi valor pronominis post 12–17. Post v. autem 18 pergit Paulus constanter in usu eiusdem pronominis per totam pericopen usque ad finem capitis, neque ullibi apparet signum mutationis sensus in vocabulo. Imo v. 32 universalem pronominis extensionem ad omnes lectores effert addito quasi per emphasin apposito " omnibus „ (πάντων) ne videatur ullum excludere. Praeterea scopus Apostoli in tota sectione est lectorum animos erigere contra adversa, positis ob oculos ingentibus gaudiis futurae beatitudinis cuius pignus certissimum sunt vocatio et iustificatio. Si autem de quibusdam tantum at non de omnibus spei fundamenta valerent, tota sectio scopo frustratur.

Quid igitur de Pauli mente iudicandum? Verum est in enumeratione beneficiorum 29. 30 quae futura glorificatione clauduntur, omnia, inclusa hac, eodem infallibilitatis nexu copulata proponi, sed non est necesse ut haec infallibilitas et infrustrabilitas absoluta sit: ad veritatem sententiae et etiam ad scopum erigendae fiduciae in lectoribus sufficit ut omnium concatenatio infrustrabilis sit " quatenus per Deum stat „. Deus quatenus ex se est, revera vocationi et iustificationi alligavit certissime glorificationem, promptus ad largienda omnia auxilia quae necessaria sint ad facile superanda asperrima quaeque in via salutis ita ut, nisi per hominem stet, omnia et singula certissime concedenda sint; et concessa, sortitura plenissime suum effectum, unde cuncta prospere cedant et iustificatus fortunatam salutis metam attingat.

Nec poterit in toto Apostoli contextu ulla sententia designari quae, in hac explicatione, falsitatis coargui possit, aut quae infrustrabilitatem undequaque absolutam postulet. Imo non desunt plura quae in seqq. 31–39 nostram interpretationem confirmant. Ipsa difficultatum exaggeratio quae (35–39) veluti forsan superventurae in decursu vitae pro virtute proponuntur, et modus quo v. 32 adiutorii largitio ad victoriam exhibenda significatur, quamvis ex una parte de proventus i. e. uberrimi adiutorii certitudine nullum

dubium relinquant, insinuant nihilominus defectionis contigentiam ex parte hominis. Robur enim ad resistendum non proponitur velut intrinsecus alligatum ipsi dono vocationis et iustificationis, sed promittitur elargiendum pro loco et tempore: " qui proprio Filio suo non pepercit, nihil nobis *negabit* „. Si igitur aut non postulatur, aut frigide postulatur, aut postulatum et obtentum non ea diligentia adhibetur qua par est, poterit, culpa hominis, frustrari.

Certe ipse Paulus qui tantopere exaggerat Rom. 8, 31–39 certitudinem glorificationis, atque id in propria persona, licet nomine omnium vocatorum; 1 Cor. 4, 4 non audet se ab omni inquietudine liberum pronuntiare. Atque in ipsa nostra sectione identidem insinuat eamdem contigentiam. V. 9 satis perspicue indicat se in omnibus quae ad erigendos lectorum animos dicit, sub conditione loqui propriae cooperationis. Haud dissimiliter vv. 13 et 17. Versibus autem 26–28 non ambigue innuit impletionem conditionum ex parte nostra requisitarum ut nostrae preces vere preces sint " diligentium Deum „, et sic obtineant Dei approbationem ita ut omnia cooperentur nobis in bonum utpote qui simus a Deo " praesciti „ ut dicitur v. 29, numquam nobis undequaque liquido constare, semperque quadam caligine involvi. Hinc Paulus loquitur quidem de omnibus iustificatis ac fidelibus, vultque omnium animos erigere, posito ob oculos certissimo futurae glorificationis pignora quod in iustificatione habent; sed eo ipso sequitur nexum illum inter actus divinos eorumque terminos ita esse ex parte Dei infrustrabilem ut simul frustrari ex parte hominis possit.

8. Obiecta et solutiones

Sunt quidem multi (ut inter recentiores Cornely Rom. p. 447) qui verba Pauli 28–30 de " diligentibus deum „ et " vocatis secundum propositum „ quos identicos merito faciunt, ad solos efficaciter praedestinatos referunt. " Apostolus, scribit Cornely ex Giustin., ubicumque de praedestinatione agit, ita semper loquitur ut non dubitare videatur quin omnes fideles quos alloquitur vel de quibus loquitur, ex electorum numero sint. Quamobrem *secundum propositum vocatos* et *diligentes Deum* ad mentem Apostoli illos hic intelligamus oportet qui in fide quam efficaciter vocati receperunt et in dilectione Dei usque ad finem sint perseveraturi „. At ex hac explicatione sequeretur verba Pauli " sono „ de omnibus fidelibus dici; " mente „ vero non, sed de solis quibusdam. Conse-

quentia perspicua est: cur Paulus " non dubitare videtur „ de omnium fidelium praedestinatione, nisi quia eius verba sensu obvio id-sonant? De facto ita est: nam a v. 18 usque ad 39 alloquitur constanter lectores omnes i. e. omnes fideles romanos atque eadem constantia eos compellat pronomine " vos „, nullibi adhibito ullo distinctionis vel transitus signo a coetu ampliore ad magis restrictum. Si igitur nihilominus verba 28–30 de solis praedestinatis intelligit, in his mens eius signis non concordat (1).

Cautius Toletus etiam expressione externa Pauli sensum a 28b ad solos praedestinatos restringit i. e. ad solos " vocatos secundum propositum „, qui non iidem sunt quos 28a " diligentes Deum „ appellarat. Secundum Toletum verba " iis qui secundum propositum vocati sunt „ praecedentia " limitant ac si diceret Apostolus: " non omnibus diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sed iis qui secundum propositum vocati sunt, nempe electis et praedestinatis „ (p. 431). Secundum Toletum igitur verba 28b non " appositio „ sunt ad praecedentia, sed eorum limitatio, unde quae sequuntur de quinque actibus divinis (29–30) iam de solis praedestinatis dicuntur. Toletus praesidium suae interpretationis quaerit in Aug. (de correpт. et gr. 9), sed simul agnoscit reliquos Patres non ita Apostoli verba intelligere. Revera inter alios Chrysostomus basin aufert interpretationi Augustini explicato ultimo membro enumerationis ἐδόξασε de exaltatione per iustificationem ipsam (2).

Utraque explicatio vim textui infert: prima, quia contra om-

(1) Dicet fortasse aliquis: merito subintelligitur conditio perseverantiae in iustitia; nam verba Pauli vera sunt de quovis iustificato qua tali et dum de praesenti ab actu iustificatis leguntur vel adiuntur et non aliter, i. e. non pro alio tempore: cum accedit ad legendum vel audiendum aliquis qui iustitiam amisit, iam non est iustificatus et cum illo iam non loquitur Apostolus. — At non potest dici mentem Apostoli esse ut sua verba veritatem retineant respectu lectorum vel audientium solum pro tempore quo sub iustitiae possessione legunt vel audiunt. Nam in tali hypothesi nulla peculiaris, vel certe admodum exigua exurgeret animorum alacritas pro futuro tempore, cum nullum efferretur pignus praesentis conditionis pro felici exitu e vita; id quod tamen evidenter intenditur. In explicatione autem nostra validissime effertur nexus obiectivus praesentis iustitiae cum felici exitu et beatitudine ex Dei decreto hanc cum praesenti iustitia copulandi quatenus per ipsum stat. Nam in tali explicatione praesens iustitiae largitio est arrhae traditio pro futuro.

(2) Hom. 16 in Ep. ad Rom. M. 60, 541. Minus recte quidem id facit Chrysostomus iuxta nos, sed ita tamen ut adiectis aliis et quidem primi ordinis, ut Hieron Ambr. et aliis evanescat consensus PP.

nes sermonis humani leges, discordantiam statuit inter mentem et signa non solum in humano scriptore sed etiam id, quod admitti non potest, in ipso Deo, quia eo ipso quod Deus, cum per Scripturam nobis sua consilia pandere decrevit, signis humanis uti statuit, consequenter se humani sermonis legibus subiicere voluit. Verum Toleti quoque explicatio: nam 28ᵇ non est "limitatio„ sed " appositio „ ad praecedentia 28ª ; quia praeterquam quod, sicut nullum indicium limitationis apparet in signis, ita nec ullum admitti debet in mente; nexus cum praecedentibus limitationem excludit. Sane " diligentes Deum „ 28ª alii non sunt quam iidem illi pro quibus Spiritus Sanctus postulat " secundum Deum „ i. e. Deo preces approbante, easque iuxta postulata expediente, fortunato vitae exitu et glorificatione finali concessis; huius autem expeditionis modum concretum enucleant verba 28ᵇ – 30. A v. 19 scilicet Paulus rationes proponit quibus fideles certo sperare possint glorificationem cum Christo (v. 17): et a v. 26 speciatim arguit ex interventu Spiritus Sancti in preces fidelium, qui illas ad salutaria munera dirigens quae Deus salvifica sua providentia dispensat, eos eo ipso " diligentes Deum „ ostendit " vocatosque secundum propositum ,,, quos Deus praescivit, praescitos praedestinavit in imagines Filii sui, ita praedestinatos vocavit, et vocatos iustificavit et glorificavit.

Et revera in sequentibus, proposito tam eximio obtinendae glorificationis pignore subdit Paulus v. 31 : " quid ergo dicemus ad haec? si Deus pro *nobis* quis contra *nos?*,, Certe sub *nobis* et *nos* Paulus non alios intelligit quam quos constanter a v. 18 i. e. omnes lectores. Iamvero si 28–30 de solis praedestinatis dicuntur, quo iure ad omnes lectores potest Paulus dicere: si Deus pro nobis, ut nimirum ex praedictis verbis 28–30 apparet, quis contra nos? Scite Prat: " si verba: vocati secundum propositum restringunt sensum diligentium Deum, ratiocinatio Pauli esset: *omnes* debent sperare, quia *nonnulli* proteguntur a Deo contra omnia obstacula ,, (1). Toletus perspexit difficultatem, sed solvit eam dicens in illo *nobis* et *nos* " loqui Paulum in 1ª pers. plur. *electos et praedestinatos* significans, conditionali utens argumento: si nos tales sumus (i. e. fuerimus) quis est qui praevaleat contra nos? „ (2) Sed si in *nobis* et *nos* repraesentantur soli praedestinati, sententia

(1) *Théol. de S. Paul* 1, 835.
(2) In Ep. ad Rom. 439.

non est conditionalis et problematica, verum omnino categorica: " quandoquidem Deus est pro nobis „. Hoc etiam incommodum persensit Toletus, qui pergit: " est etiam non pura conditio sed affirmatio quaedam, nempe: *cum* sit Deus pro nobis quis contra nos? Tales enim debemus censere eos qui christiane vivunt donec aliud reveletur „ (1). At si res ita se habet, *nobis* et *nos* designant simul et " solos „ praedestinatos et " omnes „ fideles, illos facto, istos praesumptione id quod tamen dici non potest, quia non potest simul loqui Apostolus et categorice et praesumptive, aut directe et repraesentative.

Restat dissolvenda adhuc duplex alia difficultas. 1) Si " glorificatio „ de qua Rom. 8, 30 non est undequaque infrustrabilis, unde probatur ex Scriptura praedestinatio " certa „ ad gloriam ab aeterno? Nam certe testimonium Rom. 8, 29. 30 si non unicum, saltem praecipuum ad scopum reputatur. 2) In enumeratione beneficiorum quae providentiam de electis complent omnia et singula beneficia eodem nexu cum Deo providente copulantur, si quidem eodem per omnia membra Deo agenti attribuuntur omisso quovis alio agente vel cooperante. Iamvero evidens est praedestinationem et vocationem a solo Deo sine ulla hominis cooperatione ordinari: igitur et glorificatio.

1ª difficultas haud aegre solvitur: si de praedestinatione ad gloriam seorsim sumpta agitur, talis praedestinatio " independens „, non est *certa* veritas in doctrina catholica: si vero de praedestinatione ad gloriam " cum „ et dependenter a praedestinatione ad beneficia praecedentia, non est necesse ut ex loco nostro demonstretur.

2ª non magis urget. Paulus in singulis membris loquitur et vult intelligi secundum rerum de quibus agitur naturam. Praescientia, praedestinatio ad imaginem Christi et vocatio cum iustificatione certe causam ex parte hominis non habent, quia natura sua eam excludunt. At talis non est " glorificatio „ quae ex natura sua non solum admittit sed postulat hominis cooperationem.

(1) p. 439.

Sectio 3. — Alterum reparatorii operis stadium: redemptio consummata.

I. Finalis renovatio

1. Apocatastasis et resurrectio.

Paulus, cum iustificationis opus describit, identidem salutem in iustificatis peractam appellat partialem, incompletam, inchoatam, provocans ad eius consummationem veluti rem adhuc futuram et nonnisi in altera vita perficiendam. Sic Rom. 8, 23 postquam late exposuerat iustificationis processum, etsi non diffiteatur per illum obtineri revera salutem quam Evangelium affert, appellat tamen " salutem in spe „ : " *spe* salvi facti sumus „ : salus nondum consummata est, imo restat praecipua eius pars ; et dona quae hactenus accepimus, pignus sunt et primitiae futurorum, quae multo illis erunt praestantiora. Haereditas quae nobis tamquam Dei filiis debetur, nondum collata nobis est, sed dabitur postea : " si compatimur ut et conglorificemur „ ; idque non in praesenti vita sed in futura, siquidem adoptionis possessionem appellat Paulus " *corporis* redemptionem „, quae certe in hac vita non habetur. Quam inmensa sint dona in consummatione nobis communicanda significat Paulus Rom. 8, 18 cum ait aerumnas huius vitae, quae tamen gravissimae sunt (1 Cor. 4, 9–13 ; 2 Cor. 11, 23–32), non habere proportionem cum " futura gloria „ suo tempore revelanda. Eadem ingens magnitudo apparet ex " universae creationis gemitu „, in eius exspectatione (Rom. 8, 22).

Quamvis Paulus alterum hoc operis reparatorii stadium et dona in eo recipienda non tam fuse describat quam primum stadium eiusque processum, non tamen omittit eius descriptionem, partim Rom. 8, 19ᵇ - 23. 29. 30, partim 1ª Cor. 15, 12–58 : in prima autem sectione stadium futurum proprie non directe describit, sed innuit potius indirecte veluti dona quorum pignus possidetur iam in iustificatione ipsa. Donorum in altero restaurationis stadio obtinendorum, 1ᵘᵐ est " liberatio a servitute corruptionis „ seu apocatastasis (Rom. 8, 19–22).

Iuxta Paulum durante hac vita, post peccatum, adest in universa infrahumana creatura deviatio quaedam a primordiali eius destinatione ita ut « universa creatio servituti corruptionis subiaceat ». In creatione

primordiali et ante peccatum, homo constitutus erat solemniter a Deo dominus ac rex universae creaturae infrahumanae (Gen. 1, 28; 2, 19. 20; Ps. 8) cui divinae iussioni vicissim natura libenter obtemperavit, coepitque gestiens ac laetabunda suo regi ac domino obsequium praestare. Haec vero valebant de homine innocente et ante lapsum, dominium enim in naturam ei ante lapsum concedebatur, nec est verisimile Deum cum Adam tam splendide fuisse acturum si Adamus iam antea peccasset. Post protoparentum autem lapsum rerum conditio erat admodum diversa, nec ordo antea stabilitus persistere poterat. Hinc Paulus recte subaudit praevaricationi Adami in Deum, respondisse, ob reverentiam in creatorem, et quasi ad eius iura vindicanda, reluctantiam ex parte naturae infrahumanae ut in hominis, ceu sui regis, obsequio pergeret, elevata in Deum supplicatione ut ab imperata sibi olim obedientia erga hominem innocentem liceret cessare quippe contra Creatoris honorem post hominis lapsum. Deus nihilominus partim ob hominis resipiscentiam, partim ob generalis providentiae oeconomiam, continuationem in obsequio hominibus praestando praecepit, adiecta interim promissione de universali omnium restitutione. Etsi enim natura corruptioni i. e. « homini corrupto tunc subiicienda esset » adventurum erat tempus cum filli Dei glorificandi essent, et tunc ipsa natura liberabitur a servitute corruptionis. Intimationibus divinis paruit natura non lubens, sed quasi invita sub promissae liberationis spe. Ab hoc tempore natura gemit anhelans promissam restitutionem et gloriam filiorum Dei. Hanc de futura apocatastasi doctrinam identidem produnt apostoli etsi indirecte tantum et fragmentarie ut hic Paulus, et Petrus Act. 3, 21; 2ª Pret. 3, 13 derivatam procul dubio ex revelatione Veteris Testamenti.

Summa rei videtur haec esse ut sicut per hominis lapsum inducta est perturbatio in ordine morali qua homo se ab ordine Providentiae subtraxit, sic in eius poenam et ceu corollarium ex eo etiam in ordine cosmico perturbatio exorta est qua natura descivit a primaeva eius destinatione, ac proin in tota creatorum amplitudine inducta est quaedam a recto ordine quasi violenta avulsio atque exinde externa saltem in deterius deiectio. Cum avulsio haec atque deiectio consequentia sit humani lapsus, quando in supremo rerum vel ordinis actualis fine, resarcietur hominis ruina per exaltationem iustorum ad vitam gloriosam, huius magnificae restitutionis particeps erit universa quoque infrahumana et visibilis creatio, quae similem atque homo ipse commutationem atque exaltationem experietur. Haec universae creationis restauratio quae generis humani ad gloriam exaltationi respondet et quacum parallelo ordine graditur, appellatur passim ἀποκατάστασις

(Cfr. Act. 3, 21) (1). Hoc eam nomine appellat praedicto in loco S. Petrus, qui ibidem ait hanc restitutionem a Prophetis iampridem esse praedictam, quamque alias (2 Petr. 3, 13) tamquam coelorum ac terrae amplam et augustam " innovationem „ describit: " expectamus novos coelos et novam terram „. Hanc innovationem non posse de spirituali per Evangelium innovatione sive restauratione in mente Principis apostolorum explicari evidens est, cum eam exhibeat, sicut Paulus, veluti obiectum " exspectationis „ credentium, ut talium, i. e. eorum qui in quavis mundi aetate renovationem spiritualem per Evangelium plene iam perceperunt. Paulus citato loco Rom. 8, 19–32 breviter eam et indirecte plus insinuat quam describit. Imo, etiam 1 Cor. 15, 42–49 eam solummodo innuit ex analogia nimirum inter corporum resurgentium gloriam et parallelam creationis quoque infrahumanae restitutionem; non tamen ulterius eam enucleat. Hinc punctum hoc paulinae eschatologiae imperfecte et per coniecturas comminiscimur potius quam cognoscimus; nullum tamen est dubium quin tam ipse quam reliqui Apostoli in catechesi orali amplum huic articulo locum concederent.

2um est gloriosa in corpore resurrectio, de quae saepissime Apostolus v. gr. Rom. 8, 11. At futuram iustificatorum resurrectionem in gloria, etsi Paulus iam Rom. 8, 11. 18^{b}. 23 eam innuat, data tamen opera pertractat 1 Cor. 15, 12–22. Iuxta Paulum, in oeconomia restaurationis per Christum, iustificati omnes resurgent cum eo. Nam semel ei incorporati in baptismo, eius subsequentem fortunam per omnia participant; ita ut quemadmodum Christus corpore gloriosus resurrexit, ita et ipsi corpore quoque resurrecturi sint. Paulus tam intimum nexum cernit inter Christi resurrectionem et resurrectionem iustificatorum, ut unam sine altera non concipiat. " Cum resurrectio Christi corporea, ait, sit articulus fundamentalis religionis christianae qui ceu talis ab omnibus evangelicis praeconibus praedicatur, quomodo possunt esse christiani qui futuram resurrectionem negent? „ (2) Apostolus non capit quomodo christianus, qui articulum resurrectionis Christi au-

(1) i. e. restitutio.

(2) 1 Cor. 15, 12. Illa " Christi praedicatio „ de qua hic loquitur Apostolus non est exclusiva Pauli, sed communis omnibus praeconibus evangelicis: id fert secum generalitas locutionis: " praedicatur „ κηρύσσεται, quae nulli speciali praedicatori ullo singularitatis indicio adstringitur, verum, passiva et impersonali forma, omnibus attribuitur.

divit talem qualis a se et a ceteris Apostolis praedicatus est, possit de futura iustificatorum resurrectione ambigere, cum praedicatio apostolica resurrectionem Christi proponat non tantum ut factum historicum ad Christi personam pertinens, sed praeterea ut fundamentum, imo et inchoationem universalis iustificatorum resurrectionis, ita ut in praesenti oeconomia providentiae, si iustificati non essent resurrecturi ceu membra Christi, nec ipse Christus resurrexisset (1 Cor. 15, 13. 16). Nimirum restauratio per Christum ita de facto decreta a Deo fuit ut duplex stadium complecteretur quod successive sese exciperet: iustificationis et glorificationis. Spiritus infusus receptus in iustificatione per incorporationem ad Christum, et principium iam nunc vitae ad omnigenam sanctitatem conformatae, est simul semen vitae gloriosae per resurrectionem cum Christo obtinendae (1). Paulus, ut solet, non contentus declaratione decretorum divinorum de hac re, fundamentum affert horum decretorum: inter restaurationem et lapsum generis humani adesse debet perfectus parallelismus: proinde, quandoquidem per primi hominis lapsum invecta est in mundum mors ceu poena et consectarium pedissequum peccati, et sic mors est pars ruinae per peccatum inductae; ita, ut restauratio plena sit, cum peccato debet etiam auferri mors, i. e. effectus mortis, qui non auferrentur in restauratis nisi adesset resurrectio; nam privarentur corpore in coelis, (1 Cor. 15, 21–22). Nisi adesset restauratorum resurrectio, et nisi incorporatio in baptismo pertingeret usque ad resurrectionem corporis, restauratio non foret parallela ruinae reparandae, nec homo restitutus fuisset in integrum, cum in primordiali creatione et ante peccatum homo esset immortalis.

Ad perfectum parallelismum inter lapsum et restaurationem atque ad reparationem in integrum, non est necesse ut iam in hac vita vel impediatur mors iustificati, vel resurgat statim: *effectus mortis* impe-

(1) Rom. 8. 11, Si in fine mundi repererit Deus in his qui olim iustificati sunt, "spiritum Christi„ i. e. spiritum infusum eis collatum in iustificatione, sicut suscitavit Christum, suscitabit etiam illos ob illum spiritum. Hinc apparet spiritum infusum germen esse aut quasi germen quoddam resurrectionis gloriosae cum Christo. Animadverti autem debet sermonem esse non de quavis resurrectione, sed "gloriosa„ per incorporationem cum Christo "glorioso„. Hinc tamen non sequitur non resurrecturos eos in quibus spiritus infusus non repertus fuerit: sequitur non resurrecturos "ad gloriam„. Hinc "resurrectionem„ ut sic non alligavit Deus spiritui infuso, sed eam efficiet per decretum suum de universali resurrectione.

diuntur restituto per resurrectionem corpore ad fruendum gloria coelesti post finale iudicium. Aliunde modus ille completae restaurationis viritim in hac vita, aut impedita morte, aut restituta statim vita, talibus incommodis subderetur ut revera impossibilis sit. Nam toties suscitandus foret quis quoties iustificaretur: deinde non posset subdi eius constantia aptae probationi: non posset merita post iustificationem congerere: non adesset similitudo cum Christo qui mortuus est.

2. Resurrectioni adnexa.

Paulus in hoc stadio plura enumerat veluti resurrectioni adnexa quae operi restitutorio Christi ultimum fastigium imponunt. Et primo loco modum concretum et ordinem resurrectionis describit. Certe " sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes (qui ad eius posteritatem mysticam per incorporationem ad se pertinent, i. e. omnes iustificati) resurgent „. Sermonem nonnisi de iustificatis esse perspicuum fit ex formula: " in Christo „, qua resurrecturi designantur, nimirum Christo incorporati, et sic in eo manentes. Iidem dein v. 24 simili denominatione appellantur οἱ τοῦ Χριστοῦ = " qui Christi „ scilicet sunt, qua appellatione, ut ex Gal. 5, 24 apparet, nonnisi iustificati significantur. At etsi iustificati omnes resurgent, non tamen sine certo quodam ordine et per propria τάγματα sive quasi " acies „. Multitudinem scilicet resurgentium Paulus veluti coetum perfecte ordinatum concipit, et in hac multitudine primitias tenet Christus: ἀπαρχὴ Χριστός. Quoniam iustificati " per Christum et cum Christo „ i. e. Christo auctore et exemplari resurgent, in resurgentium coetu, primum locum et tempore et nobilitate Christus tenet, qui tamen ἀπαρχή = " primitiae „ appellatur non tam ratione temporis quam, secundum conceptum primitiarum proprium (quod primum est in massa vel cumulo) quia " ad eumdem resurrecturorum ordinem „ pertinet, eiusque resurrectio a ceterorum resurrectione avelli nequit, ut vidimus. Deinde (ἔπειτα) οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ; deinde qui Christi sunt, in eius Parusia. Qui Christi sunt i. e. iustificati. Hi " in Parusia „ i. e. tempore Parusiae resurgent, non tempore quo Christus resurrexit. ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ coniungi debet non cum οἱ τοῦ Χριστοῦ quasi sermo foret de generatione fidelium qui tempore Parusiae vivent; nam cum Paulus agat de omnibus resurrecturis (non enim ullos alios praeter hos enumerat inter resurgentes) sequeretur solos fideles ultimae generationis resurrecturos contra notissimam Pauli doctrinam de universalitate resurrectionis;

sed copulanda cum ζωοποιηθήσονται " resurgent „ ac proin designat tempus quo hi resurgent (1). Postea finis εἶτα τὸ τέλος. Post consummatam resurrectionem sequetur finis. Nomine τέλος non tertiam resurrecturorum turmam (2) designari, indubium est, tam ex ipsa vocis significatione, quam ex sequentibus, ubi quid finis sit et quomodo peragetur explanat Paulus.

Dicit ergo Apostolus: " postea finis, cum tradat (Christus) regnum Deo et Patri, postquam annihilaverit omnem principatum et omnem potestatem ac virtutem „. Nomine ἀρχή, ἐξουσία et δύναμις intelligi categorias angelicas evidens est: hos angelos vero esse daemones ex eo constat, quod de potestatibus agitur quae Christo adversantur; nam et subiguntur vi, et deinde v. 26 eis connumeratur tamquam postremus Christi adversarius, mors. Tales denominationes hierarchicas daemonibus applicare novum non est apud Paulum (Cfr. Rom. 8, 38; Col. 2, 15). Post potestates diabolicas et tamquam novissimus Christi adversarius destruetur " mors „ quae ideo personificatur. Merito mortem connumerari inter Christi adversarios facile intelligitur, cum ministra fuerit peccati et diaboli in processu ruinae generis humani. Deus hominem inmortalem fecit: mortemque mundo nonnisi peccatum intulit; peccatum vero arte et fraude diaboli inductum est. Hinc diabolus, peccatum, mors coordinantur: cum autem diabolus hostis Christi sit qui hominem ad peccandum pertraxit, mors quae foedus cum diabolo pepigit, fit eo ipso Christi inimica. Subigetur inter adversarios " postrema „, quia detinebit homines ne Christo restituantur in sua integritate donec adveniat resurrectio, i. e. post finitum historiae processum generis humani in terris, et sic post devictos omnes adversarios qui militantem Ecclesiam impugnarunt. Ne vero quis dubitet mortem quoque fore subigendam a Christo et sic facile futurum ut possit suos suscitare utpote morti ereptos, Apostolus Psalmum allegat 8, 7 ubi " cuncta „ in universa creatione, nullo excepto, " homini „ subiicienda dicuntur; id quod

(1) De additione: " qui... crediderunt „ in Vulgata, etsi substantialiter textus sensum non mutet melius praefertur lectio graeca quam secuti sumus quae communis est et codicum et Patrum.

(2) Ut vult Lietzmann coll. Isai. 19, 15 (lxx): " der Rest, der noch übrige letzte Teil der Menschheit „. (*Handb. z. N. Test.* 3, 150) Lietzmanno prope accedit J. Weiss (*Der erste Korintherbrief*, p. 358).

respectu mortis, nisi in Christo, nedum in ullo impleatur, e contra mors homines universos sibi subiicit (1).

Subactis adversariis omnibus qui Christi Restitutoris opus in terris impugnarunt durante tota generis humani historia, atque subacta demum ipsa morte, omnium adversariorum Christi postrema, Christus, iuxta Paulum, instar triumphum agentis, stipatus tot trophaeis atque resurgentium agmine (1 Thess. 4, 15–17) se coram Patre sistet regnum in eius manus depositurus, imo semet

(1) Quod in Psalmo non de " subactione „ per vim, sed potius de " subiectione „ quasi spontanea sit sermo, non gravem difficultatem contra Psalmi applicationem ad Christum provocaret; nam " subiectio „ et submissionem et subactionem, ubi necesse sit, complectitur. Gravius est 1) quod " homo „ de quo in Psalmo sermo est, non determinata persona, sed genus humanum, ut tale, videatur intelligendus. 2) quod res subiectae non universa absolute creatio cum coelestibus spiritibus et morte, ut Pauli interpretatio supponit, sed creatio infrahumana tantum esse videatur, ut exempla per Psalmistam adducta, quae ad sola animalia limitantur, significant; et sic neque angeli neque daemones neque mors quae naturalis homini est, ac proin non infra ipsum. 3) quod " minoratio „ prae angelis non sensu deprimente ut in Christo per incarnationem, sed nobilitante (vix non angelis aequalem) in Psalmo sumatur. Quae omnia infirmare videntur Apostoli argumentationem ex Psalmo quem directe et ad litteram de Christo explicat. — At in Psalmo in primis sermonem esse de homine " innocenti „ ut ex dominio quod ipsi conceditur constat, quod certe nonnisi innocenti homini collatum est, et sic de homine morti minime obnoxio, indubium est. Nam Psalmista excellentias illius hominis canit cui dictum est: " praesit... universae terrae... dominamini...„ quae verba innocenti, non lapso dicta sunt. Deinde ingens illa admiratio, multo vero magis " visitatio „ singularis quae summum quemdam stuporem ciet, aliquid insinuant homini concessum ultra dona naturalia ac supranaturalia quae in ipsa iam creatione accepit: nam Deus suas creaturas non " visitat „ cum condit, sed cum ultra et praeter nativa dona, inopinato et uberrime ditat. Sic passim de prole concessa praeter naturam in Sara, Anna, Elisabeth; sic Iob 7, 18. Optime igitur explicatur visitatio de exaltatione Christi per unionem hypostaticam. 2ª difficultas contra universalitatem dominii non admodum urget; quia exempla in animalibus non ad " definiendum „ sed ad explanandum per quaedam capita dominium afferuntur, sine exclusione tamen altiorum categoriarum. Forsan Psalmista ipse non distincte perspexit amplitudinem argumenti eiusque celsitudinem; quia non est necesse ut semper instrumentum humanum plenam de argumento et perfecte distinctam notitiam in vaticiniis habeat. " Minoratio „ demum etsi per relationem ad humanam naturam Christi exaltatio sit, per relationem ad divinam quae aequo modo ei propria est, depressionem sonat.

Hinc plurimi, nec inmerito, etiam acatholici. Psalmum ad litteram et recte a Paulo de Christo intelligi, admittunt: sic inter alios Westcott qui ait de eo: " as expressing the true destiny of man, it finds its accomplishment in the Son of Man and *only through Him* in man „. (Epistle to the Hebr. p. 42). Sensus tamen hic est cumulativus et eminentialis.

ei subiecturus. Mirum quod in gloriae fastigio positus, dicatur Christus Patri subiici atque regno cedere, quasi tunc gloriosissimo regis muneri valedicturus cum maxime coronandus videretur. Sed depositio regni, ac personae Christi ad Patrem subiectio non est vel Christi inhonoratio vel ulla eius a gloria Reparatoris cessatio. Agitur nimirum de regno quod in terris et in coelo gesserat Christus dum genus humanum in terra versaretur atque opus Christi iussu Patris assumptum evolveretur. Hoc tempore duplex munus Christus gerebat: et summi in terris humanae stirpis moderatoris, qui intra homines proprium opus promovebat tuebaturque ab adversariorum insultibus (1 Cor. 15, 25; Act. 3, 21; Ps. 110, 2), et supremi intercessoris in coelis apud Patrem (Hebr. 9, 11. 15. 24–26; 10, 12. 13; 7, 24. 25). Hoc Christi regnum secundum utrumque munus cessat, cessante genere humano in terris; ideo resurrectio novissima finem, " consummationem „ operis scilicet restitutorii per Christum signat, quam sponte consequitur iniuncti muneris cum eius trophaeis apud iniungentem depositio in testimonium scilicet consummatae iuxta Patris imperata, restitutionis. Id tamen non vult dicere Christum eo tempore ad umbras relegandum. Si iuxta Paulum (Rom. 8, 18–23. 30) *tunc* gloria iustificatorum inchoabitur, illa nimirum quae in terris ceu supremum spei fastigium exspectata est, quomodo potest cessare gloria Christi cum in Pauli conceptione gloria resurgentium aliud non sit quam Christi ipsius gloriae participatio? Imo tunc in Christo quoque gloria Restauratoris propriam summum attinget fastigium: cessabit quidem muneris Restauratoris " exercitium „, sed inchoabitur fructuum restauratorii operis fruitio, immersis in Deitatis pelagus Christo–homine cum suis, Restauratore cum restauratis, ita ut in posterum " Deus iam sit omnia in omnibus „ (1 Cor. 15, 28). Inmersio autem illa in Deitatis pelagus, utpote summum iustificatorum praemium et exaltatio, erit non in singulis aequalis sed pro dignitate ac meritis: erit proin organica et hierarchica. Quod si ita est, in ea primatum et supremam capitis gradus exaltationem Christus habebit.

Haud facile tamen intelligitur aut quid sit Christum Patri subiici, aut quo pacto ex hac subiectione futurum sit ut Deus evadat omnia in omnibus: aut quaenam sit ratio sive fundamentum illius finalis subiectionis Christi ad Patrem qua suum Restauratoris munus atque opus restaurator connumerabitur. Sermonem esse de Christo homine perspicuum est ex tota pericope: Christus enim constanter apparet ut Restau-

rator ; hoc autem munus Christo prout homo est, competit. Christus igitur subiicitur Patri qua homo, non qua Deus-Filius, per illam quasi pedissequam ad Partis nutus consensionem de qua Ioannes 5, 17-19. Et sane etiam qua homini, et prout « minorato prae angelis », Deus Christo omnia subiecit, idque veluti dono (Hebr. 2, 5-18) : qua Deo enim, iam erant omnia ei subiecta. Sed in quo stat demum Christi utique qua hominis, haec ad Patrem subiectio ? Procul dubio in hoc : quod finita complete eius missione de reparando humano genere, nihil ei restat faciendum nisi ut se cum consummato opere et cum ipsis restauratis, Patri mittenti sistat, tamquam supremo omnium suique, Deo (Ioann. 20, 17) atque eo ipso Domino, cuius missionem exsecutus, eius rationem atque effectus exhibiturus erat. Atque exinde apparet ratio subiectionis : non agitur de prima subiectione qua ut homo se Deo demittit : hanc et fecit cum primum exsistentiam ingressus est, et iugiter renovabat : agitur de subiectione post et propter obitam a Patre missionem. Patri nimirum tum maxime ea iterabit quae iamiam moriturus adhuc in terris dicebat: « opus consummari quod dedisti mihi ut faciam » : illud meque ipsum tibi venerabundus sisto.

Quomodo exinde iam Deus omnia in omnibus est ? Ante omnia notemus ἐν πᾶσιν = in omnibus, masculine intelligendum esse : in Christo et in iustificatis cum Christo resurgentibus : id apparet ex simili expressione Col. 3, 11 de Christo respectu fidelium. Quid vero sit " omnia in omnibus esse „ ex analogia cum eadem expressione apparet. Iam nunc Deus est omnia cum nimirum antea nondum esset. Dum durabat scilicet missio Christi et eius oeconomia usque ad consummationem operis restitutorii, Christus, non Deus, inmediate erat omnia in omnibus (Col. 3, 11) quia omnium suorum animos suis influxibus, gratia ac donis implebat. Esse Christum omnia in omnibus contraponit Paulus in praedicto ad Col. loco distinctionibus ex stirpe, nationibus, moribus, cultu ; nempe distinctionibus quae ex quibusvis temporalibus et humanis differentiis oriri poterant, ita ut per baptismum et eius effectus qui sunt effusio gratiae et donorum ob incorporationem cum Christo, omnes ad sublimiorem uniformitatem revocentur, quae in omnibus ita splendet ut humana quaevis evanescant. Ad huius igitur uniformitatis seu unitatis normam, quae per Christum est dum durat oeconomia viae, splendebit in oeconomia consummationis altior quidam nitor ex altioribus influxibus, glorificationis nimirum ab ipso Deo in Christum ut hominem et iustificatos. Ab ipso, inquam, Deo ; nam si suscitatio Christi et nostra, opus tandem sunt non

Christi hominis, sed Dei, etiam dona et dotes quae resurrectionem subsequuntur, non a Christo, sed a Deo ipso erunt, et quidem ante omnes in ipso Christo. Ecclesia militans hactenus sub Christo, evadet Ecclesia triumphans cum Christo. Quod si Ecclesia sub Christo militans in hoc saeculo tantopere Dei oculis micat meritis nimirum, virtutibus, donis, quanto plus ac vividius emicabit in triumpho? Si Christo eam informante tam gloriosa est ac Deo cara, quid erit plenitudine divinitatis eam intra se ingurgitante? Tunc nimirum plenissime conspicua fient augusta illa quae " nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, praeparata a Deo pro iis qui eum dilexerunt! „

3. Resurrecturorum dispar conditio pro meritorum disparitate: resurgentium dotes.

Postquam exposuit Paulus factum futurae iustorum resurrectionis cum Christo, atque omnium in divinitatis pelagum inmersionem, pericopen subiungit de eorum dispari conditione sive gloria pro meritorum disparitate itemque de resurgentium dotibus (1 Cor. 15, 35–49). Quoniam excelsa haec resurrectionis factum subaudiunt, ut solide adstruantur, factum illud extra cuiusvis dubitationis aleam collocandum erat. Hinc sectionem Paulus inchoat a difficultate quam nonnulli morosi movent qui resurrectionem admittere cunctantur. " Quomodo, aiebant, resurgunt mortui, qualive corpore? „ Difficultas non " modum resurrectionis „, re ipsa concessa, ut superficie tenus verba sonare videntur, sed factum ipsum impetit, et expressiones " quo modo „, " quali corpore „ aequivalent his: " nullo modo, nullo corpore „: indefinitae interrogationi categorica negatione respondente ut saepissime fit. Hunc esse obiicientis sensum ex Apostoli responso perspicue apparet 36–38ª, quod non modum supposita re, sed rem ipsam potentiae divinae perviam imo facilem ostendit allato exemplo similis phaenomeni quod quotidie cernimus in frugum seminibus. In seminatione, non " planta „ sed " nudum „ granum in terram iacitur, illudque ipsum adhuc moritur ac putrescit; et Deus nihilominus scit novis germinibus amplificare, foliculis convestire, virga sustinere, culmo coronare, uno verbo, in novam plantam vivificare: cur non similia poterit in cadavere? Merito inde obiicientem " stultum „ (ἄφρονα) appellat Paulus, utpote qui mysteriorum naturae inmemor, nescit ex eis iustum de Dei omnipotentia et omniscientia conceptum elicere ut etiam in aliis ordinibus similia eum posse efficere credat (15, 36–38ª).

38ª - 42ᵇ ex « facti » substantia in « varietatem » intra ipsum factum Apostolus delabitur, quamvis obiectio hoc extremum non tangat, quia, de facto, in resurrectione utraque res copulatur : cum mortuorum ad vitam restitutione quae communis omnibus est, copulatur magna varietas pro meritorum varietate, sicut etiam in naturalibus intra genus « carnis » diversissimae sunt carnium varietates, et intra astrorum genus, varius admodum splendoris gradus.

Sed cum de doctrina agitur per Apostolum tradita in celeberrima sectione 1 Cor. 15, 12-58, praecipuum caput non est quod in differentiis versatur inter ipsa corpora resuscitata ad invicem. Caput hoc breviter explanat Paulus per modum digressionis in quam delabitur v. 38 occasione amplificandae omnipotentiae divinae quae seminibus in terram iactis, non praestantius modo, sed praeterea admodum varium coaptat corpus pro seminum ipsorum varietate (33–42ª). Hac vero digressione mens Apostoli minime avertitur a praecipuo capite quod v. 36 explanandum susceperat de " corpore quod gerent „ resurgentes per respectum ad illud quod in terris gesserant. Haec est enim difficultas quam morosus ille, de quo v. 35, moverat. Hunc namque non indoles varia corporum resurgentium inter se, sed indoles ipsa corporis resurgentis, factum ipsum resurrectionis perturbabat quod exsistimabat absurdum, et huic difficultati aggressus erat Paulus satisfacere v. 36 sumpto fundamento a seminis similitudine. Hinc finita v. 42ª digressione de varietate pro meritis, redit 42ᵇ ad transformationem seminis in novam plantam quae, retenta substantiali identitate cum semine, adeo praestantius prae illo " corpus „ gerit omnipotentiae divinae beneficio. Supposita igitur praesente apud lectorem sententia quam 36–38ª praemiserat de ingenti hac differentia non obstante substantiali identitate, " sic. ait, (est) et resurrectio mortuorum „, subditque analogam in humano corpore transformationem. Hinc adverbium οὕτως, sic, ad sequentia refertur et varia quae ibi recensentur differentiarum capita nuntiat.

1) Prima differentia : " seminatur in corruptione surget (surgit, suscitatur ἐγείρεται) in incorruptione „ (ἐν ἀφθαρσία). " Seminatur „ scilicet corpus humanum ; nam de huius transformatione exponenda agitur ad similitudinem seminis. Recte mors et sepultura seminationi confertur, cum corpus, sicut semen, in terrae sinum deponatur. Quamvis autem humanum corpus terrae mandetur in ultima sua " cadaveris „ dispositione, nihilominus corpus quod cum glorioso per varias qualitates contrarias a Paulo in sua

explanatione comparatur, non sumitur secundum ultimam illam suam formam tantum : oppositio fit inter corpus durante sua in terris mansione post peccatum et corpus in resurrectione ; deligitus autem praecipue illa forma quam in cadavere exhibet eo quod numquam magis conspicuas reddit suas in mortali conditione deficientias quam in ultima phasi per mortem, cum mors aliud non sit quam effectus et expressio compendiaria ac vividior talium deficientiarum. Corruptionis nomine proin omnia comprehenduntur quae corporis humani caducitatem produnt : mortalitas et quae eam comitantur, eidem subordinata : incommoda, dolores, aerumnae, morbi : his omnibus fuerat obnoxium corpus quod tandem morte, veluti eorum fastigio consumptum est. " Incorruptio „ proin est complexus contrariorum : sicut mors veluti sui prodroma et quasi sui partes, reliquas deficientias in hoc genere complectitur, sic inmortalitas earum abolitionem. Prima igitur dos corporis gloriosi est " inmortalitas „.

2) Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria (ἀτιμία et δόξα). Ignobilitas ἀτιμία complectitur ea omnia quae humanum corpus deprimunt, etiam facta abstractione a mortalitate quamquam de facto cum ea copulantur ex eaque manant. Nobilitas autem et excellentia, cum de corporeis agitur, " claritate „ proditur. 3) Seminatur in infirmitate, surgit in virtute. In hac vita corpus infirmum est quod adversis non potest diu obluctari quibusque tandem cedit : infirmitati opponitur " robur „ δύναμις. Tertia igitur dos est promptitudo ad actionem, resistentia contra enervantia et dissolventia, vel melius inmunitas ab eis : " impossibilitas „. 4) Seminatur corpus animale, surgit spiritale (ψυχικόν, πνευματικόν). In animalitate videtur includi quidquid grave et crassum est, sicut e contra in spiritalitate " subtile „, quod crassitiei opponitur. ψυχικόν est cuius principium agendi est ψυχή : πνευματικόν cuius principium agendi πνεῦμα.

Quid vero hic veniat horum principiorum nomine, non est admodum arduum definire. Sive membrum hoc sit distinctum a praecedentibus exhibeatque aliquid ab eis adaequate diversum, sive sit quasi eorum recapitulatio, semper illud manet indubium : sub duplici opposita qualitate « animalis » et « spiritalis » significari a Paulo diversitatem conditionis in humano corpore pro diversitate principiorum quorum influxibus obnoxium est corpus hic in terris et postea in vita gloriosa. Sed multo certius criterium ad diversitatem conditionis concrete definiendam suppeditant nobis verba sequentia Apostoli. Ut diversitatem statutam 44ª confirmet, ante omnia Paulus decernit admittendam esse, axiomatis instar,

in consiliis divinis de humana natura eiusque destinatione duplicem successivam in eius corpore conditionem : « psychicam » et « pneumaticam », hancque alteram copulari cum priore certae consecutionis nexu : « si est corpus animale, est et spiritale »: εἰ ἔστιν σῶμα ψυχικόν, ἔστιν καὶ πνευματικόν. Exstat proin in Providentiae consiliis hic ordo, ut post circulum vitae in terris, vitae nimirum psychicae, adveniat alter, vitae pneumaticae, In admittendo axiomate nulla est difficultas, cum videamus de facto et historice Deum ita naturae humanae oeconomiam religiosam ordinasse, ut naturali stirpi per Adamum supernaturalis per Christum successerit, et Deus praesertim in religiosis nihil agat nisi praevio sapientiae suae consilio.

Sed praeterea hanc talis duplicis ordinis oeconomiam vult Paulus insinuatam reperire in historia creationis Gen. 2, 7 ubi in Adae productione qui primus homo fuit, stipes generis humani in vita humana naturali, detegit Apostolus praesignatam futuram creationem, i. e. adventum alterius cuiusdam, Christi, qui et habiturus erat in se et collaturus suis posteris, vitam " in spiritu „ (1). " Spiritus vivificans „ πνεῦμα ζωοποιοῦν, etsi de se significet spiritum qui vitam propriam tamquam eius principium viventi infundit, nostro in loco, ob parallelismum cum ψυχὴ ζῶσα נפש חיה quae ipsum Adam designat (anima vivens, animal vivum), designat insuper figurate ipsum Christum. Hinc difficile non est iam definire quid sit " corpus psychicum „ in mente Pauli, et quid " corpus pneumaticum „. Corpus psychicum est corpus vivens vita humana naturali in terris ; corpus vero pneumaticum, corpus vivens altiori vita per Christum communicata. Sed quemadmodum Christus ipse de facto ac re ipsa non ingressus est hanc altiorem vitam nisi per resurrectionem, sic Christi posteri, iustificati, non participant eamdem nisi per resurrectionem. Certe vita in terris nobile donum est, sed tandem multis obnoxium deficientiis, imo et interitui, unde " vita „ proprie non est : vita vero per Christum in resurrectione communicata vera est ac perennis.

Quomodo Paulus in genesiaca historia talem oeconomiam deprehendit ? Non certe ex sola historia, sed ratione alterius illius consilii quod Deus simul mente gerebat, quodque suis ministris apostolis panderat (1 Cor. 2, 7–13). Ideo Paulus verbis Geneseos : " factus est Adam in animal vivens „ addidit " primus „, ut sub Adamo

(1) Non praefiguratur hic duplex ordo in duplici actu productionis Adae primo in corpore, postea in anima, sed ipsa Adami secundum animam creatio (in animam viventem) nobiliorem et altiorem portendit " in spiritum „.

Christum, alterum alterus humanitatis progenitorem praefiguratum insinuaret; et " novissimus Adam in spiritum vivificantem „ ut novam vitam praesignatam proderet. Nimirum altior de restitutionis opere oeconomia iam a mundi exordiis in tota sua amplitudine a Deo delineabatur, sive ex praevisione lapsus et restitutionis, sive independenter a lapsu per gratuitam exaltationem.

Hocce consilium Deus dein per Christum ac Spiritum Sanctum Apostolis amplissima revelatione patefecit. Hinc et ex quibusdam aliis Novi praesertim Testamenti sectionibus apparet, ut v. gr. ex apocatastasi, revelationem non per omnia eius capita singillatim sumpta, complete evolutam fuisse aut saltem nobis transmissam. In Novo Testamento scilicet recurrunt identidem quaedam capita fragmentario tantum modo insinuata, quae nec in scriptis nec in traditione orali plene evoluta prostant.

II. Ordo executionis in opere consummatorio

1. Parusia: eius notio et momentum in Pauli doctrina

Parusia (παρουσία) idem est atque comparitio sive apparitio, et apud primitivos christianos usurpabatur vox et conceptus de Christi adventu altero in saeculorum consummatione ad mundum iudicandum, ac suos secum colligendos ad regnum coeleste. In Veteri Testamento Messiae duplex adventus in terras, ad opus suum restaurationis peragendum, et ad mundum iudicandum, non ita clare ac distincte separabatur; quia in illa oeconomia id potissimum exspectabatur ut Messias ad orbis terrarum renovationem veniret, quo autem ordine aut quibus partibus aut gradibus peragenda renovatio esset: an solo spiritu, an spiritu et corpore; itemque quo ordine: an simul an successione quadam et qua inter varia strata separatione, id omne non tam distincte revelabatur. Hinc secundus Messiae adventus ad fructum finalem messianici operis colligendum in fine temporum, secundarium et subalternum locum tenebat, ulterius per singula evolvendus cum Messias adveniret. Exinde facile contingebat alterum adventum cum altero ita copulari ut interdum vix quantum satis esset mutuo seiungerentur, v. gr. apud Ioëlem cuius testimonium allegatur a Petro Act. 1, 17–21. In Novo autem distinctio accurate facta est con-

stanter ut in litteratura synoptica cernere est. Ex nexu tamen quo uterque Messiae in terras adventus copulatur, ad opus videlicet, et ad operis fructum colligendum, perspicue apparet Parusiam ad integritatem muneris vel operis messianici plane pertinere ; atque exinde facile ratio redditur quare in Testamento Veteri uterque per modum unius concipiatur ac proponatur.

In Novo autem Testamento vox et conceptus apparent perspicue iam in Apocalypsi synoptica Mt. 24, 3. 27. 37. 39 : atque exinde derivati sunt ad apostolicam praedictionem et litteraturam (1). Apud S. Paulum est unus ex praecipuis articulis suae doctrinae tam in missione quam in suae conceptionis dispositione harmonica et organica ; ac sub utroque respectu memoria talis capitis de Parusia continua est, et momentum valde praecipuum habet ad permovendos fideles ut fervorem in initiis conceptum sedulo servent ac foveant. In paulina conceptione duplex, ut ita dicam, aspectus in Parusia conspicuus proditur : 1us est ut peracta mortuorum resurrectione iudicium universale fiat ac iusti cum Christo ad regnandum cum eo colligantur : 2us ut Christus inchoatum iam in terris restitutorium opus per iustificationem, compleat atque ad fastigium ducat, peracta redemptione etiam corporis per resurrectionem gloriosam. Primus aspectus creberrimus est in catechesi missionaria et rudimentaria, qualem in Epistolis ad Thessalonicenses cernitur : alter in altioribus instructionibus, et cum Paulus alterum restitutorii operis stadium evolvere vult, ut in 1 Cor. 15. Hac autem distinctione non volumus significare Paulum aut successive et per hunc duplicem gradum ad completam de Parusia notionem pervenisse, aut etiam duplicem illum aspectum separatim et quasi independentem in suis catechesibus tradidisse : verba 1 Cor. 15, 51–53 ubi, prout ex apparatu " sonitus tubae „, ad iudicandorum convocationem videlicet, apparet (cfr. Mt. 24, 30–36), de adventu ad iudicium est sermo, complent evidenter ea quae de adventu ad opus restitutorium in iustis per resurrectionem consummandum dicuntur, atque ad eumdem adventum referuntur de quo 15, 23–28. Paulus igitur Parusiam unam eamdemque ad utrumque simul eventum ordinatam cogitabat ; et sicut cogitabat, ita etiam ad utrumque ordinatam praedicabat. Sensus ergo distinctionis is est quod Parusia, etsi respectu uni-

(1) " Exinde „, nimirum obiective : oratio Christi eschatologica retinebatur traditione sicut alia plura ; imo universa eius praedicatio antequam scripto a Synopticis mandaretur.

versi generis humani ordinatur ad iudicium atque inde consequentem sententiam, respectu iustorum ordinetur praeterea ad complendum, per glorificationem, opus quod per iustificationem inchoatum erat: ex hoc autem duplici scopo poterat pro diversis adiunctis audientium, unus prae altero inculcari. Cum ad gentiles v. gr. primo verba faciebat, articulum de iudicio universali ac proin de Parusia Paulus non praetermittebat, ut ex epistolis ad Thessalonicenses apparet et ex Act. 17, 31 ; at tunc non erat cur de altero scopo loqueretur. Vicissim, cum de complemento restitutorii operis, ut 1 Cor. 15, 12–28, primum, utpote apprime notum, omittebat, nec nisi obiter ac brevissime 1 Cor. 15, 51. 52 memorabat.

Loci classici ubi Paulus de Parusia agit sunt 1 Thessal. 4, 14–17 et 2 Thess. 2, 2 ; etsi vix est ulla epistola ubi non saepius Parusiam memoret praesertim sub aspectu reditus Christi in terras ut praemium ac gloriam fidelibus rependat iuxta diligentiam singulorum in cooperatione ad dona recepta. Apparatus maiestatis sub quo Christus in primo ex citatis locis describitur cum " imperio „ ad angelos ut iudicandorum convocationem suo nomine intiment, " voce „ Archangeli Christi iussa exequentis ac " tuba „, insinuatus etiam 1 Cor. 15, 52, procul dubio ex praepaulina traditione iam in Synopticis late consignata derivatur (1); ac vix quidquam ei addit nisi distinctiorem explanationem de modo concreto quo iusti a Christo suscipientur ferenturque cum illo per aëra in coelos. Illud tamen attentione dignum : quod iuxta Pauli descriptionem tam 1 Thessal. quam 1 Cor. 15 novissima hominum generatio moritura non est, sed viva per Christi adventum occupanda. Id satis aperte sonant verba 1 Thess. 4, 15. 17 similiterque 1 Cor. 15, 52 in textu graeco. Ut ex responso Pauli ad Thessalonicenses apparet, his persuasum erat generationem Parusiae coaevam non morituram fore, sed occupandam sine morte a Christo adveniente ; atque inde eorum angor, quod illi qui decesserant, non possent iam Christum venientem suscipere eumque comitari saltem in externa illa triumphi pompa qua superviventes. Paulus in suo responso, dissipat quidem eorum moestitiam ob mortuorum infortunium, sed hac ratione: quia ante Christi adventum resurgent mortui, et sic, coniuncti cum viventibus et pares cum illis in vita, poterunt Christum venientem suscipere ac suscipient. Itaque Paulus suo responso, hac in re, Thessalonicensium persuasionem con-

(1) In Evangelio S. Matthaei habentur sparsim (13, 49; 24, 30–31; 25, 31–34) cuncta quae Paulus congerit.

firmat. Similiter 1 Cor. 15, 51ᵇ scribit: " omnes quidem non moriemur „ ; ac v. 52: " mortui resurgent incorrupti „, et " nos „, scil. vivi, " immutabimur „. Vulgata quidem v. 51ᵇ legit: " omnes quidem *resurgemus* „ ; at praeter lectionem graecam contrariam, ipse versus sequens in altero membro in quo lectio in utroque textu eadem est, videtur lectionem latinam v. 51 evertere: si enim " *mortui* resurgent „ et nos, scilicet non mortui, " immutabimur „, haec immutatio in vivis proponitur tamquam aliquid a resurrectione diversum et quod eam substituit; nempe immutatio sive transformatio glorificativa quae in eis sine morte perficietur, dum in mortuis fiet cum resurrectione et per resurrectionem; et sic in utrisque pari modo " corruptibile induit incorruptionem et mortale, i. e. de se mortalitati obnoxium, inmortalitatem „. In evangelicis quoque descriptionibus potius significatur ultimam generationem fore sine morte, Christi adventu occupandam.

Describere apparatum Christi advenientis, eius iudicium ac sententiam ad nostrum scopum non pertinet, cum de solo complemento agamus operis restitutorii per iustificationem inchoati, ad quod id solum pertinet: enucleare quae ad glorificationem cum Christo spectant.

2. Proximitas Parusiae in opinione Pauli.

Restauratorium Christi opus quod, ex dictis, duplicem effectum, iuxta Apostolum, in duplici successivo stadio complendum complectitur: iustificationem et glorificationem fidelium; utramque hanc sui partem, utpote unius eiusdem causae effectum, quae est Christi redemptio, intimo nexu connectit, atque intimam etiam copulationem habet in causa qua producitur: at quamnam proximitatem vel remotionem chronologicam statuit Apostolus inter duo stadia in quibus respective consummantur? Glorificatio fidelium certe, iuxta Apostolum, futura non est nisi consummata universali resurrectione et Christi Parusia; at quo tempore haec duo iuxta Paulum futura erant? Inter protestantes hodie pervulgata passim sententia est Christum et Apostolos alterum Domini adventum veluti admodum proximum annuntiasse. Primus adventus transitorius fuerat; et Christus post brevem absentiam, rediturus erat ut suos colligeret cum iisque regnum messianicum sive in terris sive in coelis inauguraret (1).

(1) Harnack, *Lehrbuch der Dogmeng.* 4¹, 75-77; *Mission und Ausbreit.* 31, 47.

Haec primitivorum Christi discipulorum conceptio ad Paulum quoque, aiunt, derivata est eamque Apostolus in suis scriptis minime dissimulat. Inter catholicos etiam non desunt qui eamdem sententiam tenent: horum quasi antesignanus est Professor Tillmann qui libellum hac de re paucis abhinc annis edidit (1) ubi sententiam inter protestantes passim, inter catholicos magis ac magis in dies propagatam esse dicit eorum qui asserunt Paulum initio sui ministerii firma persuasione existimasse alterum Christi adventum, Parusiam, intra praesentem sui temporis generationem et se adhuc in vivis agente, esse consummandum; postea dubitasse, ac tandem ut ex 2. Tim. constat, spei quam longo tempore foverat, valedixisse.

Praecipuum argumentum quo sententia haec, praesertim quoad primum eius membrum, quod in primis nostra refert, fulcitur, est philologicum, vel philologico-exegeticum, haustum ex 1 Thess. 4, 15–17: " Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: quia nos qui vivimus, qui residui sumus (οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι) in adventum Domini, non praeveniemus eos qui dormierunt... Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur (οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι) simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra et sic semper cum Domino erimus „. Angebantur Thessalonicenses quod quidem fideles, qui post Apostoli ex illa urbe egressum decesserant, privarentur gaudio et fortuna Christum venientem suscipiendi, cum in vivis non essent. Paulus respondet non esse ullam moestitiae rationem, cum utrique, tam qui viverent quam qui iam mortui erant, eodem modo Christum essent suscepturi et cum eo regnaturi; nam mortui ante adventum Christi resurrecturi erant ut simul cum viventibus Dominum susciperent et ab eo in regnum adducerentur. Apostoli mens perspicua est: nulla erit distinctio tempore Parusiae inter fideles qui iam antea mortui sint, et eos qui vivant in suscipiendo Christo, mortui prius resurgent, et coniuncti uno agmine cum generatione Parusiae coaeva, simul Christum suscipient. At difficultas est quaenam in mente Pauli sit generatio Parusiae coaeva: num generatio tunc in vivis agens cum Paulus scribebat, an generatio quae futura esse potest et multum a praesenti distare. Recentiores citati asserunt Paulum de generatione sibi coaeva et tunc viventi cogitare· quia verba ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι nequeunt aliter quam de illa generatione explicari. Nam pronomen ἡμεῖς in 1ª persona

(1) *Die Wiederkunft Christi* 1909 (*Bibl. Stud.* XIV 1-205).

complectente sub se ipsum Apostolum, et participia praesentis ζῶντες, περιλειπόμενοι ad subiectum ἡμεῖς mediante articulo determinativo οἱ arctissime copulata, ita sensum sententiae definiunt ut sub tali subiecto nonnisi generatio Apostolo coaeva intelligi possit, nullo modo generatio diversa. Si aut subiectum non esset pronomen primae vel secundae personae, aut apposita sub aliis formis, et non ita arcte cum pronomine ἡμεῖς copulata exprimerentur, v. gr. " si vixerimus „, " qui vixerimus „, posset utique generatio indefinita designari ; sed posito triplici elemento ita concrete copulato, nulla alia explicatio acceptari potest quam de generatione praesenti. Revera, ait Moulton, nullum exemplum proferri potest subiecti in 1ª vel 2ª pers. cui per appositionem adiungatur participium praesens, ubi sententia habeat sensum actionis futurae aut conditionalis (1), Tillmann congerit praeterea plura alia testimonia ut 1 Cor. 7, 26 (ἐνεστῶσα ἀνάγκη) ; 2 Cor. 5, 2–4 (de veste gloriae vesti corporis non exutae superaddita) ; Rom. 16, 20 (de proximo fidelium supra daemonem triumpho supremo) ubi Apostolus iuxta hunc scriptorem eamdem persuasionem ostenderet.

Nulla tamen est ratio affirmandi Apostolum umquam talem persuasionem positive et definite fovisse, sed e converso ostendi potest illum in ea numquam fuisse. Sane 1) 1 Thess. 5, 1 protestatur se " de temporibus ac momentis „ Parusiae nolle quidquam pronuntiare. 2) In 2 Thess. 2, 2 ait nullam esse rationem cur Thessalonicenses perturbentur quasi " instet „ dies Domini. Utique patroni sententiae contrariae explicant haec loca de " relativa „ ac peremptoria proximitate ; i. e. de tali proximitate quae pressioribus intra unam generationem limitibus definiri possit v. gr. post triennium aut quinquennium; atque de momentis, i. e. de tempore praeciso : tali anno, aut mense ; non vero de proximitate quae tamen superet unam generationem humanam. Hac proximitate, quam verbis superius citatis 1 Thess. 4, 15–17 significaverat, supposita et firmiter retenta, addit intra illam se nolle ad minora descendere (2). Secus enim, quomodo explicari possunt quae tam instanter de vigilantia commendat 1 Thess. 5, 2–10 ubi contrapositis vigilantibus et non vigilantibus utique in praesenti generatione, minatur non vigilantibus " repentinum interitum „ in " die

(1) Ad hoc revocatur totum id quod late disputat Lattay ex Moulton in periodico *Ecclesiastical Review*, ubi controversia haec accurate pertractatur 1913. 1914 (Dec. 1913 ad Aug. 1914 Voll. 49–51).

(2) Tillmann, *Die Wiederkunft* p. 57.

Domini „ ? (1). At exceptiones quae contra locos a nobis prolatos invocantur, subsistere nequeunt attento Apostoli contextu in 2 Thess. Nam certe si Parusia occupatura est praesentem generationem, dies Domini vere instat et est valida terroris ratio. Sed expendamus ulterius verba 2 Thess. 2, 3–6. Secundum ea, ante Parusiam 1) consummanda est discessio (ἀποστασία 2 Thess. 2, 3) i. e. derelictio suscepti antea Evangelii. Susceptio autem Evangelii, iuxta Pauli conceptionem, peragenda erat apud gentiles in tali multitudine credentium inter eosdem ut eam Apostolus appellet plenitudinem gentium: τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν (Rom. 11, 25): gentes autem latissime diffundebantur non solum per Romanum Imperium, sed ultra ipsum per vastissimas regiones ad Orientem, Septentrionem, ac Meridiem.

Obiici utique solet orbem sumendum esse in scriptis Pauli iuxta illius aetatis notiones geographicas quae admodum limitatae erant, et vix ultra angustam circum Mediterraneum mare zonam protendi putabantur (2). At vero id sine ulla probabilitate asseritur. Iam Moyses in tabula ethnographica gentes admodum dissitas a tali centro memorat: Aegyptii ab antiquissimo tempore cursum Nili perfecte exploraverant, noverantque populos circumiacentes, sicut etiam incolentes peninsulam Arabiae. Phoenices et Carthaginienses ampla peripla peregerant, quibus africana littora undequaque percurrerant; ac deinde Graeci praesertim tempore Alexandri, exploraverant late maria orientalia atque ora eis adiacentia (3): Macedones et ante eos Diaspora 10 tribuum usque ad Indiam et Sinam penetraverant. Quam late deinde barbarae gentes incolerent Sarmatiam et regiones ad septentrionem Istri et alias regiones Europae minime ignorabatur. Paulus proin, qui cultura plus quam mediocri praeditus erat, non poterat ullo modo existimare, etiam supposita omni praeconum Evangelicorum diligentia, orbem tam cito obeundum (4) ita nimirum ut magna incolarum eius pars et audiret et amplecteretur Evangelium ac susceptum dein desereret intra spatium vix annorum 25 quibus se adhuc superstitem (5) fore sperare poterat cum haec scriberet.

(1) p. 58. 59.

(2) " Zunächst ist das Weltbild des Apostels kein anderes gewesen als das seiner Zeitgenossen. Damit ist dasselbe aber wessentlich auf die am Mittelmeerbecken gelegenen Länder und Völker eingeengt „ (p. 127).

(3) Per se patet regiones illas non ad oras solum marium fuisse habitatas, ac proin orbis incolas non ex illis oris tantum computandos esse.

(4) Paulus saepe in suis epistolis loquitur de *barbaris* aut ingressis iam aut ingressuris in Ecclesiam. Barbari hi non erant nec Romani nec Graeci.

(5) Cum Paulus primam ac secundam ad Thess. Epistolam scribebat, numerabat circiter 50 aetatis annos; iam vero Apostolus legebat in Psalmis: " dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni „.

Nam, praeterquam quod iam ipsa peragratio orbis diuturnum admodum temporis spatium, se sola, postulabat ; susceptio deinde et desertio Evangelii ita intelligi non possunt ut regio quae fidem amplexa erat, postridie illam desereret, dum in vicina subsequente suscipiebatur, alternante per varias provincias susceptione et derelictione ita ut per singulas derelictio e vestigio susceptionem sequeretur (1). Ipsa notio apostasiae et apostasiae universalitas postulant ut « gentium plenitudo » certo quodam tempore susceptum Evangelium simul retineret.

Exhortationes vero ad vigilantiam tam in ore Pauli quam in ore Christi ac reliquorum apostolorum haud aegre intelliguntur tametsi ad coaevam generationem dirigi intelligantur. Cum agitur de rebus ingentis momenti, ex quibus ingentis quoque momenti consectaria et effectus subsequuntur, sufficit simplex seria eventus possibilitas ut summa diligentia et postuletur et adhibeatur ne superveniente praeter opinionem eventu imparati occupemur. Porro talis est Parusia : res est, de se, terroris plena ; sed multo magis ut talis obversabatur primis illis generationibus quae non ut nos, post tot saecula, duplicis millennii successioni sine eventus implemento, assuetae essent. Hinc quamvis plura ut constitutio Ecclesiae, praedictio Christi de Evangelio praedicando per universum orbem, suaderent secundum adventum non fore proximum, tamen cum Christus numquam demum voluerit tempus nec cum approximatione definire (nam signa Parusiam inmediate praecessura quae in Evangelio memorantur brevi tempore possunt compleri et eorum inchoatio non definitur), semper manebat res incerta ac proin serio possibilis etiam intra spatium unius forsan generationis. Accedit quod Deus sua providentia et omnipotentia potest eventus ita inopinato modo ordinare ut quae ordinarie diuturnum tempus requirunt, brevissime evolvantur. Exempla talis eventuum celerrimae ac minime praevidendae commutationis ipsis nostris oculis cernimus. Praecones igitur evangelici poterant semper respondere si hac de re interpellarentur : nos a Christo accepimus tempus eius adventus incertum esse ; et quamvis plura suadeant diuturnam mundi adhuc durationem, nescimus tandem qua mensura volet Deus hac in re eventuum ordinem disponere, an sese ordinario eorum processus accommodando, an illum praeter ordi-

(1) Ita nimirum concipit susceptionem Evangelii et apostasiam Tillmann p. 139 " der fortschreitenden Ausbreitung Abfall und Widerspruch zur Seite geht „. Talis rerum conceptio innaturalis est.

narium cursum accelerando : spatio quinquaginta, sexaginta etc. annorum admodum mira Deus in mundo patrare valet.

Palmaria demonstratio quod plurium, imo plurimorum, saeculorum distantia Parusiae non portabat secum in mente apostolorum inconciliabilitatem cum exhortationibus ad vigilantiam ne adventu Domini imparati occupemur, habetur apud S. Petrum in 2 Epist. 3, 1-15. 3, 14 Petrus, sicut Paulus, hortatur lectores ut vigilent ad hoc ut « exspectantes restitutionem novissimam per Domini adventum, satagant inveniri ei inmaculati et inviolati ». Et tamen eodem capite vv. 3. 4 eorum obiectionem qui procrastinationem Parusiae ita apostolis exprobrant : « ubi est promissio aut adventus eius ! », sic solvit : « unus dies apud Dominum est sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. *Non tardat* Dominus promissionem suam » (1). Nempe : etsi Parusia annorum millibus retardaretur, non esset id contra Domini, scilicet, Christi praedictiones ; i. e. nullibi praedixit Christus suam Parusiam proximam esse.

Altera etiam ratio vel explicatio reddi potest de urgentia vigilantiae propter Parusiae inopinatum adventum, quae ex proximitate mortis petitur, et haec explicatio forsan sit probabilior. In universitate fidelium oportet distinguere inter singulos fideles et collectionem. Si homo unicus foret aut si omnes simul morerentur, nulla iam suppeteret ratio cur Parusia retardaretur, sed sine dubio inmediate copularetur cum hominis vel hominum morte. Quod Parusia differatur, causa est collectivitas et successio chronologica iudicandorum et colligendorum per Christum, quae, cum omnes fideles usque ad saeculi consummationem respiciant, " convocationem „ retardant ob singulorum solidaritatem cum collectione : ad singulos vero quod attinet, proprie loquendo unusquisque hora propriae mortis convocatur, cessante pro eo iam tum " praeparationis „, et inchoata periodo inmediatae exspectationis Iudicis. Hinc sequitur pro singulis horam mortis aequivalere horae Parusiae et sic tam proximam esse, pro singulis, Parusiam quam proxima est mortis hora. Cum ergo haec sit vere admodum proxima et imminens, cumque exhortationes ad singulos, non ad collectionem dirigantur (2), Parusia potest, imo debet tamquam admodum proxima proponi ut nimirum fidelium diligentia excitetur.

(1) Certe remanet difficultas de auctore et aetate chronologica 2ae Petri ; sed facta nunc abstractione a testimoniis historicis, quae epistolam Petro auctori vindicant, prout tota antiquitate semper creditum est, evidenter complexus scriptorum certo apostolicorum multo difficilius explicatur in hypothesi de proximitate Parusiae quam in contraria.

(2) Vel ad collectionem quidem sed qua singulis coagmentatam.

Sunt qui paulo aliter rem, i. e. non directe in Apostolis, sed in coetu christiano considerant. Putant hi christianos primitivos habuisse tamquam rem certam alterum Christi adventum esse admodum proximum; citantque praedictum locum Petri. Posito autem facto de generali persuasione primitivorum christianorum super proximitate Parusiae, proclive est concludere eos id ex apostolica praedicatione hausisse ; unde ultra argumenta ex litteris Pauli pro Apostoli opinione, accederet nova confirmatio ex persuasione fidelium (1). Et sane iidem scriptores supposita illa communi fidelium persuasione, sponte interrogant num participaverit Paulus *illusionem* communem? Ac respondent in principio, nullam esse difficultatem. Paulus qui omnium optime novit tempus Parusiae non pertinere ad obiectum revelationis, non docet mundum proximum suo fini esse ; attamen non videtur existimasse diuturna saeculorum serie duraturum. Verba : *nos viventes ibimus ad Domini praesentiam* nihil quidem certo definiunt, nihil praeiudicant ; at Paulus non ita loqueretur si firma ei persuasio esset de finis separatione per annorum millia. Procedente tempore haec distantia dilatabitur (2). Scilicet Paulus revera cum ad thessalonicenses scriberet vicinam videtur existimasse Parusiam ; postea sententiam mutasse, ac finis multo remotior eius prospectui obiectus fuisse.

Haec non videntur satis accurata textuum ac testimoniorum analysi fulciri ac potius constructio praepostero fundamento nititur de communi christianorum opinione in aevo apostolico circa proximitatem Parusiae. Petrus in verbi obiectis non impugnat opinionem « communem », sed errorem « nonnullorum sectariorum » vel saltem perturbatorum qui a mente sincere christiana longe distant. Illi qui difficultatem proponunt : « ubi est promissio (aut) adventus eius? » sunt 1) « pauci quidam » (τινές 3, 9); sunt 2) « in irrisione (deceptione) illusores qui iuxta proprias concupiscentias ambulant » (ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας αὐτῶν πορευόμενοι 3, 3) : certe tales non sunt nec christianorum communis coetus, nec boni christiani : forsan nec christiani. Proinde massa christiani populi minime ita sentiebat in aevo apostolico. Utique critici protestantes dicunt 2^am^ Petri non huius Apostoli esse, sed recentioris cuiusdam qui praecedentis aetatis deceptionem vult corrigere inducta nova et hactenus ignota interpretatione praenuntiorum Christi. At certe nisi documento ipsi in suo contextu falsum affingere velimus, id evidenter apparet : tempore quo auctor documentum redigebat (circa medium saec. II iuxta hos criticos-- Holtzmann, *Einl.* 325) massam populi christiani opinionem de immediata

(1) Fait indéniable : *les chrétiens* de l'age apostolique croyaint toucher à la fin des temps, et S. Pierre se voyait constrait de justifier les longs délais du Christ 2 Petr. 3, 9. (Prat, *Theol. de S. Paul* 1, 108). Eadem tradit in ultima edit. ann. 1920 (1, 89).

(2) Hi conceptus si non verba, crebro apud plures leguntur.

proximitate non tenuisse : igitur si epistola authentica est opinio de proximitate adventus certissime communis non erat in aevo apostolico : tametsi autem authentica non esset, rursus pro sua aetate solum probaret fuisse nonnullorum heterodoxorum : pro fidelibus autem orthodoxis nihil probaret sive in aetate qua scribebatur documentum sive in aetate apostolica.

Quae de Paulo adduntur certe proximitatem Parusiae non ita sonant ut expressis terminis dicatur Paulum sperasse se eam propriis oculis ante mortem spectaturum : at quae inmediate subiunguntur de " prospectus protractione „ (éloignement de la perspective) vix non ad talem consequentiam ducunt ; cum procul dubio mutatio sententiae in Apostolo propriae ac personali experientiae adscribenda sit de spei frustratione.

Solutio difficultatis ex 1 Thess. 4, 15–17 ardua non est. Vis obiectionis in eo stat quod οἱ ζῶντες " qui vivimus „, dictum per appositionem ad ἡμεῖς et plane commensuratum cum eo per articulum determinativum οἱ, significet : " qui *nunc* et *actu* vivimus „, et sic auferat a pronomine quemcumque sensum aut figuratum (per communicationis figuram cum posteris qui actu et nunc non vivunt), aut conditionalem : " si vixerimus „, " qui vixerimus „, quo ἡμεῖς ad generationem Parusiae coaevam indefinite significandam transferatur. Sed non apparet, quare expressio : ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι quantumvis pronomen sit in prima persona, et participia arcte per articulum ei commensurentur, non possit generationem coaevam Parusiae indefinite significare. Eadem plane constructio recurrit apud Paulum Hebr. 12, 25 et nihilominus participium et pronomen sensum habent merae communicationis. " Videte, ait Paulus, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt qui recusarunt loquentem super terram, multo magis – non effugiemus – ἡμεῖς, οἱ τὸν ἀπ'οὐρανῶν ἀποστρεφόμενοι : nos, aversati eum qui de coelis – loquitur – „. Habemus idem pronomen ἡμεῖς; similiter, participium praesentis ἀποστρεφόμενοι, et copulatum cum pronomine mediante eodem articulo determinativo οἱ ; et tamen cum Paulus aversantibus Christum se connumerat, certe non absolute, sed per meram figuram communicationis se connumerat : nam sententia : " multo magis nos non effugiemus – aversati loquentem de coelis „ non alios respicit quam praecedens : " videte ne recusetis loquentem „ cuius rationem reddit ex periculo divinae vindictae que nonnisi " recusantibus „ impendet. Cum igitur Paulus inter " recusantes „ se non connumeret in monito, neque inter " aver-

santes „ potest re seipsum connumerare, sed solum per figuram communicationis. Constructio ergo grammaticalis sententiae in 1 Thess. 4, 15 sensum conditionalem non excludit, et Paulus potuit eam hoc sensu intendere.

Nec apparet cur, etiam attenta et expensa directe in suis elementis sententia, nequeat sensum mere conditionalem praeferre. Certe participii quod " praesentis „ dicitur, natura haec est ut solum designet coëxsistentiam, vel simultaneam praesentiam qualitatis cum subiecto pro tempore exsistentiae subiecti ; minime tamen definit hoc tempus, sed est indifferens ad praesens vel ad futurum, et in hoc differt participium a verbo. Inde, cum resolvitur per relativum et verbum, exprimitur verbum vel in praesenti vel in futuro pro natura rei et subiecti cui adiungitur. Proinde prius definienda est natura subiecti et actionis, ut vera ac propria temporis differentia definiatur. Iam vero iuxta disputata de mente Pauli circa Parusiae proximitatem, subiectum ἡμεῖς non potest designare Paulum et generationem coaevam tamquam certo exstituros tempore Parusiae.

Sed si solummodo sub restrictione conditionatae existentiae tempore Parusiae potuit Paulus adhibere pronomen ἡμεῖς, quomodo inductus est ad talis formulae usum in prima persona et non melius adhibuit formulam conditionalem vel indefinitam : « qui vixerint, qui residui fuerint ? » Ratio videtur fuisse quia voluit quasi recantare in suo responso subiectum sententiae iteratis iisdem vocabulis quae thessalonicenses adhibebant in interrogatione. Interrogabant thessalonicenses : « post mortem nostrorum confratrum, nonne *nos qui vivimus, qui relinquimur*, fortunatiores illis erimus in Parusia ? « Paulus respondet : » non ; quia prius resurgent mortui ; et postea, *nos qui vivimus, qui relinquimur*, simul cum eis rapiemur in aera ». Fundamentum est tum coacervatio duplicis synonymi : « qui vivimus, qui relinquimur », tum duplex iteratio eiusdem formulae vv. 15 et 17 : talis verborum conformatio videtur redolere recantationem quamdam ad dicta per thessalonicenses.

Locus ex 1 Cor. 7, 26 ut perspicue apparet ex contextu, praesertim vv. 32-34 non de « pressurarum in fine mundi (ἀνάγκη) *instantia* » ; sed de « pressurarum matrimonii *urgentia* » loquitur. 2 Cor. 5, 2-4 « superindumentum » intelligitur non supra mortale corpus non exutum, sed supra ea dona quae iam in hac vita per iustificationem et subsequenti exercitio virtutum acquisita possidentur tamquam inchoatio donorum caelestium. Loquitur nimirum *Paulus* de indumento bonorum operum post iustificationem (Eph. 4, 24, 25 ; Rom. 13, 14) translata scilicet eadem indumenti metaphora, ob similitudinem superadditionis ex gloriae dono ad operum fructus.

Quid existimandum de eorum opinione qui putant Paulum potuisse hisce locis emittere suam personalem opinionem vel proprias coniecturas de proximitate Parusiae, cum caput hoc ad revelationem non pertineat, quae, testante expressis verbis Christo, nihil vult hac de re hominibus manifestare?

Non satis est habere prae oculis revelationem; opus est ulterius inspirationem, sub qua Paulus scribebat, considerare. Si Paulus sententiam de proximitate Parusiae expressis verbis tamquam " personalem ac mere humanam „ coniecturam, aut etiam persuasionem, declarasset, nulla est difficultas etiam ex parte inspirationis: quia eo ipso quod talem declarationem faciebat, manifeste segregabat talem suam sententiam tum a revelatione stricte dicta, tum a revelatione (i. e. manifestatione divina) per inspirationem: inspiratio ad *scribendum* non praeservat ab errore nec inerrantia sua munit nisi sententias scriptoris canonici quas tenore inmediato clausulae scriptae exprimit, non sententias omnes quas ex naturalibus fontibus haurire et ut tales expresso fonte, transmittere potest; in tali hypothesi inspiratio inerrantia sua muniret hanc sententiam: quod Paulus coniecturam vel persuasionem fovisset ex fontibus alienis a revelatione et inspiratione haustam, non vero assertionem ipsam de proximitate. Idem dicatur de casu quo Paulus etiam non adiecta illa declaratione directe expressisset positivam vel coniecturam vel persuasionem mere probabilem de proximitate (1), tum inspiratio sua inerrantia muniret ipsam assertionem sed ut coniecturalem, quia talem assertionem sonaret tenor verborum. At de facto, 1) Paulus non enuntiat " scripto „ vel coniecturam vel persuasionem subiectivam de proximitate Parusiae. 2) Quae Paulus vexata illa sententia 1 Thess. 4, 15–17 enuntiat, enuntiat *a*) sub inspiratione ad scribendum quia ea exprimit inmediate tenore ipso litterae scriptae, cum nullam distinguentem declarationem faciat qua hanc assertionem a reliquo contextu dividat: *b*) ulterius sub revelatione seorsim habita: " hoc vobis dicimus in verbo Domini „. Hinc si revera enuntiaret positive proximitatem Parusiae, enuntiaret errorem, illumque vi verborum Scripturae enuntiaret.

(1) " Coniicio, mihi persuadeo Parusiam proximam esse „ ut cum 1 Cor. 7, 40 ait exsistimare se Dei spiritum possidere.

3. Parusiae « obex »

Praeter enumerationem seriei cuiusdam eventuum ante Parusiae adventum, Paulus novum signum insinuat, quamvis negativum, unde thessalonicenses de Parusiae distantia si non certi, saltem tranquilli reddi possunt. Postquam apostasiam et Antichristi manifestationem veluti praevias ad Parusiam conditiones exposuit, pergit 2, 5: " non retinetis quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium iniquitatis iam operatur: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus.„ Pauli verba 2 Thess. 2, 5-8 haud obscure ostendunt Antichristi manifestationi praecessuram esse evolutionem quamdam impietatis quae constanter ad sui maturitatem festinat ut ea obtenta possit Antichristus manifestari; cursum vero impietatis praepediri ne illam maturitatem attingat obstaculo quodam cuius praesentia detinet, cuius amotio afferet secum adventum Antichristi. Quodnam esset hoc obstaculum Paulus thessalonicensibus aperuerat. Ex notitia igitur huius obstaculi eiusque analysi poterant thessalonicenses propius ac praecisius appropinquantis Parusiae signa detegere. Cum obstaculum cesset, expedita erit via ad Antichristum cum quo pugnabit ultimo Christus et eo devicto, Domini perennis triumphus sequetur. Τὸ κατέχον et ὁ κατέχων; " obstaculum „ et " obstans „ non sunt duae res distinctae ut parum recte multi putant, sed una eademque: Paulus loquitur v. 7 de ea veluti de " persona „ quia actionem quasi personalem exercet (1).

(1) Textus graecus in prima sui parte: καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε nullam habet difficultatem: altera est aliquantulum difficilior: μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται: " tantum donec qui nunc detinet e medio fiat: i. e. tollatur (ipsum detinens). Subjectum verbi: " e medio fiat „ sive " tollatur „, esse ipsum detinens, etsi in expressione aliquantum ambiguum ob Apostoli concisionem, attento contextu perspicuum est: nam statim addit Paulus v. 8: " et tunc manifestus fiet ille iniquus „ nempe cum e medio tollatur quod e medio tollendum est. Si Antichristi adventus et manifestatio coerceatur praesentia obicis, sublato obice manifestabitur: igitur illud quod tollendum est et de medio auferendum ut Antichristus appareat est " obex „ i. e. " detinens „. Vulgatus videtur post ἄρτι legisse: κατέχοι, quae tamen lectio confirmationem in codd. non habet. Sensus substantialis idem in utraque lectione est: si additur κατέχοι, versio est: " tantum qui detinet nunc, detineat, i. e. detinere pergat, donec de medio fiat „ i. e. auferatur, evanescat (ipsum detinens). Sensus est: " scitis quid eum detineat „; proinde, ut eius manifestatio impediatur, requiritur ut detinens nunc, pergat detinendo donec auferatur. Si non additur, habetur simplex terminorum trans-

Sed cum " impediens „ etiam neutro genere designetur (τὸ κατέχον) nescimus an persona sit, an institutio aliqua. Illud tantum est indubium, definito obstaculo definiri " obstans „ sive de re agatur sive de persona.

At quodnam concrete est in mente Pauli tale obstaculum? Thessalonicenses, secundum Paulum, id optime noverant ; sed iam S. Augustinus ait se suosque coaevos ignorare id quod thessalonicensibus non occultabatur. Imo, nec soli thessalonicenses, verum in genere omnes fideles aetatis apostolicae passim id non ignorabant ; nam Paulus et reliqui apostoli, cum articulum de Parusia christianis coetibus exponebant, declarabant, sicut thessalonicensibus Paulus, quodnam esset tale obstaculum. Sed non solum aetate Augustini, verum iam aetate Irenaei eadem qua nos et Augustinum ignorantia animos fidelium occupabat. Nihilominus iam a saeculi III initio PP. passim tam graeci quam latini obstaculum intelligebant " romanum imperium „. Et Tertullianus quidem hanc interpretationem, tamquam sibi indubiam tradit : " vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam saeculi, acerbitates horrendas comminantem, Romani imperii commeatu *scimus* retardari „ (1). Eamdem interpretationem tradit Hippolytus, et post eum Cyrillus hierosolymitanus, Hieronymus et alii (2). Nec dissentit Augustinus etsi in gradus firmitate multum distat ab illa Tertulliani categorica asseveratione. En Augustini verba : " ego prorsus quid dixerit (voluerit significare Apostolus) me fateor ignorare „ ; sententiam vero de romano imperio inter " suspiciones hominum „ recenset, non absurde excogitatas : " illud quod ait Apostolus : tantum qui modo tenet, teneat donec de medio fiat, *non absurde* de ipso romano imperio creditur dictum, tamquam dictum sit : tantum qui modo imperat, imperet donec de medio fiat i. e. de medio tollatur „ (3).

---

positio : ὁ κατέχων est subiectum verbi γένηται, et particula ἕως praeponi debet subiecto : μόνον ἕως... hoc sensu : " tantum donec qui detinet nunc, auferatur „ : i. e. ut manifestatio locum non habeat, requiritur ut impediens non auferatur.

(1) *Apolog.* n. 32 (M. 1, 447).

(2) Hippol. : *De Christo et Antichristo* n. 25 et 28 (M. 10, 748. 750) : Cyrhier. *Catech.* 15 (M. 33, 885) ; Hier. *ad Algas.* (M. 22, 1037). Hippolytus putat romanos Antichristi adventum impedire quatenus nonnisi everso romano imperio emergent illa minora sub quibus Antichristus florebit.

(3) *De Civit. Dei* 20, 19 (M. 41, 686).

Bene animadvertit Estius historiam ostendisse (1) impedimentum de quo Paulus non esse imperium romanum, cum iampridem deletum sit. Interpretes medii aevi ob Patrum reverentiam eumdem sensum retinuerunt, translato ad imperium romano-germanicum, veluti romani continuationem, quod de romano Patres tradiderant. At hoc quoque imperium evanuit usque ad novissimam umbram, et nondum signa comparent adventus Antichristi. Recentissimi quidem interpretes catholici volentes retinere patristicam interpretationem, dicunt evanuisse certe imperium romanum in utroque sensu, at evanuisse materialiter, non vero « forma » secundum quam Patres et ipse Paulus imperium cogitabant veluti Antichristi impedimentum, nimirum secundum suam legislationem iustam ac vigorosam qua efficaciter rerum subversionem compescebat. Quale Paulus conciperet romanum imperium secundum se, secundum principia gubernandi quibus informabatur apparet, additur, ex Rom. 13, 3-5, quae, utpote ad romanos dicta, aut solum, aut saltem praecipue, de romana potestate intelligenda sunt. Paulus et Patres imperium romanum concipiebant tamquam sedem iustitiae, quodque sua maiestate, potentia et aequitate praesidium esset ordinis, vindex perturbationis. Hoc modo impediebat ne normae iusti ac recti dissolverentur, ne adveniret omnigena dissolutio et anarchia in omnibus, quae propria est Antichristi. Facta igitur applicatione ad aetates imperio recentiores, aequitas et maiestas status impedit Antichristi manifestationem cum absoluta in omnibus ordinibus dissolutione quae in ultima mundi aetate adveniet. Nec obstat, inquiunt, quod et romani imperii tempore, et etiam in posterioribus magnae iniustitiae exstiterint, et magnae religionis et Ecclesiae persecutiones : Antichristi et eius aetatis perversitas non est quaevis aut impietas aut inhonestas vel improbitas : est summum culmen et suprema dissolutio in omnibus : quamdiu igitur subsistit firmiter constituta civilis potestas quae fundamentalia iura valide tuetur ; adest revera maximum Antichristo obstaculum (2).

Tamen non videtur esse talis sensus Apostoli, qui potius de ordine " religioso „ loquitur, quamquam aliunde semel hoc ordine subverso, omnia certissime subvertuntur. In ordine autem religioso non potest dici imperium romanum etiam secundum leges sui proprias consideratum, fuisse aut cogitatum ab Apostolo esse tamquam Antichristi manifestationem impediens aut quoquomodo retardans. Obicem vero de quo Apostolus loquitur, cogitatum ab eo fuisse in ordine directe religioso apparet ex eius verbis. Secundum Apostolum impietas (ἀνομία) quae Antichristi propria est,

(1) In h. l.
(2) Cfr. Knab. *Comm. in Thessal.* pp. 140–443.

quamque in summo gradu inducet, iam serpit Pauli tempore: " mysterium iam operatur iniquitatis „, praeparatque quantum in se est, Antichristum et eius tempora ; sed ne haec impietas crescat illumque gradum attingat Antichristi proprium, impedit obex de quo Paulus loquitur. Hoc posito, in mente Apostoli iam ab initio Ecclesiae pugnant inter se duo potentissima agentia : impietas quae versus summum propriae expansionis gradum nititur qualis in Antichristo manifestabitur, et obex ille qui impietatis incrementa cohibet. Hinc sequitur in mente Pauli omnia illa alia agentia subalterna quae vel impietatis fomento vel eius coërcitioni favent, subordinanda esse duplici illi respectivo maiori agenti. Hoc posito, certe imperium romanum potius cum impietate quam cum eius obice collaborabat : et tantumdem dicatur de quibusvis aliis civilibus potestatibus non bonis. Paulus proin haec omnia agentia potius sub " mysterio iniquitatis „ quam sub obstaculo eam coërcente cogitasset. Nec Paulus proponit ullibi Antichristi imperium ut anarchicum et in quo omnia ordinis vincula subvertenda sint : haec gratis confinguntur a patronis sententiae de imperio romano qua iustitiae et ordinis praesidio. Sed nota characteristica imperii Antichristi secundum Paulum est impietas in Deum, cum qua non pugnat, sed bene conciliatur bonus ordo in politicis, oeconomicis etc.

Haec universim dicta sint de obicis indole in Apostoli mente. Quod vero ad obicis positivos characteres spectat, obex 1) subsistit iam Pauli aetate et cum epistolam scribit ; nam operatio et labor iniquitatis praeparat iam, quantum ex se est, Antichristi adventum ; sed ne ad culmen perveniat quod cupit, aut ne maiora incrementa quam de facto obtinet, attingat, impedit maxime ille obex, qui certe nisi exstaret, id non efficeret. 2) ob eamdem rationem, obex est, in mente Apostoli, iugis ac perennis ; nam sicut " mysterium iniquitatis „ ita laborem suum praeparatorium Antichristi inchoavit, ut in eo non cessaturum sit (hoc enim fert secum notio ipsa inchoationis versus culmen attingendum) ; eodem modo, cum aut unicum aut certe praecipuum incrementorum impietatis obstaculum sit obex ille, profecto, quamdiu impietas summum gradum non attingat, ideo est quia constanter ab obice coërcetur : id quod inde etiam apparet quod, secundum Paulum, cum obex cesset, impietas attactura sit culmen, venturusque Antichristus. 3) Inter cessationem obicis et Antichristi adventum nequit, in mente Apostoli, magna temporis intercapedo interponi ; nam, iuxta Pau-

lum, " id solum efficit ne Antichristus manifestetur : quod detineatur ab obice „, hoc proin sublato, adveniet.

Quid demum concrete sit obex ille, etsi hodie sicut Augustini temporibus possimus cum Steinmann (1) dicere nos ignorare, id tamen non vetat ne pias coniecturas interpretes proponant. Estius obicem intelligit ipsam « apostasiam nondum consummatam ». Proposita conditione ut Antichristus manifestetur, quae est impietatis culmen quod Antichristus impudentissime iactabit, Paulus dicit : « nunc iam quid (Antichristum) detineat scitis » : i. e. quandoquidem aperui vobis quando et sub qua conditione Antichristus se prodet, eo ipso nostis quod antea ignorabatis : si se prodet cum impietas summum culmen attinget, quamdiu non attingitur hoc culmen, impeditur Antichristi adventus : en obex qui eius adventum prohibet (2). Ex dictis facile est refellere hanc explicationem. Iuxta dicta de duplici serie agentium colluctantium haud aegre apparet « obicem » in mente Apostoli esse vim quamdam positivam quae eodem modo opponitur adventui Antichristi et incrementis iniquitatis ; obex igitur non potest collocari in mera non attactione culminis impietatis, et intra agentia quae iuvant Antichristi adventum, sed est vis quaedam positiva, distincta ab ipsa impietate se per gradus evolvente eique contraria. Forsan alicui videri posset obex in mente Apostoli esse « necessitas conversionis gentium ». Ante « apostasiam » iuxta Apostoli conceptionem debet praecedere « plenitudinis gentium conversio » : quamdiu igitur gentium plenitudo non ingreditur Ecclesiam, restat complenda gentium conversio, et sic necessitas huius conversionis impedit ne Antichristus se prodat. Sed neque haec necessitas potest esse obex quem Paulus cogitat : nam Paulus obicem cogitat tamquam rem cuius continuatio exoptanda est, et necessitas conversionis, utpote quae malum supponit, non est res cuius continuatio exoptanda, sed potius vitanda sit. Praetera inter obicem et adventum Antichristi statuitur ab Apostolo habitudo *immediatae* successionis ; inter conversionem plenitudinis gentium et saeculorum finem adest successio chronologica, sed non necessario *immediata*.

Ut positivam aliquam solutionem controversiae proponamus, omnibus perpensis, obstaculum videtur esse " consilium aliquod divinum „ simile illi de conversione gentium, aut forte hoc ipsum consilium divinum. Quod novissime a quodam scriptorem obiicitur : (3)

(1) *Die heil. Schrift des N. T.* : Die Briefe an die Thessal. (1918) p. 52.

(2) In h. l.

(3) Halt, *Zeitschrift fur kath. Theol.* 1921 fascic. 3 Ceterum explicatio quae ab hoc scriptore proponitur videtur parum fundata (Cfr. p. 454-473). De medio tolli ἐκ μέσου γενέσθαι non necessario habet sensum reprobativum : sonat tantum : evanescere, cessare ab exsistentia.

obicem non posse esse consilium divinum, quia consilia divina non " tolluntur de medio ,,, non intereunt, parum urget: quid enim vetat quominus semel impleto aliquo divino consilio, hoc consilium cesset eo ipso quod iam impletum est? Si autem consilium de mundo evangelizando et convertendo non admittitur, prout ex modo dictis de huius eventus cum fine saeculorum connexione sequitur, potest admitti aliud quoddam de alia re cum Antichristi adventu connexa, quodque huius infausti hominis adventum impedit. Vel etiam res aliqua aut persona sive institutio v. gr. numerus eligendorum. Id tamen aegre conciliatur cum notitia apud thessalonicenses, quae videtur esse non negativa aut generalis, sed particularis et ad certum obiectum applicata. Ceterum urgere ulterius hoc thema videtur aut otiosum aut saltem tale ut non laborem compenset. Sufficiant ea quae ad excludendas explicationes improbabiles dicta sunt.

LIBER TERTIUS

Paulinae conceptionis fontes

Sectio I.

Paulinae conceptionis nexus cum sectis Apostolo coaevis.

Hodiernis criticis placet de fontibus paulinae conceptionis disserere. Wrede scribit: "Minerva prodiit ex Iovis cerebro suis armis instructa ac pleno robore: non ita paulina theologia; sed primum enata, dein evoluta certo processu fuit; nosque illam sicut quaevis alia facta historica, ea mensura comprehendimus qua in eius evolutionem penetramus„ (1). Hinc magna contentione conantur viri docti in paulinae conceptionis origines et progressus inquirere. Plerique non ultra rabbinismum procedunt, quibus, accedente multiplici Pauli iam christiani experientia, putant se posse doctrinalem Apostoli constructionem explicare. Recentiores vero scholae philologicae asseclae ac religionum historiae cultores ulterius progrediuntur; et elementum specifice christianum in paulina conceptione religiosa ex mysteriosophia hellenistica potius illustrare malunt.

I. Fontes falso attributi

1. Paulus et iudaismus.

Paulum studiosissimum gentis atque institutionum iudaicarum et fuisse ante conversionem, et continuasse constanter durante sua vita certissimum est: illustre huius rei testimonium est, inter alia eius scriptorum testimonia, celeberrima sectio Rom. 9–11 (2).

(1) *Paulus* p. 79.
(2) Analoga est pericope Philipp. 3, 4-6.

At controversia quae nunc agitatur haec est: num in doctrinali conceptione specifice paulina, misceantur, et qua mensura vel modificatione, elementa proprie iudaica, i. e. doctrinae, sensus, criteria ex rabbinismo vel pharisaeismo derivata et in propriam conceptionem ab Apostolo transumpta. Per se patet omittenda hic esse ea quae ex synagoga hebraica Christus ipse Evangelio incorporavit ut monotheismus, divinitas et canon Scripturarum Vet. Testamenti etc. Ut vero iudicium hac in re de criticorum acatholicorum placitis feratur, opus non est singula doctrinae capita quae Pauli systema complectitur persequi; sufficit nonnulla de praecipuis exempla proferre. Wrede tenet notiones iudaicae theologiae materialia proxima et quasi "fermentum„ Paulo subministrasse, quod, accedentibus experientiis in christianismo per Paulum evocatis, ortum dederunt eius conceptioni christianae.

Ut concrete nonnullas opiniones atque exempla proferamus, sunt multi qui theoriam iustificationis "per gratiam ex fide et non ex operibus legis„ hoc processu a Paulo affirmatam autumant. Paulus cum pharisaeus esset, et ante conversionem omni conatu probitatem sectaretur, nedum tamen scopum attingeret, lapsus lapsibus congerebat, ut ex Rom. 7, 7–13. 14–25 apparet. In conversione vero expertus est quam facile per Dei favorem mutatus sit: hinc conclusit non ex operibus legis sed ex gratia, mediante fide, iustitiam qua quis Deo gratus fiat, obtineri (1). At ipse Wrede improbat talem explicationem utpote incertissimo fundamento nixam, cum nobis non constet de veris Pauli dispositionibus tempore conversionis; quippe cum Rom. 7, 7–25 non personalia sint, sed repraesentativa, et hominem respicientia fide et fidei annexis carentem (2).

Ipse autem Wrede vicissim hanc explicationem proponit. Paulus, gentilium missionarius, ferre non poterat ut mosaismus caerimonialis ceu christianorum ex ethnicismo advenientium elementum essentiale haberetur; at aliunde neque moralem probitatem caerimoniis mosaicis censuit substituendam; quia rursus nec probitas naturalis faciebat homines ex ethnicis christianos, sed sola fides in Christum. Hinc, quoniam fideles certo erant Deo cari, conclusit iustitiam "ex fide in Christum„ haberi:

(1) Cfr. Wrede, p. 82. 83.
(2) Id. ibid.

praxis theoriam peperit, non e converso (1). Similes explicationes proponuntur ad alia doctrinae capita.

Ad iudicium de propositis quod spectat, notemus primum explicationem Wredii non admodum accurate respondere pronuntiato quod veluti principium fundamentale criticus statuerat de "iudaicis notionibus ceu fermento communi sumendis ad conceptus christianos exinde derivandos„. Nam ex tali collatione doctrinarum pharisaeismi cum propria experientia, Paulus non ad illud pharisaicae conceptionis temperamentum devenit in theoria de iustificatione, sed ad absolutam pharisaeismi repudiationem. At quidquid sit de dialectica talium criticorum consequentia, evidens est theorias tam wredianam quam reliquas modo expositas quae principio nituntur de contemperatione experientiarum christianarum Apostoli cum iudaicis notionibus, gratuitas ac falsas esse. Sunt in primis gratuitae, quia sicut Wrede processum proprium i. e. a se confictum aliorum processibus substituit, sic tertius novum eodem iure substituet. At quo veritatis titulo vel pignore? Nullo sane, cum unus qui id certo nobis posset manifestare, Paulus nimirum, nullibi talem processum vel patefaciat vel etiam insinuet; imo saepe contrarium asserat, quippe qui originem sui Evangelii divinae revelationi constanter tribuat. Paulus nimirum, etsi plurima ex Veteri Testamento mutuatus sit, eius tamen authenticam et unice veram interpretationem in his quae ad personam, dignitatem, missionem, officia Christi pertinent, non ex proprio ingenio sed directe vel indirecte ab ipso Domino accepit. Numquam enim Apostolus ad proprias "experientias„ provocat quasi sensibus intra se ipsum ac propria activitate interna suae mentis erumpentibus, pullulantibus, sese evolventibus, ea quae in Veteri Testamento de Deo, de Christo, de salute repererat, in propriam conceptionem conflaverit aut elaboraverit; et dum profani scriptores vel sapientes honori sibi ducunt ut proprii ingenii partus iactent ut tales, nec ullo modo sinunt se sua hac legitima gloria spoliari, Paulus numquam doctrinam de Evangelio quam evolvit, aut propriae inventioni, aut industriae qua ex iudaismi notionibus eam condiderit, sed Deo soli (2) aut Spiritui Sancto (3) vel Christo (4) con-

(1) Pagg. 73. 84. Paria tradunt I. Weiss, Sabatier etc.
(2) Eph. 3, 1-9.
(3) 1ª Cor. 3, 9-13.
(4) Gal. 1, 11. 12.

stanter tribuit. Neque id scrupulo adscribendum esse quod propria non auderet sibi vindicare, apparet ex modo quo de suo ministerio, laboribus, aerumnis loquitur, in quibus propriam suam partem minime cunctatur agnoscere ac iustam pro eis retributionem reclamare (1).

Restat litteratura rabbinica et apocrypha. Ad rabbinicos fontes quod attinet quidquid sit de mensura ac proportionibus quibus in rabbinicis Palaestinae scholis rabbinorum traditiones et documenta adhiberentur Pauli aetate, agnoscendum est ea omnia, si Paulus sub Gamaliel quidquam hac in re comparavit, penitus extra christianismi limina reliquisse; frustra enim rabbinica supellex in Apostoli epistolis requiretur. Quae enim de theoria iustificationis v. gr. Ioannes Weiss ex Weber disserit, gratuita sunt: et quae de "rationum libris apud oeconomos„ ad Dei rationes Apostolus accommodat Rom. 4, 4. 5 tam obvia cuivis sunt, ut opus non sit ad ea explicanda operose conquirere peregrina documenta. Ceterum quod in illustrando aliquo loco Paulus ad substantialia ex legitimis fontibus, nonnulla ex iudaica eruditione varii generis adiungeret, id non sufficit ut dicamus Paulum suis documentis instar fontium suae conceptionis usum fuisse, sicut nemo unquam cogitavit dicere ea quae de spirituali agone in exercitio virtutum docet, hausisse tamquam ex fontibus, ex usu et praxi hellenica in ludis, quorum exempla ad sua documenta illustranda adhibet. Non est haec notio *fontis;* nomine fontis intelligitur documentum ex quo saltem substantialia immutata transumuntur sive ad historiam sive ad quodvis aliud litterarium aut scientificum opus confirmandum. Demum, si rabbinica quaedam Paulus adhibuit a traditionali interpretatione Veteris Testamenti aegre distinguenda, ea certissime accedente orientatione christiana aut munivit aut correxit. Negari nequit Paulum nonnumquam ut 1ª Cor. 10, 1–6 et in Epistola ad Hebraeos, item-

(1) Restat alia explicatio: Paulus, ut ait Loisy et passim modernistae, nesciebat crisin de propriis experientiis, conceptionibus, phaenomenis psychologicis exercere; et quamvis illa omnia, quibus paulina conceptio constabat, ex elementis progerminarent quae processu temporis ex vario fonte congesserat in suo spiritu, ipse vi fervoris quo erga Christum tenebatur, omnia ad hunc fontem referebat tamquam si ex eius ore reciperet. Sed quomodo facta interna quae conscientiam Pauli effugiebant, innotescunt hodiernis criticis? Paulus non ignorabat suarum cogitationum iustam crisin facere ut apparet ex Philipp. 3, 3–5; Col. 2, 18. 19, 21–23: Iª Tim. 3–9, 20; 4, 7 etc.

que Gal. 3, 16 ; 4, 21-31 haud exiguum usum facere figuratae interpretationis quae passim praesertim apud protestantes, ceu rabbinica atque ex rabbinicis interpretationum methodis transumpta iudicantur. At haec in primis potius quam ad conceptionem ipsam, ad methodum Vetus Testamentum interpretandi in conceptionis iam praeexistentis confirmationem pertinent. Deinde examinandum restat quo iure haec specifice rabbinica, etiam ratione methodi, pronuntientur. At de his cum de Pauli methodis in interpretanda Scriptura.

Superest ex iudaicis fontibus litteratura apocrypha. Communiter inter protestantes pars eschatologica paulinae conceptionis fontibus apocryphorum praesertim "apocalypsibus„ adscribitur. Wrede sequentia capita enumerat tamquam ex hoc fonte derivata : distinctionem duplicis aevi, praesentis ac futuri, iudicium extremum cum annexis de Parusia, messianicorum temporum aerumnis, sono tubae finalis, triumpho Messiae de potentiis adversis. Item pessimismus in sua anthropologia qua hominem vel humanam massam in Adamo infectam cogitat, et impotentiam ad bonum ob radicatam exinde voluntatis fragilitatem : conceptus de Adamo humanum genus corrumpente suggerit notionem Christi restaurantis (1). At distinctio inter litteraturam canonicam et apocrypham Veteris Testamenti non tam stat in hoc quod apocrypha conceptus hos induxerit quos Wrede enumerat, quam in horum conceptuum ridicula deformatione aut terrorifica exaggeratione. Distinctio duplicis aevi, praemessianici et messianici universam Veteris Testamenti litteraturam historicam, profeticam, poëticam et sapientialem penitus pervadit ab antiquissimis documentis et vetustissimis hebraici populi aetatibus : hac distinctione nititur tota quanta vaticiniorum messianicorum series quae in Patriarcharum aetate, imo in ipso iam Eden inchoatur. In periodo messianica subdistinguendum duplex stadium, gratiae in hac vita, gloriae in futura. Haec tamen subdistinctio in Veteri Testamento non ita perspicue apparet, quia illo tempore id potissimum intererat : Messiae adventum praedicere. Ante exilium babylonicum, quoniam populus nondum gravissimas exilii aerumnas expertus fuerat, non ita dispositus erat ad oeconomiam spiritualem tam in persona ipsius Messiae quam etiam in messianico opere satis recte percipiendam ; ideo aspectus hic oeconomiae messianicae non praevalet nisi sub vel post aetatem exilicam ; et nominatim

(1) Wrede, *Paulus* 80. 81.

Daniel novam periodum aperit in qua et indoles spiritualis regni messianici, et in hac ipsa spirituali natura, aspectus eschatologicus expressius effertur. Recentiori adhuc tempore, occasione novarum aerumnarum quae per totam aetatem seleucidarum et lagidarum graves et fere numquam intermissae iudaeos oppresserunt, exorta atque evoluta est prodigiosa fertilitate apocalyptica apocrypha quae genus hoc sine freno, ac forma prorsus propria, plerumque diffusa ex minutiis impertinentibus onerata excoluit; non tamen genus ipsum invexit quod iampridem notum erat utpote ad messianismum essentialiter pertinens (1). At quae Paulus tam de duplici aevo praesenti ac futuro, quam similiter de Adami lapsu ac Christi restauratione sub duplici eius stadio, cum annexis tradit, non ex litteratura apocrypha, sed ex canonica derivantur, aucta Christi revelationibus atque Spiritus Sancti illustratione. Quae de lapsu generis humani per Adam, de huius lapsus effectibus, de Christi reparatione, in scriptis Pauli occurrunt evidenter in Veteri Testamento omnia et singula satis perspicue reperiuntur: et pauca quaedam quae taxative vel per iustam citationem ut 1 Cor. 3, 9 ex Apoc. Eliae; 2 Cor. 5, 3 ex Asc. Isai. 4, 16; vel per allusionem ut 1 Cor. 7, 26; 15, 24. 52; Rom. 5, 12–19 ex aliis apocryphis in 4 Esdr. 3, 20 seqq., 71, 11 etc. derivata finguntur, facile ex canonicis fontibus desumpta demonstrantur. Locus 1 Cor. 3, 9 citatus, manifeste desumitur ex Isai. 64, 1–3; 2 Cor. 5, 3 sententiam continet quae ab Apostolo ex propriis, non per ullam ex ullo fonte vel citationem vel allusionem expromitur. "Angustia urgens„ (non "instans (2)„) de qua 1 Cor. 7, 26 non sunt in mente Pauli "dolores Messiae„, sed curae et anxietates status matrimonii; 1ª Cor. 15, 24 de spoliatione agit infernarum potestatum quas sub Christi pedibus prosternendas non solum Psalmus 2, sed ipse Christus saepe declaravit (Lc. 11, 21; Ioann. 12, 31 etc.). Quae vero de lapsu Adami in eoque generis humani, deque contraria per Christum

(1) Exemplum sit "liber Henoch„ qui in recensione aethiopica recens divulgatus est per Europam (ab anno 1892) quique non minus quam 108 capitibus constat. At probabile non est hunc tam diffusum et inanem in suo argumento librum identicum esse cum libro Henoch quem Tertullianus ut inspiratum habuit et Origenes reiicere absolute non audet. (Versio german. ex textu aethiop. prodiit 1901 a Flemming-Radermacher Leipzig).

(2) ἀνάγκη ἐνεστῶσα. Participium utique utrumque significare potest: et *urgens* de praesenti, et *instans* de *futuro proximo* sive ingruenti. At contextus praesertim vv. 32–34 perspicue ostendit agi de matrimonii curis.

reparatione, multis in locis nobilissimorum sive historicorum sive Prophetarum V. Testamenti obvia sunt. Ad 4 Esdr. quod attinet, non Paulus ex eo, sed ipse, utpote recentissimus, potius hausit ex litteratura canonica.

Alio etiam ex capite paulina conceptio a pluribus criticis nostrae aetatis impugnatur quasi v. gr. illa quae de publica pharisaeismi professione a Paulo facta leguntur Act. 23 et 26, non potuerint proferri ab eo qui Philipp. 3, 7-9 et alia similia scribit. Act. 23, 6 nimirum huius libri auctor haec ponit in ore Pauli: "ego pharisaeus sum; de spe resurrectionis mortuorum ego iudicor,,. Cap. vero 24, 14. 15: "secundum viam quam dicunt haeresin, sic Deo qui pater noster est (1), servio spem habens in Deum quam et ii ipsi exspectant,,. Demum 26, 5-7: "secundum certissimam sectam nostrae religionis vixi pharisaeus. Et nunc in spe quae ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto iudicio subiectus; in quam 12 tribus nostrae die ac nocte servientes sperant devenire,,. At primus locus haud difficilem solutionem reperit: Paulus "pharisaeum,, se apud saducaeos qui Synedrii, Paulum iudicantis partes praecipuas tenebant, profitetur in articulo concreto de mortuorum resurrectione quam ipse cum applicatione concreta ad Christum intelligit cuius apparitionum narratio (Act. 22, 7-21) fundamentum ultimum dederat iudaeis ut Paulum ad mortem postularent (ibid. v. 22). Paulus scilicet callide causam "ad thesim,, elevat, et in ea desumit quod sibi prodest sine ulla suae fidei iactura (2). Simile quid facit in cap. 24: "Spes,, ab accusatoribus "expectata,, est spes resurrectionis universalis quae Paulo, ut christiano, communis est cum pharisaeis. Quod in articulo non efferatur specialis aspectus de gloriosa iustificatorum resurrectione non evertit resurrectionis generalis veritatem. "Hi ipsi,, οὗτοι οὗτοι sunt pharisaei qui Ananiam comitabantur. Tertius locus nihil addit novum ad praecedentia; nisi quod, prima specie, pharisaeismi professionem videatur Paulus restringere ad tempus transactum. Nulla tamen est contradictio cum reliquis ubi se Apostolus etiam de praesenti phari-

(1) Sic vertimus πατρῴῳ nam Paulus coram iudaeis loquens sensa iudaei propria exprimit in re licita: *noster* i. e. iudaeorum.

(2) Nullam adesse talem fidei christianae aut negationem aut deformationem vel dissimulationem apparet ex eo quod, ut diximus, Paulus resurrectionem mortuorum cum applicatione concreta ad Iesum intelligit, et ab audientibus perfecte eodem sensu capitur; nam Act. 23, 9 sic eum defendunt pharisaei contra saducaeos: "quid si spiritus locutus est ei aut angelus?,, Facta allusione ad apparitionem Iesu quam narraverat (Act. 22, 7-16. 17-19); et 25, 19 Festus loquitur "de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere,,: haec vero profert Festus tamquam materiam controversiae Pauli cum Synedristis.

saeum dicit : quoniam pro suo pharisaeismo ad aliorum testimonium provocat, non potest non illud restringere ad tempus pro quo provocati testari poterant. Non tamen negat Paulus se etiam hoc tempore pharisaeum esse, quamquam semper restricto appellationis sensu ad solum articulum de resurrectione de quo lis erat, et semper sine ulla dissimulatione applicatum ad personam Iesu ut latius in oratione coram Agrippa (Act. 26, 9-21) ubi apertissime fidem suam cum iudaeis communem ad " spem messianicam „ a Prophetis praedictam revocat, quam in Iesu impletam proclamat, et cuius proclamatio capturam suam provocaverat.

2. Paulus et mysteriosophia hellenistica

Nomine mysteriosophiae hellenisticae intelligitur in historia religionum complexus rituum quorumdam arcanorum in certis orientalibus cultibus (Persidis, Aegypti, Syriae ac Phrygiae) adhibitorum, ad quos soli initiati nocturno tempore in antris vel abditis sub terra locis et sub inusitato apparatu admittebantur ; et scenae ad Numinum historiam pertinentes quae ibi exhibebantur, itemque documenta religiosa ad vitae normam ex illis scenis elicita, " mysteria „ appellabantur. Cultus hi diuturno tempore fere ignoti erant in Occidente, sed ad novam formam sub hellenismi influxu redacti, late per occidentales regiones sub initia christianismi, praesertim a saeculo II, propagabantur, ope coloniarum ex supradictis Orientis regionibus per romanam ditionem disseminatarum (1). Celebriores erant cultus Osiris cum Iside ex Aegypto, Cybellis cum Atty ex Phrygia, Astartis cum Adonide ex Asia minori, Mithrae ex Perside. Cum hi cultus mutuam affinitatem prae se ferrent, facile factum est ut eorum clientes promiscue ex uno ad alium admitterentur vigeretque penes omnes mutua non solum tolerantia sed arcta cognatio aut fere identitas,

(1) Ratio cur hoc tempore i. e. a saec. II et non antea disseminati per Occidentem sint illi sectarii fuit quod praesertim ab hoc tempore romani per Orientem multo magis quam antea et non iam ut invasores, sed ut cives, peregrinari, ducibus ipsis imperatoribus, coeperunt. Exinde intimius et magis amplum commercium, religiosum potissimum, ob imperatorum et magnatorum superstitionem, inter orientales et occidentales. Ritus illi arcani et cum remotissimarum aetatum traditionibus colligati, romanos, gentem nimirum relative novam et simplicem, valide percellebant. Hinc vel in imperatorum comitatu. vel incorporati ad legiones, coloni orientales magnis turmis Occidentem invaserunt. Celebres sunt, sub hoc respectu Caracalla et Heliogabalus; sub eorum enim imperio inusitato favore fruebantur orientales magi.

atque exinde *syncretismus* qui sub communi ratione eos colligaret. Ratio quare publico obtutui subtraheretur horum cultuum exercitium plerumque erat eorum impuritas quae ipsam paganorum adeo ambiguam honestatem offendebat. Quoniam cultus hi sub nova praesertim forma per secretiores suos ritus candidatis salutem (σωτηρίαν) promittebant i. e. " spiritualem renovationem „ mediante certo quodam ascetismo et purificatione quae initiationem praecedebat, sectae hae exhibebant quemdam apparatum externum spiritualitatis ac probitatis, atque inde cognationem quamdam cum religione christiana. Cum his igitur cultibus miram analogiam deprehendunt in doctrina Pauli certi quidam critici recentiores ex schola aut philologica ut Norden ac Reitzenstein, aut historiae religionum ut Dieterich et alii quibus non parum accedit Cumont (1).

Non omnes tamen eamdem analogiam sive cognationem inter paulinam et mysteriosophicam conceptionem aut in eodem gradu statuunt. Recentissimus quidam religionum historicus scribit: " In mysteriorum religionibus clauditur postremus evolutionis gradus mythorum solarium ac naturisticorum. Sol qui occumbit et oritur atque annuarum stationum cyclus concretam expressionem nanciscuntur atque in his religionibus mediante symbolo deitatis quae *moritur ceu victima pro sceleribus, quaeque dein sepulcri umbram ingreditur ut brevi postea resurgat transfigurata ac splendore plena.* Initiatis applicabatur redemptio et inde consequens hominis gloria, eo ipso quod participaverant ritus qui triumphum de scelere a deitate reportatum commemorabant. *Substantia tenus, alia non est doctrina Pauli;* nam paulinae conceptionis nucleus ac centrum in plena spiritualis hominis renovatione consistit, atque in eius deificatione per communionem cum Deo, quae in iustificatione consummatur. Per baptismum, ait Paulus, fidelis ingreditur cum Iesu in sepulcrum ut Iesu associetur usque ad gloriam coelestem „ (2). Itaque " Christus in dogmatica paulina implet eamdem functionem quam Isis et Osiris, Adonis, Attys et Mithras in respectivis cultibus „ (3). Parallelismus inter Paulum et syncretismum mysteriosophicum in articulo de renascentia spirituali est perfectus.

(1) Norden, (*Agnostos Theos*; 1913) Reitzenstein, *Mysterienreligionen* (1910); Dieterich: *eine Mithrasliturgie* (1910); Cumont: *Les religions orientales.*

(2) Prof. E. B., *Storia del Cristianesimo: lez. per l'ann. accad.* 1916-1917, pp. 41. 42.

(3) Ibid., pp. 141. 142.

Undenam ortus? Num ex eo quod Paulus in propria sphaera revelationis christianae ac sub categoriis supranaturalis ordinis cogitans, suam doctrinam clausulis redigit quae casu et externo tantum sonitu concordat, sed sub diversis penitus conceptibus cum syncretismo mysteriosophico? Non! " In vocabulario paulino recurrit eadem non solum *terminologia*, sed etiam *ideologia* „ (1). Paulus nimirum qui in sua patria testis fuerat cultuum syncretismi hellenistici eratque praeterea apprime in iudaismo eruditus, cum postea fidem christianam amplexus est, " *non potuit non* elaborare rursus universam suam religiosam experientiam, tamquam sub duplici determinante: sub influxu rabbinismi et mysteriosophiae hellenicae „ (2). Et revera Paulus profitetur axioma de duplici principio " boni „ et " mali „ quod tamquam basin doctrinae de salute adhibent omnes religiones mysteriosophicae (3).

Alii critici affinitatem quidem percipiunt et dependentiam quamdam Pauli a syncretismo tentant statuere, sed in articulo de reparatione qui fundamentalis est in doctrina Apostoli, nec plenum parallelismum nec dependentiam affirmare audent. Reitzenstein scribit: " Doctrina de Homine-Deo, Creatoris Filio (quam Paulus profitetur) *posset connecti* cum fide in deos incarnatos ac mortuos Attyn, Osirin, Adoniden; et de facto documenta *religiosa recentiora, forsan saeculi II,* hanc relationem testantur. At in conceptu deorum incarnatorum syncretismi *nondum apparet nexus qui ducat usque ad Paulum* „ (4) i. e. non apparet Paulum suam conceptionem ex eis hausisse. Ideo Reitzenstein, relicto hoc argumento (5), quod non putat aptum ad controversiam de Pauli ad syncretismum habitudine solvendam, sese potius ad argumenta philologica convertit. Non aliter Dieterich: quamvis conetur propellere atque urgere quantum potest affinitatem inter conceptionem paulinam de renascentia, et symbola syncretismi in eodem genere, addit se " non tamen audere corollaria elicere ut ex illis iudicet de theologia ac de mystica Pauli „ (6). Itaque neque Reitzenstein,

(1) " Identica terminologia e *ideologia* „ (p. 8).

(2) p. 9.

(3) p. 140. Certe scriptor hic classicus non est inter religionum historiae cultores: at est bonus collector qui in breves formulas redigit quae diffusim apud alios reperit.

(4) Reitzentein, *Die hellenist. Mysterienrel.*, p. 46. 47.

(5) De " reparatione „ sive " renascentia „, in qua E. B. non solum " nexum „ sed " dependentiam „ Pauli a mysteriosophia hellenistica deprehendit.

(6) Dieterich, *Eine Mithrasliturgie*, p. 177.

neque Dieterich quantumvis magnopere cuperent, audent, ex analogia terminorum, dependentiam Pauli ex syncretismo hellenico pronuntiare, etsi utique affinitatem et dependentiam sub aliis respectibus asserant.

Restat definiendum quid de his opinionibus iudicandum sit. Prima quidem sententia de pleno parallelismo ac dependentia in capite de renascentia facile refellitur. Quare Reitzenstein ac Dieterich, qui certe scrupulosi non sunt, non audent illam identitatem " in terminologia atque ideologia " atque exinde dependentiam pronuntiare? Duplicem rationem affert Reitzenstein: prima, quia de identitate " ideologiae „ minime constat. In syncretismo et Pauli scriptis apparet quidem " analogia conceptionis „; sed conceptio, qua communis et in utriusque partis, Pauli et religionum syncretismi documentis conspicua, *vaga* est: apparet nimirum sub formis et conceptibus admodum variis apud singulos cultus: habemus proin, ait Reitzenstein, " conceptionem a turbine proiectam in diversas plagas in quarum singulis *pro diversitate soli, diversas ac varias* formas accepit „. Proinde forma quam conceptio ostentat apud Paulum potuit esse autochthona, minime a syncretismo hellenico derivata (1). Altera ratio est: arctior quidem apparet ideologiae cognatio inter Paulum et nonnullas sectas religiosas saeculi II (gnosticas): sed id exinde potuit venire (et de facto venit) quod a Paulo derivaretur conceptio ad illas sectas, non e converso. Prima nimirum sententia procedit a priori: describit sectas syncretismi praechristiani tamquam profitentes doctrinam de " humana vel humanata deitate „ quae sese sponte pro peccatis immolat et cuius morti ac resurrectioni incorporantur initiati per ritum respectivum ut deificentur et sanctificentur: comparat eas cum Paulo et deprehendit, nil mirum! completum parallelismum. Cum vero aliunde Paulus sit recentior, Paulus

(1) Dicet aliquis: sed tandem Dieterich statuit " homogeneam „ paulinae conceptionis indolem et formam cum multiplici hellenistica conceptione: proinde si non ab aliqua ex enumeratis formis (Isidis, Cybellis, Mithrae), ab earum paganico fonte originem trahit Pauli doctrina. — At cum " commune elementum „ sub diversis formis " admodum vagum „ appareat, quare non omnes derivabuntur a revelatione vel primitiva, vel etiam prophetica in Israële de lapsu et restitutione per futurum Reparatorem? Conceptio fundamentalis habetur iam in Protoevangelio; particularia dein et quae propius conceptionem fundamentalem evolvunt per sacrificium expiatorium Victimae divinae apparent admodum mature in Psalmis et apud Isaiam. Certe documenta syncretismi multo recentiora sunt: et revelatio innotescere paganis potuit dispersionibus Israëlis.

sua " terminologia et ideologia „ dependet a syncretismo. At ubi sunt tales religiones quae ante christianismum conceptionem de salute profiterentur sub hac forma? Nullibi! Professor debuisset animadvertere suos praecursores Dieterich et Reitzenstein, si talem formam in syncretismo praechristiano deprehendissent, minime id iactare omissuros fuisse (1).

Ad reliquos criticos quod attinet qui Pauli cum syncretismo mysteriosophico affinitatem non ex conceptione de salute per deitatis mortem, sed ex vocabulario stabilire quaerunt, ut, adiecta insuper antiquiore syncretismi aetate chronologica prae Paulo, huius a syncretismo dependentiam concludant, ante omnia animadvertendum iam non de ipsa conceptione circa salutem in eius capitalibus elementis agi, sed de elementis secundariis quae conceptionem ipsam in sua substantia supponunt. Reitzenstein ex vocabulario seu phraseologia religiosa Pauli haec argumenta affert ut cognationem et deinde dependendiam probet. 1°) Quod Paulus se et ministros evangelicos dicat " bonum odorem vitae ad vitam „ (2 Cor. 2, 15), ad Attys cultum et ritus eius remittit, in quibus ex Attys iacente cadavere detrahebat sacerdos unguentum quo mystae cervices ungebat: " illud unguentum sumptum ex mortuo et resurgente deo, evadit pro credente qui ex illo participat, bonus odor vitae ad vitam „. 2°) " Indumentum aut superindumentum coelestis corporis „ (2 Cor. 5, 4); " baptizari in mortem Christi „, " sepeliri cum Christo per baptismum in mortem „ (Rom. 6, 3. 4) habent suum parallelum in omnibus religionibus mysteriosophicis, maxime vero in phrygio ritu sanguinei baptismatis (taurobolium (2). 3°) 1 Cor. 3, 1. 2; Hebr. 5, 12 proponit lac tamquam neophytorum cibum; iam in cultu Cybellis et Attys post renascentiae ritum mysta sorbebat lac. 4°) Paulus Gal. 2, 20 et 2 Cor. 12, 2-4 admittit in iustificato *veram* duplicationem personalitatis sicut in religionibus mysteriosophicis et in gnosticismo. Si de uno alterove tantum conceptu ageretur non posset

(1) Investiganda deinde esset illa conceptio altior, generalior, simplicior, " a turbine proiecta in varias plagas „. Nimirum conceptio de lapsu et restauratione, de restaurationis modo et executore: ut conceptio quae tandem suas radices habet in primitiva revelatione. Allusio per Reitzenstein fit ad libros sybillinos et alios fontes per plurimas dissitissimasque regiones dispersos, ubi aut germina, aut etiam iusta ac plus minusve evoluta systemata doctrinae de lapsu ac reparatione reperiuntur. Sed haec omnia iam pridem a Patribus v. gr. Eusebio notata fuerant.

(2) " Taurobolium „ usitatum tam apud persas in cultu Mithrae quam apud phrygios in cultu Cybellis, ritus erat quo immolabatur taurus cuius cruor ad cavitatem deorsum iacentem, per craticulatum rete demissus, totus super mystae corpus, qui in conclavi infra disposito includebatur, diffluebat.

concludi cognatio ac dependentia : nam consonantia posset esse fortuita : non vero cum de serie completa conceptuum (1).

Certe argumenta Reitzensteinii non magnopere urgent. Ad 1um ; difficile erit demonstrare cur Paulus non potuerit obvia metaphora uti, praesertim cum apud hebraeos antiquissimus sit usus exprimendi bonam vel malam famam sub odoris figura Gen. 34, 30 (hebr.) ; Ex. 5, 21. Ad 2um de indumento aut superindumento similis responsio. De baptismo autem, utraque symboli expressio ritus baptismalis antiquior Paulo est cum Apostolus Rom. 6 de baptismate et quidem sub symbolismo incorporationis ad Christum mortuum, sepultum ac resurgentem loquatur tamquam de re iamdiu apud romanos nota : Ecclesia autem romana non fuerat a Paulo vel eius sociis fundata. Quaerenda proin foret dependentia a fontibus mysteriosophicis non iam in Paulo solum, sed in antiquiri traditione christiana i. e. apud alios praecones evangelicos, Petrum et Duodecim cum primis proselytis, in quibus nemo supposuit umquam talem contactum cum hellenismo mysteriosophico. Ad 3um quandoquidem doctrinalis institutio cibo comparatur, quae ceteroquin comparatio est passim usitata, nihil magis obvium quam ut institutio neophytorum lacti aequiparetur. Ad 4um cum Reitzenstein nullum exemplum ex religionibus mysteriosophicis proferat, non est cur de analogiae existentia vel non existentia anxii simus : sed in omni casu sufficit veram conceptuum Pauli significationem explanare ut appareat Apostolum de personalitatis ulla duplicatione non cogitare. In textu Gal. 2, 20 Paulus aliud non facit quam formula admodum concisa exprimere sententiam quam Rom. 6, 13-32 latius exponit. Cum in iustificatione iustificatus spiritum infusum recipiat veluti principium novae vitae, cumque hic spiritus proponatur a Paulo ceu derivatio ex Christo tamquam capite ad iustificatos veluti eius corporis mystici membra, nihil magis obvium quam dicere iustificatum postquam semel iustificationem accepit, vivere per Christum, i. e. Christo novam ei vitam inspirante vel " Christum in iustificato vivere ,,. Aliunde spiritus infusus iuxta Pauli doctrinam, peccatum et veterem peccati vitam extinguit ; hinc post iustificationem non solum Christus in iustificato vivit, sed praeterea vetus peccator (ego) iam non vivit. Paulus igitur id solum vult significare : post iustificationem iustificatum non se iam sinere duci in vita morali perversis dictaminibus vitii, sed norma virtutis. Id vero evidenter nullam personalitatis duplicationem infert, cum etiam in ordine mere naturali id passim possit accidere.

Ex dictis apparet nullum afferri posse solidum argumentum quo nedum dependentia, sed neque vera cognatio inter Apostoli conceptionem doctrinalem et hellenisticam mysteriosophiam ostendatur. Sed ex scriptis Pauli possumus ulterius ostendere quantopere aliena

(1) pag. 52 sqq.

fuerit semper Pauli mens non solum post, sed etiam ante conversionem a quovis communionis contractu cum paganicis conceptionibus quibuscumque in re religiosa. In litteratura canonica Novi Testamenti habemus tria fragmenta autobiographica Apostoli de quorum authentia substantiali in primis nemo dubitat, et ex quibus deinde licet facile perspicere psychologiam religiosam Pauli a primaeva eius iuventa usque ad ann. circiter 63. In primo (Act. 22, 1–3) describit quomodo a paterna domo Hierosolymam adierit ut sub Gamaliele erudiretur (τεθραμμένος), itemque primum suum ingressum in vitam publicam. In secundo (Gal. 1, 11–2, 21), postquam rursus brevi compendio vitam ante conversionem tangit, late narrat cursum sui ministerii a conversione usque ad tempus quo epistolam scribit ann. 51 vel 52. Tertium (Philipp. 3, 4–16) complet notitiam de sua vita usque ad ann. 62 vel 63. Tria haec documenta, utpote ordinata ab Apostolo ut *suum Evangelium* contra adversarios tueatur, non solum ostendunt quales fuerint suae curae in re religiosa durante cursu suae vitae, sed etiam produnt quales fuerint accusationes motae contra se a suis adversariis : hinc documenta nobis praebent indirecta quidem, sed primi ordinis ut de " elaboratione experientiae religiosae „ per Apostolum facta post suam conversionem iudicemus. Nullibi, per totam triplicis fragmenti extensionem, detegitur vel minimum vestigium influxus mysteriosophiae hellenisticae in animum Pauli. Iuxta primum fragmentum, quod ad primam Apostoli iuventutem pertingit, studia ac conatus Pauli eo solum contendebant intra annos 17-25 suae aetatis ut sub Gamaliele, huius Doctoris, et in genere scholae pharisaicae palaestinensis sensa et criteria combiberet, quae certe toto coelo non solum ab hellenismo " religioso „, sed cuiusvis formae, aliena erant (1). Idem perseverabat deinde usque ad suam conversionem.

Quid postea in Pauli intimis contigerit tempore conversionis, et annis subsequentibus, aperit Apostolus in secundo et tertio fragmento. In fragmento Gal. 1, 12–2, 21 protestatur, Deum obtestans, Evangelium a se praedicatum, sibi non per homines sed a Christo ipso revelatum fuisse, addita ceteroquin declaratione sedulo animadvertenda, de huius Evangelii identitate cum Evan-

(1) Cfr. Schürer, *Gesch. des jüd. Volkes*, II, 89 sqq. (1907). Potest etiam consuli Weber, *Jüdische theol.*[2] qui est classicus hac in re et unde hauriunt omnes passim recentiores qui de religiosa iudaeorum " mentalitate „ agunt.

gelio Duodecim. Iam vero Evangelium Duodecim certe non derivabatur a syncretismo mysteriosophico! In ultimo fragmento Philipp. 3, 4–16 postquam glorias suas gentilitias memoravit, quas olim, addit, magno in honore habui, pergit: "haec vero quae veluti magna lucra quondam aestimabam, nunc, possesso Christo, reputo detrimenta: imo, non solum haec, verum quamlibet aliam gloriam, excepto Christo, veluti stercora duxi!„ Hinc perspicuum fit qualis fuerit "elaboratio eius experimentiae religiosae„ post conversionem: talis scilicet elaboratio aliud non fuit quam validissima sui suarumque facultatum concussio qua quidquid in ordine religioso vel minimum a Christo fontibusque genuini christianismi alienum esset, procul a se proiiceret. Quod si id fecit etiam respectu criterii iudaici crassi et carnalis, in interpretatione Veteris Testamenti, quid non fecisset respectu cuiusvis alterius elementi profanae, imo abiectissimae originis, qualis procul dubio fuit semper in oculis Pauli mysteriosophia hellenistica, si quid huiusmodi in sua religiosa supellectile reperisset! Animi ac voluntatis aversio quam in Paulo excitabat paganismus, qua institutio religioso-moralis, conspicua fit in locis ut Rom. 1, 18–32; 1 Cor. 10, 20; 12, 2 etc.; et certe res foret scientiae criticae pergrata si his locis designaretur selecta illa portio gentilicae religiositatis vel inter graecos vel inter romanos quam Apostolus tam pretiosam existimavit ut selectissima suae conceptionis elementa exinde elaboraret: procul dubio enim, praesertim Rom. 1, 18–32 prae oculis habuit quidquid nobile, selectum ac quovis modo excellentissimum in paganismo expertus erat, philosophos legislatores, sacerdotes. Sed tantum abest Paulus ab ostendenda vel minima de illis illorumque operibus aestimatione ut e contra eos omnes veluti pestilentissimos religionis ac morum corruptores acerbe damnet (1).

At nec deprehenditur in citatis fragmentis allusio ulla ad accusationem quae ceteroquin attenta adversariorum Pauli indole deesse non poterat, de paganicorum elementorum usu per Apostolum in conficiendo suo Evangelio. Adversarii Pauli erant iudaei

(1) Res est quam satis mirari nescias, pugna sententiarum inter studiosos Pauli acatholicos, cum de Apostoli ad paganismum habitudine quaestio fit. Hinc enim "historiae religionum„ cultores in id maxime incumbunt totis viribus ut Paulum infensisimum et plane iniquum paganismi religiosi osorem exhibeant, illinc vero syncretismi mysteriosophici fautores altiora quae Apostolus habet de redemptione atque opere restitutorio ex paganismi graeci fontibus haustum pronuntiant.

ac iudaizantes, i. e. iudaicis traditionibus addictissimi, et pharisaismo admodum dediti : si in Apostoli Evangelio vel levissimum paganicorum cultorum vestigium deprehendissent, id quod si vera essent quae de paulinae conceptionis fontibus hodie traduntur, difficile eis non fuisset, nullo modo tam immanem abominationem impunem reliquissent. Et tamen summum Pauli scelus in eorum oculis hoc est : quod " discessionem a Moyse inter iudaeos Diasporae praedicet „ i. e. quod mosaismi observantiam impugnet.

Nec de prima sua iuventute in patria affert umquam Paulus vel remotissimum vestigium consuetudinis ullius cum mysteriosophia hellenistica huiusque cultu aut ritibus. Paulus eo tempore absorbebatur totus religioso iudaismi spiritu et litteraria in classicis eruditione. Quantum iudicari licet, cultus illi exercebantur penes paucos initiatos qui se a concivium conspectibus subtrahere sedulo curabant.

3. Paulus et hellenismi mysteriosophici γνῶσις

Cum de paulinae conceptionis fontibus agitur, affinis controversiae praecedenti est illa alia de " gnosi „ sive arcana de Deo divinisque rebus scientia in hellenismi mysteriosophici cultibus, cuius notitiam et usum multi ex hodiernis criticis apud Apostolum se detexisse autumant. Affinis, inquam, non proprie identica; nam etsi caput de gnosi ad praecedens de mysteriis revocari possit, cum γνῶσις qua Apostoli scripta pervadi dicitur, maxime ab hellenismi sectis adhiberetur ; praestat nihilominus seorsim locum pertractare, quia dum " mysteria „ proprie ritualem et practicam partem sibi vindicant in illarum sectarum doctrina, γνῶσις efficit partem theoreticam et quasi mysteriorum scientificam rationem. Hinc mirum non est si partim eosdem hic adversarios habeamus, nominatim Reitzenstein, qui etsi in practico rituum elemento non audet, ut vidimus, dependentiam statuere Pauli ab hellenismo, γνῶσιν ab eo ex hoc fonte haustam esse tamquam indubium propugnat (1).

Ut recte disputatio procedat, opus est a vocis sensu et usu in hellenismo exordiri. Est igitur γνῶσις in his sectis (in litteratura hermesiana, in papyris aegyptiacis de Osiri et Iside, in descriptione mysteriorum Isidis ap. Apuleium) scientia quaedam secretior et arcana de divinis, quam initiati (mystae) per initiationem in mysteriis obtineri censebantur. Summa systematis est haec : in illis mysteriis,

(1) *Die hellenist. Mysterienrel.* p. 39.

initiatus vel candidatus (mysta) (1) inducebatur in immediatam deitatis contemplationem (θέα contemplatio a θεάομαι = intueor). Qui illa suprema contemplatione fruebatur, dicebatur γνῶναι θεόν, et haec de divinis scientia erat Gnosis. Contemplatio haec deitatis, erat simul inmediata quoque contemplatio et persensio " Totius „ (Universi, universarum rerum molis); et per hanc contemplationem adipiscebatur initiatus σωτηρίαν " salutem „. Γνῶσις erat donum divinum (χάρισμα) quod candidatum illuminabat (φωτίζει), transformata eius substantia corporea, et elevata ad ordinem supra-sensibilem. Gnosis proin inducere censebatur vitam novam, liberationem a corpore ac sensibus, iter ad coelos: per illam scientiam candidatus efficiebatur θεῖος " divinus „ (2). Enumerata hac elementorum serie concludit Reitzenstein: " quod Paulus technicum (proprium ac peculiarem in secta) vocis usum in hellenismo (mysteriosophico) noverit et imitatus sit, indubium ex dictis fieri debuit „ (3).

Quid de hac assertione Reitzensteinii dicendum? Certe indubium est plura in hoc complexu quem ex hellenisticarum sectarum γνῶσι profert Reitzenstein admodum similia esse his quae in scriptis Pauli reperiuntur. Talia sunt 1) ipse terminus γνῶσις qui frequens recurrit apud Apostolum: 2) quod sit donum coeleste; id quod etiam docet Paulus de gnosi, cum eam numeret inter charismata pneumatica (1 Cor. 12–14). 3) Inter γνῶσιν hellenisticam et theologoumenon Pauli de incorporatione ad Christum per baptismum adest quoque analogia quaedam, itemque in mysteriosophico hellenismi processu quo per gnosin mysta deificatur, si cum Pauli doctrina de iustificatione conferatur. Transformatio enim candidati, itemque elevatio ad altiorem sphaeram, eius ad divinitatem incorporatio, ac veluti divinizatio, abstractio a carnalibus etc. totidem lineamenta praebent iis quae a Paulo tamquam iustificationis fructus recensentur perquam similia. Sed 1) nec valor et momentum elementorum in complexu utriusque systematis est idem, imo est toto coelo diversum; nec 2) habetur idem sed admodum diversus ritualium elementorum nexus et inter se et cum gnosi; nec 3) ea quae de incorporatione, salute, eleva-

(1) μύστης a μύω = " includor, inclusus vel seclusus retineo „. Appellabatur candidatus et adeptus sive proselytus hoc nomine ob segregationem a profanis.

(2) Reitzenst., *Die hellen. Myst.* p. 38.

(3) p. 39.

tione candidati in hellenismo dicuntur, demonstrantur antiquiora Paulo, sed potius recentiora, ut ipse Reitzenstein diffiteri non audet. Itaque *a*) plura sunt et re et verbis omnino diversa in utroque systemate ; *b*) alia, quae analoga apparent, vel ex communi notionum religiosarum thesauro desumuntur, inflexa solum significatione ad propriam theoriam ; vel, melius, ex christianismo mutuatur hellenismus.

Percurramus singillatim assignatas differentias. Ad 1um) γνῶσις apud Paulum non est exclusive et per se inmediata ipsius Dei vel divinorum contemplatio : non est θέα, " intuitio „ quam hellenismus adstruit, sed abstractiva notitia quae versatur circa Dei verbum praevie iam perceptum (1). Nimirum est illustratio, specialis quidem et per specialem Dei influxum recepta, sed non per inmediatam aut Dei aut etiam coelestium rerum intuitionem sicut in raptu (2 Cor. 12, 1–4). Usque adeo γνῶσις in paulina conceptione non est inmediata et intuitiva vel quasi intuitiva Dei contemplatio, ut cum haec advenerit, γνῶσις cessatura sit (scientia destruetur γνῶσις καταργηθήσεται 1 Cor. 13, 8). Multo minus est " Universi „ contemplatio per quamdam in eum inmersionem intellectualem ut adstruebant sectae hellenisticae. Ad 2um) In hellenisticarum sectarum doctrina, gnosis est omnia : per eam accipit homo salutem, elevatur, incorporatur ad deitatem, vitam novam acquirit, liberatur a sensu voluptatis. Iuxta Paulum et in eius conceptione γνῶσις infinite distat a multiplici et trascendentali munere quod ei in mysteriosophia assignatur : gnosis paulina circumscribitur ad sphaeram multo restrictiorem : γνῶσις est notitia quae subsequitur iustificationem et obtentionem salutis, incorporationem cum Christo, vitam novam, elevationem ad altiorem ordinem ; siquidem γνῶσις est unum ex charismatis quae elementis essentialibus regenerationis superadduntur. Ad 3um) Ex dictis negari nequit systema hellenisticum habere multa elementa analoga elementis paulinae conceptionis de renascentia et his quae eam subsequuntur vel comitantur : sed, ut bene notat Feine, demonstrandum foret haec omnia antiquiora Paulo, et universim christianismo, esse ; " id quod Reitzenstein demonstrare non potuit „ (2).

(1) Non dicimus Paulum " excludere „ a gnosi conceptum inmediatae et mysticae notitiae ; sed certissime non includit hoc elementum in sua de gnosi notione : per se et ordinarie notitia quam veluti propriam γνώσεως proponit Apostolus, non est intuitiva sed potius abstractiva modo explicato.

(2) *Theol. des N. Test.* p. 350.

Criticus germanus affert quidem plura ex Paulo testimonia ut sensum paulinum de gnosi probet identicum esse cum hellenistico. 1) 1 Cor. 12, 8; 13, 1; 14, 6 ubi conceptus termino γνῶσις alligatus nequit explicari ex notione quam novissimum Lex. man. Novi Testamenti dat voci. 2) 1 Cor. 13, 8; Gal. 4, 9: 1 Cor. 8, 1. 3; Rom. 2, 20; 8, 29 ubi γνῶσις est « scientia de Deo ac de divinis » sicut in hellenismo. — At in utraque serie demonstrandum esset γνῶσιν in mente Pauli intelligi de « scientia inmediata, intuitiva (vel quasi tali), contemplativa » (θέα); hanc enim statuit hellenismus in testimoniis citatis. Sed ut diximus, sensus γνῶσις apud Paulum hic non est.

Restat explicandum quid Paulus " positive „ intelligat sub gnosi. In triplicem classem possunt distribui testimonia ubi Apostolus ex professo de explanando plus minusve complete illo conceptu agit. 1) complectitur ea testimonia ubi Paulus " essentialia „ elementa adstruit " gnosis „ quae propria est huius vitae. En testimonia: 1, 18–3, 3. 19; 12, 8; 13, 2. 8. 9. 12; 14, 6; Hebr. 5, 12–6, 6. Quamvis enim 1 Cor. 1, 18–3, 3 et Hebr. 5, 12–6, 6 nominatim non memorent γνῶσιν, et notitiam de divinis ibi significatam explicat Paulus potius per σοφίαν quam 1 Cor. 12, 8 distinguit a gnosi, nihilominus illam notitiam debere ad γνῶσιν revocari, et distinctionem inter σοφίαν et γνῶσιν esse inadaequatam quatenus in ipsa gnosi dantur gradus, res manifesta est; quia obiectorum σοφίας intelligentia explicatur per actus mentis qui verbo γιγνώσκω exprimuntur (1 Cor. 2, 8. 9. 11. 14. 16). Igitur in his omnibus locis γνῶσις, etsi sit scientia a Deo supernaturaliter communicata, *a*) *numquam* est scientia intuitiva, mystica, contemplativa, saltem " exclusive „; imo ex regula generali est mere abstractiva *b*) est scientia vel notitia de Deo ac divinis a Deo concessa, in fide fundata, distincta quadantenus a fide communi et aliquid ei superaddens in linea cognitionis (1 Cor. 12, 8. 9; 13, 2) (1). Est fundata supra fidem; quia ex una parte cadit, tamquam in terminum proprium, in Deum ac divina quatenus obiectum praedicationis et revelationis: ex alia est distincta a fide communi (1 Cor. 12, 8. 13, 2); revera enim his in locis " fides „ – charisma – de qua est sermo, non est fides communis; addit aliquid ei: nam etsi non desinat esse fides – assensus – tamen hoc prae communi addit: quod intensior sit et magis practica, atque " fiduciam „ vividius

(1) Nam adveniente beatitudine cessat; i. e. adveniente intuitione: quod si adveniente intuitione cessat, cum aliunde non sit scientia ex naturalibus fontibus comparata, sed supranaturalibus, nequit non fide fundari.

excitet. Non regitur criteriis humanis sed divino (Hebr. 5, 14) idque non in practicis tantum sed etiam in speculativis. Est nimirum rectus quidam sensus intellectualis a Deo concessus, et qui cooperatione perfici et augeri potest.

2ª classis locorum ea testimonia complectitur ubi Paulus evolvit munus proprium gnosis eiusque gradus. Etsi gnosis paulina semper fide fundetur atque eius lumine illustrata incedat, habet nihilominus, ut diximus, hoc proprium: ut " fidei „ superaddat notitiam scientificam de divinis: exinde munus specificum paulinae gnosis: harmoniam quaerere fidei cum ratione. Hoc suae gnosis munus late explanat Paulus 1 Cor. 1, 18–3, 3. Loquens ibi Apostolus de methodo qua usus est apud corinthios in sua prima praedicatione ait se consulto vitasse scientificum apparatum et contentum fuisse simplici articulorum fidei propositione, veluti veritatis a Deo revelatae, addita solum confirmatione per miracula et facta portentosa in eius divinae originis pignus, sive a se sive ab aliis patrata, quae erat methodus communis in prima apostolicorum praeconum praedicatione (1 Cor. 2, 1–5; Hebr. 2, 2): addit-que se id fecisse ut fides corinthiorum pura Dei auctoritate niteretur exclusa quavis vel apparentia humanarum rationum, " ut fides vestra esset non in sapientia hominum, sed in virtute Dei „. Animadvertit tamen se hac methodo usum fuisse non quia non haberet reconditiora quae proponeret, quaeque altam sapientiam redolerent; sed quia corinthii non erant dispositi ad profundiora cum fructu percipienda (1 Cor. 2, 1–5; 3, 1. 2). Haec reconditiora servare se ad provectiores, ad eos qui ex diuturno rerum divinarum usu subtiliores et experrectiores habent sensus mentis ut ultra fidei assensum possint ulterius apte aestimare et expendere " latitudinem, longitudinem, sublimitatem et profundum „ divinorum consiliorum (Hebr. 5, 11–14; 1 Cor. 2, 6; Eph. 3, 8); i. e. inmensum sapientiae thesaurum qui latet in religioso revelationis christianae systemate; nimirum rimari intellectu altissima quae ibi continentur ultra id quod superficie tenus apparet, quaeque patefiunt cum penetratur mira harmonia et cohaerentia tum membrorum inter se in illo stupendo organismo, tum complexus ipsius cum illuminatae rationis principiis.

Potuisset quidem Deus ad reconciliationem generis humani adhibere viam multo simpliciorem, v. gr. gratuitae condonationis, sed maluit concreto illo modo per incarnationem et crucem uti,

quo splendidum suorum attributorum iustitiae, sanctitatis, excelsae maiestatis, bonitatis et amoris, sapientiae ac liberalitatis specimen praeberet. Elucet iustitia, quia non contentus simplici condonatione, iustam postulavit satisfactionem qua divinae iustitiae iura salva remanerent. Nec cuiusvis satisfacientis obsequia voluit, sed personae " divinae „ quae infinitum satisfactioni valorem inderet. Postulavit ignominiosam satisfacientis mortem ut Numinis non minus celsissimam maiestatem quam infinitam sanctitatem ostenderet, quae, etiam Victimae divinae inmolatione, non ultra ius pro illata offensa sibi satisfieri merito censuit. Effulget Dei bonitas eiusque erga praevaricatores charitas, cum in talem Victimam ipse proprium suum Unigenitum dedit (Ioann. 3, 15 ; Rom. 5, 8 ; 8, 32). Splendet sapientia in concilianda gratuitate salutis cum pleno iustitiae vigore, nam illa ipsa expiatrix Victima donum divinae liberalitatis est. Haec cum christiana mens coelitus illustrata expendit, nequit non alte de Dei consiliis cogitare et opus restitutorium per Christum totamque revelationem christianam veluti dignissimam Deo atque humanae rationi apprime consentaneam agnoscere. Accedit obiectiva mysteriorum harmonia qua alligantur inter se : " incarnatio „ fert secum Christi " divinitatem „ ; et divinitas " Trinitatem „ subaudit. Sponte etiam eruuntur omnes ac singuli Humanitatis articuli, item Eucharistia, Christi Hominis praerogativae etc.

Harmonica haec articulorum connexio, totiusque revelationis cum recta ratione concordia dignissimum sunt christianae speculationis argumentum ; et merito Paulus horum contemplationem " gnosis „ sive " scientiae „ nomine honestavit, cum ultra simplicem fidei assensum qui simplici apprehensioni potest haud immerito aequiparari, amplissimum praebeant iustae atque admodum variae speculationis argumentum. In hac vero amplitudine Paulus duplicem gradum distinguit : modestiorem cui commune nomen " gnosis „ applicat, et sublimiorem quem " sophiam „ appellat. Hanc distinctionem non facit Apostolus in primis capitibus (1–3) 1ae ad Cor. ubi potius sub nomine " sophia „ quidquid non est simplex et elementaris fidei expositio complectitur. At cap. 12, cum de charismatis agit, distinguit v. 8 λόγον σοφίας a λόγῳ γνώσεως ; et quamvis directe non agat de ipsis rebus traditis sed de earum verbali traditione, cum tamen, ut ex toto contextu tractatus (12–14) apparet, " sophia et gnosis „ propriae essent non

simplicium fidelium sed potius doctorum (1), gnosis supra simplicem fidem est quae ad omnes pertinet. Revera ut superius notavimus, actus mentis quo percipiuntur quae per σοφίαν proponuntur, exprimi solent verbo γιγνώσκω.

Tamquam exemplum thematis ad altiorem gnosin pertinentis proponit ipse Paulus sectionem de Christi Sacerdotio in epistola ad Hebraeos (Hebr. 5, 11); et revera, ut vidimus, argumentum hac sectione pertractatum meretur talem appellationem. Simile quid dici potest de argumento epistolae ad Rom. Per respectum ad haec augumenta Apostolus distinguit inter fideles eos qui capaces sunt talium argumentorum, ab eis qui hunc gradum non attingunt: priores appellat « provectos » sive « perfectos » τελείους (Hebr. 5, 14) vel etiam πνευματικούς (1 Cor. 2, 6) « spirituales », dum posteriores nominat νηπίους « parvulos » (Hebr. 5, 13) vel etiam σαρκίνους vel σαρκικούς (1 Cor. 3, 1-2): sicut cibum priorum metaphorice dicit στερεὰν τροφήν « cibum solidum »; posteriorum γάλα « lac » (Hebr. 5, 12; 1 Cor. 3, 2). Potest tamen, imo debet parvulus conari ut evadat perfectus, id quod sedula cooperatione ad gratiam fit (Hebr. 5. 12; 1 Cor. 3, 3). « Exercitatio enim illa sensuum » quae propria perfectorum est a singulorum cooperatione pendet.

Cum " gnosis „ vel cognitio divinorum quae hoc nomen meretur, Dei donum sit atque ad ordinem et oeconomiam salutis per Christum pertineat, perspicuum eo ipso est eam a scientia " saeculari „ i. e. quae principiis sive axiomatis ac criterio mere naturali, etiam de se non vitioso, regitur, alienam esse: hinc Paulus dicit " animalem hominem (ψυχικόν) non recipere " ea quae Spiritus Dei sunt „, i. e. πνευματικά, ad sphaeram spiritus et ordinem oeconomiae supranaturalis pertinentia. Aliena, inquam, semper et superior; nonnumquam etiam " contraria „, cum nimirum principia rationis ex influxu passionum, perversa et erronea evadunt. De se certe " principia naturae „, rationis naturalis nec prava nec erronea sunt: sed, in primis, semper sunt imparia ad divina recte iudicanda; deinde, saepe, ex influxu naturae corruptae, prava et erronea.

(1) Nec cum charismata omnium passim in coetu prae oculis habet (14, 26), nec in decursu instructionis ad usum charismatum (per tot. cap. 14) memorat Paulus " gnosin „ et " sophiam „. Vicissim, cum de se tamquam Apostolo et doctore loquitur (14, 6) inter alia charismata quibus uti posset, nominat γνῶσιν. Id optime explicatur si gnosis charisma est Doctorum proprium. Charisma autem λόγου γνώσεως procul dubio est charisma qua gnosis evolvitur.

Paulus in singulis fidelibus, si gratiae divinae cooperentur, facultatem agnoscebat perveniendi ad quamdam mensuram in participatione gnoseos sive scientiae de divinis ex criterio spirituali: id satis perspicue insinuat Col. 1, 29 et Eph. 4, 13 ubi ait se strenue laborare ut singuli fideles ita in sapientia (ἐν σοφίᾳ) ac proin in gnosi proficiant ut illam mensuram attingant quam eis elargiri voluit Christus de cuius plenitudine omnes accipimus (Col. 2, 2. 10; cfr. Ioann. 1, 16).

4. Gnosis paulina in conflictu cum hellenistica

In illa vitae Apostoli periodo quae certamina cum iudaeis ac iudaizantibus subsecuta est, quaeque per congressum cum gnosi hellenistica se prodit, Paulus gnosin christianam in praecedentibus epistolis iam excultam et expositam ulterius evolvit, elicitis iis corollariis quae conflictus cum hellenistica sponte provocavit. Congressus in epistolis " captivitatis „ erumpit, praesertim in epistola ad colossenses. Paulus in hac epistola haec christologiae capita evolvit: quod Christus est 1) culmen ac centrum universae creationis ipsorumque angelorum caput et creator. 2) Christus est insuper sedes omnium thesaurorum " sapientiae et scientiae „ (σοφίας καὶ γνώσεως). 3) est autem sedes horum " qua communicandorum hominibus „, ita ut ei qui Christum habet, nihil ad scientiam de divinis pertinens, desiderandum restet. Haec circa Christum ideo tanto studio tradit Apostolus, ut colossenses praemuniat contra quorumdam sectariorum ad eos seducendos tentamina. Quinam essent horum sectariorum errores, quodve doctrinale systema, non potest certo definiri: sed indubium prorsus est " gnosin „ satis praecipuas in eo partes habuisse. Quatuor enim praesertim capita recenset Paulus ad quae revocari videntur substantialia systematis. 1) occultas doctrinas ab " antiquis „ per arcanam traditionem derivatas, quae " in elementorum mundi „ notitia ac descriptione versabantur (in arcanis scilicet cosmologiae problematis), et scientifico apparatu atque sermonis eloquentia tradebantur (2, 4. 8). 2) Cultum vel reverentiam spirituum (2, 18); 3) Observantias iudaicas quae tempora quaedam et cibos superstitiose respiciebant (2, 16); 4) inediam et severam ascesin (2, 21).

Cum caput de sermonis eloquentia et inani philosophia primo loco ab Apostolo proponatur, obvium est concludere hoc fuisse praecipuum in systemate, quod proinde inusitato quodam

scientifico apparatu in argumento et forma sese exhibebat. Et sicut cum systema ipsum sectariorum exponit, effert Paulus ante omnia " scientiam „, sic in systematis impugnatione praecipue habet prae oculis " scientiam „. Iam 1, 10 in ipsa argumenti introductione illud prae aliis postulat a Deo Paulus pro colossensibus ut crescant in omni " agnitione, scientia et intelligentia „ (ἐπιγνώσει σοφίᾳ et συνέσει) ; addens se in suo ministerio id maxime curare ut fideles omnes illam sapientiae mensuram attingant quam unicuique assignavit Deus (1, 28 ; 2, 7). Deinde cum iam directe antidotum contra errores dare vult, Christum describit tamquam sedem et veluti armamentarium " plenitudinis scientiae „ (2, 2) et quidem qua communicandae et effundendae in suos (2, 9).

Cuiusnam vero generis fuerit illa scientia quam colossenses sectarii iactabant, haud aegre definitur. Erat certe scientia " religiosa „, nam veluti multo praestantior in eodem genere proponitur ea quam Christus suis impertit (1, 19 ; 2, 3. 9). Idem ostendunt capita de angelorum reverentia (2, 18) et observantiarum sabbati, circumcisionis, festorum sacrorum custodia (2, 11. 16). Erat autem scientia quaedam " arcana „ ex traditione nimirum antiquorum sapientium et κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου " secundum elementa mundi „, (2, 8) i. e. vel quae versabatur circa haec elementa, vel quae horum analysi et investigatione comparabatur (1). Videtur fuisse scientia " cosmologica „, de mundo ; quae nimirum doceret quaenam esset origo, natura, destinatio eorum quae mundi moles intra se continet, idque totum sub aspectu religioso vel theologico, Deum respiciente.

Quo pacto reliqua capita, de angelis, de observantiis iudaicis, de ascesi cum primo de " scientia „ copularentur, ignoramus. Illud est certum : in primis illos sectarios angelis aut coaequasse aut subiecisse aliquibus saltem, Christum. Nam 2, 18 de articulo agens quem circa angelos statuebant sectarii, illumque ut incompletum et falsum sugillans, dicit Paulus sectarios non " tenere caput „ scil. angelorum (Cf. 2, 10). Videntur admisisse spiritus intermedios inter materiam et Deum, ut eo tempore commune erat in pluribus sectis philosophico-religiosis, quos colossenses sectarii appellabant " angelos „. Nomen explicatur ex sectariorum origine quippe qui genere iudaei erant (2,

(1) i. e. vel quae elementorum mundi locum definiebat in encyclopaedia religiosa, vel quae ex elementorum cosmologicorum analysi religiosa eliciebat consectaria.

16). Inter angelos videntur collocasse Christum, sed loco subalterno. Huc etiam spectat quod 1, 15-18; 2, 10. 15, errori contrario obviam iturus Christum proponat Paulus tamquam angelis superiorem eorumque creatorem. Ab his spiritibus sperabant vel " salutem „ vel adiutorium in eius via, itemque ad " scientiam „ per magiae commercium. Ascesis vero vel hygienica erat, vel probabilius conditio praemittenda ad illud cum supranaturali mundo commercium ; id nimirum suadet praedominium " religionis „ in systemate.

Ex dictis apparet sectas has colossenses excoluisse suo modo " gnosin „ haud absimili forma, quadantenus saltem, atque sectas hellenisticas. Reperimus hic quoque sicut ibi scientiam religiosam, arcanam, quae non solum de Deo ac divinis, sed etiam de universa creatione (per ordinem ad Deum) notitiam praestaret initiatis. Desunt simul nihilominus in complexu systematis plura quae ibi reperiebamus, ut unio immediata cum deitate, transformatio in eamdem etc. Discrimina explicantur facile, praeter rationes chronologicas, ex eo quod sectarii colossenses non pagani, nec proprie hellenici, sed potius iudaei erant. Forsan decursu temporis in hanc sectam degeneraverunt iudaei illi de quibus in historia Actuum cap. 19, 13–17, qui quamdam supramundanam potentiam in Iesu non cunctabantur agnoscere.

Horum sectariorum " gnosi „ opponit Paulus " gnosim „ christianam ; etenim veluti antidotum ad illorum fucatae scientiae dogmata opponit notitiam de Christo " culmine ac centro Universi „ ; atque " divinae scientiae thesaurorum domicilio „ ; quae duo aliud non sunt quam supremus apex illius sapientiae quam pro viribus promovet in omnibus fidelibus (Col. 1, 28) ; quamque non minus in seipso excolit veluti coelestem gnosim sibi communicatam (1ª Cor. 2, 6. 12. 13). Inter criticos protestanticos facile admittitur paulina haec " gnosis „ quae in nostra epistola proditur, differunt vero a nobis in eius interpretatione. Secundum Sabatier apparet hic " quaedam veluti aurora „ illius speculationis quae gnosis appellatur : secundum Haupt altior quidam gradus prae illo qui iam in praecedentibus epistolis conspicua fit (1) : Apostoli mens requiei nescia in suis speculationibus de

(1) Sabatier, *S. Paul.* Introd. p. XXXVIII censet in epistolis captivitatis primam gnosis auroram " *une* espèce de gnose prémière. Haupt vero (*Die Gefangenschaftbriefe.* Einl. p. 71–75) mavult detegere evolutionem gnosis iam antea inchoatae. Quod progressum referat ad tempus caesareensis captivitatis

Christo, profundas suas meditationes de Iesu "vertice ac centro in ordine salutis„, protendit ulterius ad omnes ordines in universa creatione.

Sententiae huiusmodi facile refelluntur: quidquid, utcumque praestantissimum, praedicatur de Christo tum in pericope Col. 1, 15–20, tum 2, 3–10 habetur si non explicite et per singula, aequivalenter in scriptis antiquioribus Pauli ut Rom. 9, 5 et 1ª Cor. 4, 8. Secundum Rom. 9, 5 Christus est "verus Deus„: Deus autem, et Christus qua Deus, colligit in se omnia praedicata quae in duplici pericope citata enumerantur, et quidem tamquam praedicata obvia, non recondita: nihil enim magis obvium quam eum, qui Deus agnoscitur, agnoscere ut omnium, etiam altissimorum spirituum, conditorem. Praeterea et singillatim, 1 Cor. 4, 8 Christus est causa efficiens omnium creatorum: iam effector omnium creatorum, etiam factus homo, essentialia praedicata non amittit, nec desinit esse creator Universi. Nimirum, Paulus in epistola ad Col. occasione novorum errorum, novam formam dat his quae de Christo enuntianda putat, sed "formae„ novitas nullo modo conceptionis novitatem infert. Paulus ipse saepe colossensibus dicit ea quae de Christo disserit, nullo modo nova nec sibi nec fidelibus esse, cum iam in his quae ab Epaphra in prima Evangelii apud ipsos praedicatione "omnia„ didicerint; atque ad repudianda sectariorum dogmata sufficere ut ea retineant quae in illa praedicatione audierant (2, 6). Postquam sublimia et altissima illa Paulus colossensibus de Christo exposuerat, dicit 2, 6: "sicut *ergo* accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate„. Id est, cum Christus quem ab Epaphra didicistis talis sit qualem in praecedentibus proposui, cumque in eo habeatis ea omnia, sufficit ut retineatis Christum qualis propositus vobis fuit in Evangelii praedicatione. Certe si Paulus nova proferebat de Christo, non poterat id dicere.

Nihil attinet dicere sectariorum colossensium dogmata nullo modo exhibere gnosticorum saeculi II doctrinas, cum in tota Pauli epistola nullibi recurrat nec "Pleroma aeonum„, nec horum nomina ulla, nec syzygiae nec quidquam, uno verbo, quod

---

secundarium est. Alii ex argumento epistolae eam recentiorem aetate apostolica statuunt. Nos supponimus paulinam scripti originem, id quod hodie ut Deissmann testatur (Paulus 12–16) passim sine difficultate admittitur. Cfr. Weiss, *Urchrist.*, p. 110.

gnosticorum systema in memoriam revocet. Utique sectarii colossenses admittunt spiritus intermedios inter materiam et Deum, itemque in illis Christum. Sed spiritus isti non sunt Aeones gnosticorum. Verum est apud Paulum occurrere vocem πλήρωμα bis (1, 19 et 2, 9) sed vocis significatio est toto coelo diversa.

5. Paulus et mystica cum Christo copulatio.

Quae in duplici praecedenti paragrapho de hellenismo mysteriosophico et gnosi disputavimus sponte nos et quasi per manum ducunt ad disserendum de Paulo "mystico,,; iam enim alias innuimus nostra aetate adesse multos praesertim inter protestantes qui hanc potissimum laudem in Paulo suspiciunt. Ut vero accurate hac de re pertractemus, hic quoque a terminorum explanatione exordiendum. "Mysticus,, (μυστικός) vocabulum et affine vel melius arcte connexum cum duplici alio: μύστης (mysta), ac μυστήριον (mysterium); et significat: ad "mystam,, et "mysteria,, pertinens. Cum autem a mysta in mysteriis hellenismi quaereretur unio sive copulatio cum deitate, "profanis,, minime concessa, a viis naturalibus remota et immediate per ipsam deitatem, ut ferebatur, peracta; hinc adiectivum μυστικός mysticus, significabat "ad unionem immediatam cum divinitate pertinens,,. Ex hellenismo derivatum est vocabulum eiusque significatio ad christianam terminologiam (1). Unio vero sive copulatio immediata et supranaturalis cum Deo potest intelligi vel in ordine subsistentiae, vel in ordine cognitionis. Apud Apostolum recurrunt innumera testimonia ubi sermo est de immediata ac suprannaturali unione fidelis cum Christo: sic in iustificatione. Loci classici ubi Paulus ex professo hanc unionem describit sunt capita 6 et 8 Epistolae ad Romanos. In cap. 6 late exponit quo pacto fidelis per baptismum incorporatur Christo morienti ceu membrum capiti, vel ut ramus arbori, ut semel incorporatus, resurgente postea Christo, trahat ab eo ceu a capite, novam vitam, vitam iustitiae in anima iam nunc in terris, et postea vitam gloriosam corporis. Haec vero quae cap. 6. dixerat, complet cap. 8 ubi de "filiorum Dei vita,, agit sub

(1) Non tamen in litteratura canonica; non enim legitur in Novo Testamento. Reperitur vero eius usus apud PP. v. gr. Ignatium M., qui hac in re sicut in aliis, terminos mutuabantur ex lingua communi, licet conceptus significatus esset christianismi proprius.

Spiritus Sancti intus inhabitantis influxu; qui nimirum iustificati facultates, mediante spiritu infuso, qui "spiritus vitae,, est a Christo ceu capite derivatus (Rom. 8, 12), iustificatum in omnigenos virtutum actus flectit. Huius spiritus vi qui, in novo ordine, vitae principii formalis vices gerit a Christo capite diffluentis, statuitur in iustificato praesentia quaedam Christi quam Paulus exprimit per illam formulam "in Christo,, (Gal. 3, 28) qua significare vult fidelium omnium inter se et cum Christo organicam copulationem qua omnes mysticam unius eiusdemque Christi corporis vitam vivunt. Ordo in quo haec vita evolvitur, non est physicus i. e. physico-naturalis, sed instar physici i. e. realis, qui obiectivam realitatem prae se fert, in ordine tamen supranaturali qui est, proprius sphaerae salutis per Christum institutae. Hinc etiam illa Christi praesentia ad eumdem ordinem pertinet et quamvis realis, non tamen est naturalis et quae vel sensus vel facultates mentis afficiat eo modo quo eas afficiunt respectiva naturalia obiecta in consueto naturae ordine; sed potius est similis praesentiae "sacramentali,, in Eucharistia (1), estque sicut haec ordinis eucharistici, ita illa ordinis iustificativi penitus propria. Directe disserit Paulus de hac Christi in singulis iustificatis per iustificationem praesentia Rom. cap. 6 et 8; quae autem his in locis ex professo pertractat, memorat dein crebro per omnes epistolas sub diversis formis. Has inter celebris est illa qua Christum per iustificationem susceptum confert cum indumento non utique exterius superposito, sed intus in intimis inhaerente (Rom. 13, 14; Gal. 3, 27; Eph. 4, 23). Haec Christi cum iustificatis singulis copulatio, utpote praeter quorumcumque naturalium agentium vim ac plane supranaturalis, immediate per Christum ipsum peracta, plenissime "unionis mysticae,, nomen meretur; i. e. ad supranaturalem salutis ordinem pertinentis.

Haec tamen unio sive copulatio cum Christo quam iam antea Christus ipse docuerat cum se comparaverat viti cuius palmites essent discipuli et omnes iustificati, est mystica quidem, sed in ordine "subsistentiae,, vel "exsistentiae,,, non in ordine "cognitionis,,: per eam nec Christus, nec unio cum eo etiam in proprio mystico ordine reddantur obiectum "contemplationis

(1) Non volumus dicere praesentiam Christi ex incorporatione iustificativa esse "sacramentalem,,: verba quae sequuntur exponunt nostram mentem, esse nimirum praesentiam "singularem,, ordinis iustificativi propriam, sicut sacramentalis propria est ordinis sacramentarii.

intuitivae „ aut " experimentalis affectus „ qui contemplationem intuitivam consequitur: nam quamtumvis obiectum re sit proximum menti et etiam voluntati, non tamen est proximum in ordine " intentionali „ i. e. veluti obiectum apprehensionis cognoscitivae, neque per conscientiam cum conscientiae obiectum sint solum actus et affectiones qua " vitales „ i. e. a facultatibus vel elicitae, vel in eis vitaliter receptae quorum neutrum est Christus et eius ad iustificatum unio; nec ad intellectum, cum factum unionis non sit ordinatum ad movendam intentionaliter mentem: uno verbo non est obiectum rite ad cognitionem propositum. Revera si aut sponte ex solo facto incorporationis, aut adhibito aliquo conatu exsurgeret conscientia vel intuitio de unione sive incorporatione, cum haec nonnisi in iustificato habeatur, imo sit effectus formalis iustificationis, habita conscientia vel intuitione de incorporatione, haberetur eo ipso conscientia vel intuitio de iustificatione propria, id quod nemo affirmabit (1).

Potest quidem Deus, si vult, applicare factum i. e. Christum et unionem, ad intellectum ut percipiatur, unde etiam sequetur affectus in eodem ordine; et sic, potest Deus efficere ut Christus mystice unitus in ordine exsistentiae evadat ulterius mystice unitus in ordine " cognitionis „; sed hoc est ultra naturam unionis mysticae quae per iustificationem fit, et solum obtineri potest alia via, non via mysticae unionis de qua sermo est in testimoniis citatis. De facto Paulus quantumvis magnificet unionem cum Christo per iustificationem, quantumvis exaggeret certitudinem tam obtentae filiationis divinae utpote firmatae testimonio inhabitantis Spiritus Sancti, quam obtinendae glorificationis (Rom. 8, 14-17, 31-39); nihilominus, haec solum intelligit « obiective et hypothetice », non subiective et absolute. Obiective, i. e. habita ratione naturae rerum. Quandoquidem Christus mortuus est pro hominibus, et vult eos salvare mediante eorum incorporatione ad se, qua eis impertiat vitam iustitiae et postea vitam gloriae, certissime haec incorporatio sortietur hos effectus ibi ubi de facto detur. Rursus, ad factum quod attinet de applicatione effectiva ad singulos, certe ubi ex parte applicantis detur vera dispositio, implebuntur in eo eadem infallibili certitudine, quae dicta sunt. At num « in hoc » vere completa sit incorporatio, num impleverit conditiones, de hac re Paulus nihil dicit, sed semper hypothetice loquitur, atque ita ut accidere possit contrarium. Sic in eodem cap. 8 ad Rom. ubi tantopere exaggerat

(1) Cfr. Trid. Sess. 6 cap. 9. Praeterea quo pacto fit ut si talis aut sensus aut intuitio connaturalis sit, tam pauci inter tot iustificatos imo et sanctos viros, Christum suamque cum illo unionem percipiant?

utramque certitudinem, v. 9 expresse apponit conditionem ad hos effectus obtinendos, quam minime affirmat experientia vel intuitione apprehendi, sed in suspenso relinquit: "si tamen Spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius,,. Supponit absolute posse contingere quoad singulos ut quis non vere possideat Christi Spiritum, et sic frustrentur in eo omnes effectus eius praesentiae. Et certe Paulus qui se Philipp. 3, 17 tamquam exemplum fidelibus imitandum proponit, qui tanta pro Christo passus erat non audet affirmare se iustificatum esse (1 Cor. 4, 4).

Iam vero cum de Paulo "mystico„ in hodierna multorum "mysticorum„ litteratura fit sermo, intelligitur locutio de statu et unione mystica quae per contemplationem fit et in "ordine cognitionis„; et hoc sensu intelligunt statum mysticum Pauli et fidelium illi catholici qui unionem mysticam in fidelibus ab Apostolo tamquam "magistro et teste,, mysticae scientiae doceri asserunt. Iuxta eos "Christi praesentia et unio, intimo animi sensu et quasi empirice percipitur„. Quasi empirice i. e. ea immediatione obiecti in ordine mystico qua in experientia naturali. Hunc mysticum et quasi empiricum notitiae sensum de Christi praesentia et unione duplici potissimum Apostoli testimonio expressum se cernere putant, scilicet Philipp. 3, 8–12 et Eph. 4, 11–13. Aiunt nimirum ex hoc duplici testimonio constare exstitisse in Paulo conscientiam et intimam persensionem illius unionis quae in iustificatione perficitur, et Apostolum hortari insuper fideles ut ipsi quoque eamdem persentire conentur. In priori loco, cum Paulus extollit notitiam de Christo super quaecumque pretiosa in terris, cupitque se pervadi illa notitia, ac reddi Christo conformem ita ut intime sentiat virtutem resurrectionis eius et communionem dolorum Paulus, dicitur, Christi praesentiam et unionem experitur. In altero loco hortatur fideles ut conentur in dies progredi in Christi agnitione ita ut Ecclesia quae est corpus eius mysticum possit mensuram maturitatis in hac agnitione attingere quam Deus vult; quae matura agnitio "alia esse nequit quam aut coelestis quae mystica adumbratur, aut mystica quae in caelestem desinit„ (1).

Nos putamus in utroque loco sermonem esse de scientia sive notitia per fidem et per conceptus abstractivos, quae notitia

(1) Sic passim plures: cfr. ex. gr. Deissmann, *Paulus* 83–86 qui eadem testimonia Philipp. 3, 10; Gal. 2, 20 et alia citat. Similiter alii quos referre non vacat.

utique magis vel minus intensa esse potest, sed quae experimentalis non est. Paulus ipse perspicue id docet in primo testimonio. Apostolus exprimit desiderium ut deprehendatur " in possessione iustitiae non ex lege sed ex fide Iesu Christi „, quae est iustitia ex Deo " in fide quae docet cognoscere Christum et virtutem resurrectionis eius et communionem dolorum illius „ : (cupit deprehendi) " configuratus morti eius, ut (per cooperationem) occurrat aliquo modo mortuorum resurrectioni. " In 1° textu τοῦ γνῶναι cum suo obiecto (Christo, virtute resurrectionis, communione dolorum eius), aliud non est quam terminus fidei (τῇ πίστει τοῦ γνῶναι : per fidem qua cognoscam Christum... (1). Notitia igitur de Christo quam iuxta Paulum sponte affert iustificatio, non est notitia intuitiva et experimentalis, sed abstractiva per fidem. In 2° membro participium συμμορφιζόμενος regitur ab εὑρεθῶ inveniar : cupit proin inveniri 1°) ornatus iustitia in fide qua nimirum plene cognoscat Christum, exemplar iustificati per suam resurrectionem ; et 2°) configuratus morti eius, id est, vere implens id quod baptismus et iustificatio significat, ut sic praeter iustificationem, valeat adipisci resurrectionem gloriosam ad quam iustificatio ordinatur. Et tametsi non admittatur constructio quam proposuimus, semper remanet certum notitiam significatam per γνῶναι non posse demonstrari experimentalem aut intuitivam (2).

" Vita mystica perspicue apparet, sic putant, in Gal. 2, 19. 20 : *Christo concrucifixus fui. Vivo autem iam non ego sed Christus in me* (3). Ubi Paulus non tam seipsum viventem, cogitantem, amantem, quam pro se Christum Dominum sentiebat „.

(1) τὴν ἐκ θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει, τοῦ γνῶναι αὐτὸν καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ. ἐπὶ τῇ πίστει non designat viam " iustitiae obtinendae „ nec copulanda est cum δικαιοσύνην, Paulus enim nexum inter fidem et iustitiam exprimit formula: iustitia ex fide „ vel " per fidem „; sed potius iustitiae iam obtentae fructum: ἐπὶ πίστει copulanda sunt cum sequentibus : " in fidei cognoscendi... „ i. e. in fide quae me doceat cognoscere... Et ita interpretatur locum Chrysostomus : ἐπὶ τῇ πίστει, φησί, τοῦ γνῶναι αὐτόν. — Ἄρα διὰ πίστεως ἡ γνῶσις... πῶς δέ ; Λι' αὐτῆς δεῖ γνῶναι τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ. Recitato scil. Philipp. 3, 10 pergit Chrysost. : " Ergo per fidem cognitio... Quo pacto ? Per ipsam enim cognoscenda est virtus resurrectionis eius „ (In Philipp. Hom. 11 ; M. 62, 265, 266).

(2) Hic locus ad Gal. passim ita explicatur ab asseclis Pauli " mystici „.

(3) Idem dicatur de his quae dicit in hymno de securitate iustificatorum Rom. 8, 31-39 : omnia illa dicuntur sensu obiectivo : vere iustificatus potest omnia proferre : sed num sit iustificatus sibi non constat immediata intuitione.

Sed si confertur Gal. 2, 19. 20 cum Rom. 6, 3–5 perspicue apparet primum testimonium aliud non esse quam brevissimam formulam doctrinae in altero traditae de symbolismo baptismi; i. e. proponi doctrinam generalem applicatam sibi per Paulum, sed quam exprimere eodem modo potest quilibet iustificatus, et quam de facto Apostolus ibi nomine omnium iustificatorum quorum personam gerit, profert. Paulus quidem mystico statu et unione fruitus est, et gradu altissimo, in ordine cognitionis sive contemplationis intellectualis (2 Cor. 12, 1-4) habuitque huius unionis plenam et certam conscientiam. Sed nec obiectum quod in illo raptu oblatum est eius intuitioni fuit Christus ut sibi per iustificationem copulatus (ibid. vv. 2. 3) nec in serie testimoniorum superius citatorum, non excepto Gal. 2, 20 loquitur de raptu de quo 2 Cor. 12 vel alio simili. In omnibus his locis Paulus loquitur nomine omnium iustificatorum et quilibet iustificatus potest eadem de seipso affirmare; nam omnia illa testimonia solum enuntiant id quod in ordine obiectivo, cum fidelis iustificatur, accidit. Quod Paulus haec tanto fervore dicat et quasi qui experitur id quod profert, non venit ex experimentali conscientia vel intuitione directa ipsius Christi praesentis aut unionis exsistentis, sed ex viva fide qua obiectivam veritatem apprehendit, et etiam ex effectibus quos in se experitur unionis cum Christo, quos tamen a Christo praesente esse non experientia aut intuitione sed aliunde cognoscit.

2 Cor. 12, 1–4 nec loquitur nomine iustificatorum sed proprio et personali, nec unionem Christi vel divinorum cum se exprimit eo modo quo in locis primae seriei. " Arcana illa verba " quae audivit, i. e. obiecta quae sibi immediate proposita sunt, non unita sunt ei obiective ut Christus ceu caput ad membrum in iustificatione, sed " intentionaliter „ per facultates et harum actus. Fieri etiam potuit ut status similis, etsi non eo gradu, quo 2 Cor. 12 saepe et forsan quasi habitu quodam in Apostolo continuaretur; sed nec talis status fuit perennis sicut unio per iustificationem; nec potuit umquam confundi cum eo, nec in eo stetit ut unionem iustificativam per experimentalem conscientiam persentiret cum id fieri nequeat. Imo nec adest ulla ratio dicendi factum huius unionis oblatum sibi per intuitionem immediatam fuisse. Si unio ipsa per iustificationem, seipsa, dummodo intensa attentio accedat, evaderet mystica unio in linea cognitionis, in tali statu mystico Christus sponte offerretur

eo modo quo de facto unitur iustificato, nempe ut caput respectu membri vel arbor respectu rami, ut novae vitae principium; et tamen in historia mysticae unionis non apparet tale factum, sed Christus sub multiplici forma agnoscitur, et plerumque repraesentatione vel sensibili, vel imaginaria vel intellectuali ad analogiam talium repraesentationum in intuitione naturali.

Quae vero Weiss (1) effutit de familiaritate quae per unionem iustificativam inauguratur inter fidelem et Christum, quae similis ei est quae inter duos amicos qui invicem colloquiis alternant intercedit dum mutuo alter alterum per " ego et tu „ se compellant (Ich– und Du– Verältnis) vix non ridicula sunt. Ubi in epistolis Pauli eum de suis intimis sensis loquitur, reperitur vel umbra talis familiaritatis? Paulus " flectit genua „ ante Christum et eum tamquam " summum Dominum in maiestate regnantem „ cuique coelestia, terrestria et inferna reverentiam praestant, et meditatur ipse et vult ut fideles meditentur.

6. Paulus et alexandrinismus philonianus

Non minus quam cum sectis mysteriosophicis, imo multo magis nanciscuntur critici identidem in epistolis paulinis analogias et " resonantias „ cum alio fonte scientifico–religioso illis aetatibus admodum diffuso; philosophia hellenica. Adsunt nimirum quaedam speculationis capita: Deus, animus humanus, mundus quae uberrimam quaestionum segetem humanae menti suppeditant, quaeque progrediente populorum cultura doctiorum hominum studia haud mediocriter illis saeculis provocabant. Iudaei omnes huius generis controversias ope revelationis sive pentateuchicae sive propheticae passim expediebant. Inter paganos revelationis defectum conabatur supplere ratio naturalis, et nonnumquam tali successu ut nonnulli ex eruditioribus primitivae Ecclesiae Patribus v. gr. Clemens alexandrinus Origenes et alii putarent id prope modum apud gentiles praestitisse magnos philosophos spiritualistas Pithagoram, Socratem, Platonem, Zenonem (2) ad notitiam veritatis ope rationis, quod apud iudaeos Prophetae ope revelationis. Nobilitate speculationis et remotione a crassioribus

(1) *Urchrist.* 355, 356.

(2) Zenonem, et Stoicos annumeramus spiritualistis, quia saltem crassum materialismum non profitebantur, et potius vel profitebantur spiritualismum nominibus materialisticis, vel materialismum spiritualistis, i. e. quid mixtum ex utroque.

materialismi erroribus eminuit prae aliis secta platonicorum ; et a saeculo III ante Christum partim ex contactu iudaismi cum platonicis, praesertim Alexandriae, partim ex naturali scientiae progressu, tale inter cultores Bibliorum et cultores philosophicarum disciplinarum commercium invaluit ut, cum de quibusdam scriptoribus utriusque partis, canonicis et profanis, est sermo, haud facile sit discernere utri ab utris et qua mensura influxum subeant.

Praetermissis aliis platonismi formis, peculiarem, etiam in ipso alexandrinismo, attentionem meretur philoniana conceptio, utpote quae maxime prae reliquis ad biblicam nonnullarum tam Veteris quam Novi Testamenti sectionum apud diversos scriptores conceptionem accedit. Nec mirum, cum Philo iudaeus esset fervidusque iudaicae religionis cultor, quique speciale studium posuerit in conciliandis inter se revelatione divina per Prophetas et humana ratione per philosophos. Hinc fit ut ex hodiernis criticis plurimi, inter scriptores canonicos nonnullos, Paulum nominatim, et alexandrinismum philonianum, magnam sibi cognationem detegere videantur pluresque paulinarum epistolarum sectiones nonnisi ex philonianismi influxu explicari posse existiment. Influxus hic, aiunt, duplici forma se prodit: 1) in doctrinis: 2) in forma interpretandi Scripturas.

Non omnes tamen eamdem mensuram in hoc influxu agnoscunt: plerique ex recentioribus provocant praesertim ad pericopas 1 Cor. 8, 6 ; Col. 1, 15–17 ; Hebr. 1, 1–4 ; haec ad " doctrinas „ quod attinet: in forma vero Scripturas interpretandi provocatur ad formas quasdam allegoricas in quorumdam conceptuum primariorum expositione (peccatum, lex Rom. 7 etc.) et ad speculationem de Melchisedec (1). Ut igitur perspicue appareat harum assertionum fundamentum ac rectius de earum valore iudicare possimus, opportunum erit philonianam conceptionem quoad utrumque caput summatim exponere.

Philo, sicut philosophia platonica in genere, ab hoc fundamentali capite exorditur : Deus et mundus (spiritus et materia). I. Deus. Deus tantum est perfectus ac bonus : res finitae, ut tales i. e. facta abstractione ab informantibus ex alto virtutibus, imperfectae. Qualitates proin entis finiti propriae, excludendae a Deo sunt, qui est aeternus, inmutabilis, simplex, liber, sibi sufficiens. At praeter exclusionem omnis imperfectionis (perfectio negativa), affirmandae positive de Deo sunt omnes perfectiones idque gradu

(1) I. Weiss, *Urchrist.*, pp. 368–370 ; Windisch, pp. 57-60 ; 120–122.

infinito, praesertim bonitas et pulchritudo. Rursus tamen proprie loquendo, nec ipsae hae perfectiones in suo quaeque conceptu singulari, utpote limitatam rationem exibentes, affirmandae sunt de Deo ; sed solum qua cum aliis identificantur in eodem divino esse significando. Uno verbo : in Deo cogitari proprie non potest nisi eius " esse ,, sine ulla limitatione, ita ut proprie Deus definiri non possit : omnis perfectio adest in Deo in absoluta unitate ; et quae in creaturis insunt, nonnisi a Deo derivatae exsistunt (perfectio positiva).

II. Entia intermedia. Deus utpote absolute perfectus, nequit in contactu inmediato cum materia cogitari : talis contactus Deum inquinaret. Hinc eius actio in materiam explicari solum potest per agentia intermedia. Ad haec agentia definienda Philo confugit ad " Ideas platonicas „ ; sed, quoniam de " agentibus ,,, non de meris " exemplaribus ,, agitur, auctas, iuxta conceptionem stoicam, vi operativa. Ideis addidit Philo " angelos „ iudaeorum et " daemonas „ graecorum. His demum, complementi instar, platonicum caput adiunxit de " anima mundi „. " Cum ergo Deus mundum hunc corporeum creare statuit, scribit, praefigurabat prius mentalem ut, adhibito incorporeo Deique simillimo, ceu exemplari, corporeum fabricaret, tamquam novum interni illius antiquioris simulacrum, qui tot sensibilia genera complecteretur, quot mentalia in illo praeexstiterant ,, (1). Formae autem hae mentales, exemplaria rerum corporearum, sunt simul harum " effectrices „ i. e. vi activa constant ; ideo appellantur a Philone δυνάμεις = " energiae ,, (2), iisque iuvatur Deus in effectione mundi non solum ut " exemplaribus ,,, sed ut " operatricibus „ tam in primaeva mundi molitione quam in conservatione et providentia (3).

(1) βουληθεὶς τὸν ὁρατὸν κόσμον τουτονὶ δημιουργῆσαι, τὸν νοητὸν προεξετύπου, ἵνα χρώμενος ἀσωμάτῳ καὶ θεοειδεστάτῳ παραδείγματι, τὸν σωματικὸν ἀπεργάσηται, πρεσβυτέρου νεώτερον ἀπεικόνισμα, τοσαῦτα περιέξοντα αἰσθητὰ γένη, ὅσαπερ ἐν ἐκείνῳ νοητά. (*De mundi opif.* Mangey, Pfeiff. I, 8. 10).

(2) ταῖς ἀσωμάτοις δυνάμεσιν, ὧν ἔτυμον ὄνομα ἰδέαι (De vict. offer. Mangey II, 261 Bene notat Zeller III², 361 Philonem non potuisse solis ideis platonicis conquiescere cum ageretur de explicanda actione " effectiva „ Dei in materiam : " die platonischen Ideen waren zu abstracter Natur, das wirksame Princip trat in ihnen zu wenig hervor, sie stellten nur die Urbilder des Sinnlichen dar, nicht die bewegenden Kräfte „.

(3) εἰς ὃν ὁ θεὸς ἀμυθήτους περὶ αὑτὸν ἔχει δυνάμεις ἀρωγοὺς καὶ σωτηρίους τοῦ γενομένου πάσης,... δι'αὖ-τούτων τῶν δυνάμεων ὁ ἀσώματος καὶ νοητὸς ἐπάγη κόσμος, τὸ τοῦ φαινομένου τοῦδε ἀρχέτυπον, ἰδέαις ἀοράτοις ἀσταθμήτοις ὅσπερ οὗτος σώμασιν ὁρατοῖς (*De confus. ling.* Mang. III, 394).

Virtutes hae appellantur a Philone " ministri Dei ,,, eius " Vicarii ,, ac " mediatores ,, inter Deum et mundana : " rationes ,, (logoi) sive partiales formae, operatoriae tamen, formae universalis. Nam, secundum Philonem, ex harum energiarum operatricum complexu ac veluti in unum coacervatione, exsurgit " Logos ,,, Ratio suprema mundi totius, veluti organismi cuiusdam harmonice subsistentis. " Logos ,, proin Philonis, secundum dicta, aliud non est quam " suprema totius Universi Ratio ,, in Deo, quae particulares rationes in se copulat.

III. " Logos „ in conceptione Philonis. Nomine " Logos ,, intelligit Philo Dei virtutem sive " Rationem divinam operantem ,, in genere ; eumque describit tamquam " Ideam ,,, quae partiales alias ideas ; " vim ,, seu " energiam ,, quae omnes alias vires particulares in se comprehendit ; est veluti " complexus omnium energiarum divinarum ,, (1). Logos non est neque increatum quid neque creatum ad modum rerum finitarum. Est Vicarius et Legatus Dei ; Angelus vel Archangelus, qui divinas revelationes nobis affert, instrumentum per quod Deus mundum creavit. Hinc identificatur a Philone cum " Verbo creatore ,,. Est autem " Mediator ,, non solum Dei ad mundum modo dicto, sed etiam mundi ad Deum : Est summus Sacerdos qui preces hominum coram Deo sistit. En praecipua philonianae conceptionis capita.

Quae de Logo dicta sunt sponte provocant dubium : num Philo eum veram hypostasin agnoscat, an de simplice personificatione agatur cum de eo personalia praedicantur ? Mangey inter alios putat dubitari non posse quin Philo veram personam in Logo agnoverit, imo Deo consubstantialem ac penitus talem qualem revelationis fontes ex. gr. Ioannes, Verbum describunt. Sic late in sua Praefatione ad edit. opusculorum Philonis. « Quibusnam dictis, scribit, clarius exprimi posset personalitas quam his quibus dicitur Dei filius primogenitus, Dei supremi imago, Angelorum primus et supremus, creaturis regendis praefectus, mundi universi conditor, Deus secundus et omniscius ? » (2) Sed bene observat Zeller : « attributa quae secundum nostrae conceptionis conditiones reclamarent Logou personalitatem, eliduntur ab aliis quae eam impossibilem reddunt » (3). Philo non perspiciebat hanc oppositionem,

(1) *De mundi opif.* 5 ubi λόγος θεοῦ ἤδη κοσμοποιοῦντος identicus fit cum κόσμῳ νοητῷ, ἀρχετύπῳ παραδείγματι, est ἰδέα ἰδεῶν. Si Logos est identicus cum mundo ideali, si est paradigma archetypum, idea idearum, evidenter constat energiarum particularium complexu (Cfr. Zeller, III, 2 p. 371).

(2) Praef. p. XXVII.

(3) *Philosophie der Griechen* III, 2. 378.

et secundum Philonis sententiam, Logos est simul personalis atque impersonalis : ac, consequenter, neutrum exclusive ac proprie. Quo pacto in talem contradictoriam conceptionem venerit Philo, haud aegre explicatur. Utpote iudaeus ac fervidus huius religionis et Scripturae cultor, cum in Sapientialibus et Psalmis legeret exstare in divinis hypostasin quamdam a Deo genitam quae nonnumquam Sapientia חכמה = σοφία appellatur, quaeque rerum creatarum fuerit vera effectrix ; cumque aliunde apud platonicos et stoicos aliquid simile in Logo reperiret, virtutem nimirum ad spiritus vel divinitatis sphaeras pertinentem, cui simile munus similisque habitudo erga Deum et mundum tribueretur, putavit se tam de religione quam de scientia optime meriturum si utramque conceptionem conciliaret, cum persuasum sibi esset id Deum per philosophos via scientiae inter gentiles perfecisse quod inter iudaeos per Prophetas et scriptores sacros. Sectam pithagoraeorum « sanctissimam » vocat. De platonica non minus honorifice sensit cum plura capita religionem et mores spectantia ex platonicis approbando desumpserit. Quod de platonicis, valet eodem modo pro stoicis (1). Quae igitur de energiis sive viribus sub altiori quadam, Logo, illas sibi subordinante legebat apud philosophos tamquam intermediis inter Deum et mundum, ea gemina exsistimavit his quae de Dei « sapientia » per orbem diffusa, deque Sapientia et Verbo-hypostasi mundi creatrice in sapientialibus traduntur. Huius entis intermedii « naturam » dein maluit determinare Philo ex philosophis ; et appellavit censuitque illud « adiectivae » potius quam « substantivae » indolis. Applicuit nihilominus ei munera et nonnumquam etiam nomina quae in Bibliis legebat applicata Sapientiae et Verbo, quia probabilius est eum, utpote iudaeum et pharisaeum, stricto monotheismo, qualem iudaei illarum aetatum profitebantur, adhaesisse, et sic impossibilem exsistimasse pluralitatem hypostaseon sive personarum veri nominis intra divinam naturam. Appellationes igitur illas personales itemque munera quae in Bibliis Sapientiam divinam ut veram et strictam hypostasin Deo summo consubstantialem supponunt, censuit meras personificationes. Hinc, etsi « conditiones » personalitatis proprias non secus atque nos et perspiceret et admitteret, non cunctatus est nihilominus in suo « Logo » copulare cum eius adiectiva natura, quia tacite semper supponebat agi de personificatione, non de rigorosa personalitatis attributione (2).

(1) Mangey, *Praef.* XXIII-XXV.

(2) Alii (Cornely, *Comm. in Sap.* Intr. p. 28) putant potius Philonem Logon exsistimasse veram personam sed non Deo consubstantialem. J. Weiss ait illa aetate communem fuisse persuasionem de exsistentia quorumdam entium inter Deum et materiam intermediorum, quorum natura fluctuaret inter personalitatem

Alterum caput quod ex philoniana schola derivatum in Apostolum dicitur, methodum respicit interpretandi Scripturas, atque personas quasdam vel categorias proponendi: notum est Philonem usum, imo abusum esse interpretatione allegorica; et personas quoque vel categorias quasdam ut legem, peccatum, allegorica forma pertractasse, sive extendendo factum singulare ad universam historiam, sive personificando abstracta, sive, e converso, abstracta certis vel personis vel eventibus concrete applicando. Hanc interpretandi methodum adhiberi a Paulo dicitur in sectionibus superius citatis.

His praeiactis, ad utriusque seriei sectionum analysin possumus iam gradum facere. 1) Paulus, aiunt Weiss, Windisch, alii, 1 Cor. 8, 6 appellat Christum: "illum per quem omnia„ δι'οὗ πάντα; similiter Hebr. 1, 2 "illum per quem fecit (Deus) et saecula„; δι'οὗ καὶ ἐποίησεν τοὺς αἰῶνας. Iam paria de suo Logo profert Philo: Logos est ille "per quem universus mundus (a Deo) creabatur„: δι'οὗ καὶ ὁ σύμπας κόσμος ἐδημιουργεῖτο (1), et alias, postquam Sapientiam cum Logo identificavit (σοφίας ἥ δὲ ἐστιν ὁ θεοῦ λόγος), pergit: δι'ἧς τὰ ὅλα ἦλθον εἰς γένεσιν: "per quam universa venerunt ad exsistentiam„.

Certe analogia, imo fere identitas expressionum quibus apud Paulum Christus, apud Philonem Logos, "universorum effector, conditor„ declaratur, indubia est; unde posset profecto alicui cogitatio subire annon Paulus vel Philonis ipsius, vel alexandrinismi (2) influxum passus sit. Sed cum ratio quare uterque tam eximiam suo "Demiurgo„ praerogativam concedat alia non sit nisi dignitas quam in eo agnoscit atque eo sensu praerogativam concedat quo dignitatem agnoscit, si Paulus ex Philone vel ale-

---

et impersonalitatem. Similiter Zeller: "Ob dem Logos eine besondere, von der göttlichen verschiedene Persönlichkeit zukomme, ist eine Frage, welche sich Philo allen Anzeichen nach gar nicht vorgelegt hat„. (Op. et vol. cit. p. 378). Haud inmerito haec scribit Zeller.

(1) *De spec. leg.* 1; iisdem verbis *De sacr. Ab. et Cain;* similibus alias saepe Cfr. Windisch, *Hebräerbr., 12;* Bauer, *Ioannes* pp. 8. 9.

(2) Cum de alexandrinismi philoniani in Apostolum influxu sermo est, non tam de scriptorum aut conceptionis ipsius Philonis, quam de complexus cuiusdam axiomatum et doctrinarum, uno verbo, de "scholae„ influxu agitur, iam ante Philonem in Aegypto praevalentis. Neque theorias has sive doctrinas quae apud Philonem inveniuntur invexit aut solus, aut etiam primus, Philo: appellantur eius nomine quia inter huius scholae antesignanos praestantissimus fuit Philo.

xandrinismo mutuatus esset praedicatum conditoris, Christum in suo esse fecisset aequalem vel identicum cum Philonis Logo. Et tamen Christus Pauli in suo esse differt toto coelo a Logo Philonis; dum enim apud Philonem Logos, ut vidimus, non est persona sed vis; aut si persona, non Deo consubstantialis; dumque contradictoria Philo de eo praedicat; Christus apud Paulum constanter est et perfecte definita persona, et Deo consubstantialis, nec ullo modo intermediarius inter Deum et creata, sed Filius creator cum Patre in eadem divina natura. Verum est Ioannem Weiss (p. 368) haud dissimilem vacillationem circa veram Christi naturam Paulo tribuere quam de suo Logo ostendit Philo, sed perperam; nullibi enim Paulus sensu proprio appellat Christum δύναμιν aut aliquid simile, ut expressis verbis Logon appellat Philo cum eius naturam definire vult.

2) Paulus appellat Christum "imaginem Dei„: ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ θεοῦ: "qui est imago Dei„ (Col. 1, 15); et Hebr. 1, 3: "splendorem gloriae, i. e. maiestatis Dei„, "figuram substantiae eius„ ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ: porro genuina de Logo reperimus apud Philonem: σκιὰ θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ (1). — Solutio eadem est, atque in praecedenti serie. Verum est Logon, apud Philonem, Dei imaginem exhibere, sed non est imago viva, sed mortua vel quasi mortua, utpote vita carens subsistentiae qua fruitur Christus apud Paulum; aut si viva, nullo modo consubstantialis.

3) At in sequentibus Col. 1, 15ᵇ – 17 detegit maxime I. Weiss parallelismum inter Paulum et philonianam conceptionem, in attributis nimirum quibus ornatur Christus in hac pericope, quae omnia et singula gemina his sunt quae Philo in suo Logo detegit. Christus declaratur "imago Dei, Primogenitus in universa creatione„ (πρωτότοκος πάσης κτίσεως), quia "in ipso condita sunt universa in coelo et in terra, visibilia et invisibilia, throni, dominationes, principatus et potestates: omnia sunt per eum et ad eum (seu eius intuitu) condita: ipse praecedit cuncta et cuncta per ipsum consistunt„. In hac descriptione *a*) Christus dicitur "imago Dei„, qui Deum perfecte repraesentat, et cuius proinde ope Deus potest perfecte agnosci. Idem de Logo asserit Philo cum eum appellat "imaginem et umbram Dei„ εἰκόνα, σκιὰν τοῦ θεοῦ (Leg. alleg. 3). *b*) Declaratur "Primogenitus creationis„ qua-

(1) *Leg. alleg.* Mang., 1, 106.

tenus "in ipso„ creata sunt omnia, i. e. cum ipse creatus est, in eo et cum eo omnia creata sunt; sicut Logos apud Philonem est omnium creatorum summa, collectio, idearum idea. *c*) omnia "ad ipsum ordinari dicuntur, nexu nimirum non eschatologico, sed logico; ad modum scilicet quo apud Philonem creatio externa Logon evolvit, ad cuius exemplar efficiuntur. *d*) omnia in Christo consistentiam habent quia Christus concipitur sicut Dei spiritus qui mundum vivificat, non secus atque Logos apud Philonem, maxime vero apud stoicos, est mundi anima (1).

Perfectus hic et consummatus parallelismus inter Paulum et Philonem, qui tametsi staret, nondum demonstraret dependentiam Pauli a Philone, non alia via obtinetur quam detorta penitus Pauli sententia ad sensus ab eius mente alienissimos. Secundum Paulum Christus non quomodocumque est fidelissima Dei imago sed "qua incomprehensibilis„ et quia eius incomprehensibilitatem in se retrahit unde Christus est verus Deus eique consubstantialis, id quod de Philonis Logo dici nequit. Ad *b*) Praepositio ἐν non est "continentiae„, sed "causalitatis effectivae„ ut ex sententia synonyma "per ipsum (δι' αὐτοῦ) creata sunt omnia„ perspicuum fit. Quo posito, evanescit quaevis analogia cum Logo Philonis veluti "creatorum summa„: increatus non potest ad creata revocari, eisve connumerari. Ad *c*) nexus significatus per particulam εἰς (εἰς αὐτόν) inter creaturas et Christum non est logicus sed vere eschatologicus, in quo nulla adest difficultas ex Pauli monotheismo, quasi ordinatio creatorum ad Christum deroget ordinationi in Deum; Christus enim in Pauli theologia Deus est.

Ad *d*) hinc in paulina conceptione Christus non est "anima creatae molis„: creator (ὁ κτίζων) est extra ac supra censum τῶν κτισθέντων, nec eius causalitas est formalis sed "efficiens„, in creata: continet igitur ea quia quidquid habent, ab eo habent; et quod semel creata pergant in exsistentia exinde est quod Christus qua Deus, virtute sua divina, sustentat universa in esse per creationem recepto.

Interrogabit forsan quis: et quare in Philone adstruimus illam vacillationem et inconsequentiam inter «naturam» quam Logo attribuit et praedicata quae ei applicat, nec ullum conatum adhibemus ad extrema concilianda, dum e contra, Paulum omni pretio ab inconsequentia vindicamus, cum tamen toties loquatur de Christo vix non eodem modo

(1) *Urchrist.* p. 370–272.

et iisdem verbis atque Philo de Logo? Responsum est obvium : 1) quia Paulus cum naturam Christi definit, *numquam* eum aut ut « energiam » quantumvis divinitati proximam ; aut ut non consubstantialem, aut haesitanter inter haec extrema, sicut Philo suum Logon, describit ; sed semper sibi constans, eum ut personam, ut plane consubstantialem, ut intra divinam naturam constitutum ac esse divino fruentem exhibet. 2) quia Philo obnoxius est duplici seriei fontium, biblicorum et hellenicorum quorum utriusque vix non eamdem auctoritatem tribuit, ex principio quod de rationis munere inter gentiles, Deo ita ordinante, profitetur : unde fit ut cum « Logou » naturam definire vult, fontes hellenicos adhibeat ; cum attributa, et hellenicos et revelatos. Id quod in hoc altero puncto dicimus, dicit eodem modo testis minime suspectus, Zeller (1) : Paulum vero, praeter quam quod, ut ipse testatur, revelationem a Christo plenissimam habuit, etiam humanitus loquendo, non erat obnoxius duplici fontium ordini, sed unico, Veteri Testamento, ac traditioni christianae praepaulinae, et sic immunis erat ex hac parte a periculo vacillationum exinde manante. 3) Quamvis Philo iudaeus esset, et satis fervidus, tandem, subibat, nec in exigua mensura, influxum exterorum agentium non semper satis orthodoxorum, quales erant scholae philosophicae graecae. Hinc, accedente principio quod saepius innuimus, atque rigido monotheismo iudaico qui pluralitati hypostaseon in divinis parum favebat, nihil mirum quod fontes biblicos hac in re non satis expenderet aut perperam interpretaretur.

4) Nimirum historia religiosa generis humani duplicis classis documenta nobis suppeditat, quae alte de Deo, de mundo, deque utriusque mutua habitudine speculantur : biblica et extrabiblica in graecorum philosophis. In his postremis iam saec. VI a. Chr. (2), sed praesertim a Platonis aetate, ad habitudinem inter Deum et mundum explicandam, admitti coeptae sunt certae quaedam formae quas Plato "ideas„ appellavit ; eaeque vel "exemplares„ ut a platonicis, vel "effectrices„ ut a stoicis post Platonem statutae sunt. Harum idearum ope Deus mundum condidit per diversas entium categorias sive genera, quae in ordine corporeo respondent ideis divinis. Praeter "particulares„ vero ideas, adstruebatur insuper certa quaedam eis altior quae eminenter omnes particulares contineret, quamque "Logon„ appellarunt, quae universae creationis ad harmonicam unitatem redactae, rationem sive arche-

(1) Cfr. eruditam et dilucidam eius expositionem de Philonis systemate (*Philosophie der Griechen* III, 2. 352-390).

(2) Ne scilicet vel rude veterum stoicorum cum Zenone (eleatensi) et Heraclito tentamen omittamus.

typon exhiberet. Hanc theoriam iam a platonicis et stoicis excultam, expolivit Philo modo quo superius vidimus, adscitis large notionibus ex fonte revelato derivatis, et neoplatonismus postea evolvit ulterius mutuatis ex christianismo novis novisque additamentis. E regione, aut parallelo ordine ad haec, exstant documenta biblica quae ordine retrogrado enumerata ita sistuntur: Ioannes, Paulus, Ecclesiasticus, Sapientia, Proverbia. Haec quoque documenta idem argumentum agitant, atque in creatione et conservatione rerum conditorum adstruunt " cooperatorem „ cum Deo, cui etiam similia munera, attributa et etiam nomina applicant quae fontes illi philosophiae hellenicae suo " Logo „.

At cum hac magna similitudine adest nihilominus inter documenta biblica et extrabiblica si paulisper a Philone abstractionem facimus, ingens discrimen: quod dum " Logos „ philosophicarum scholarum nullo modo sit " persona „ proprie talis, sed " vis „, energia, δύναμις; in documentis biblicis Novi Testamenti, Paulo et Ioanne, sit et constanter exhibeatur ut vera " persona „, perfecte definita, eaque divina, Deo consubstantialis. Quod enim quidam ut I. Weiss velint apud Paulum detegere similem vacillationem atque in fontibus extrabiblicis hac in re, id sine ullo fundamento fit ut abunde suo loco demonstravimus. Ad documenta Veteris Testamenti quod attinet: Ecclesiasticum, Sapientiam, Proverbia, etsi " cooperatori „ cum Deo non applicent nomen " Logos „ sicut Ioannes (1), sed nomine " Sapientia „, σοφία, חכמה appellent, ad munus quod spectat relate ad creata, idem omnino ei tribuunt quod Ioannes suo Logo. Num etiam sicut Paulus et Ioannes personam bene definitam faciant, eamque Deo consubstantialem, etsi res tam perspicua non sit ut apud praedictos Novi Testamenti scriptores qui " cooperatorem „ cum Iesu historico ratione sui divini esse personalis plane identicum faciunt, et sic personam; duo tamen sunt quae eamdem in scriptoris mente sententiam de sua Sapientia satis perspicue demonstrant. 1) Quamquam " Sapientia „ genericum nomen sit quod potest et " sapientiam attributum Dei „ et Sapientiam " hypostasin divinam „ significare; ac rursus plurimae sectiones in sapientialibus aut de sapientia attributo agant, aut ancipitis sensus sint; remanent nihilominus adhuc plures aliae quae attento contextu vix nisi de Sapientia

(1) Ioannes nomen " Logos „ forsan mutuatus est ex graecis etsi improbabile non sit etiam nomen ex Sapientia mutuatum esse, quamquam deflexa forte tantisper vocis significatione.

hypostasi divina explicari possunt. Sic Eccli. 24, 5. 6 ; Sap. 7, 21. 25. 26 ; 8, 3. 4 ; Prov. 8, 22 seqq. In his enim sectionibus ex una parte " Sapientiae „ attribuuntur praedicata divina et quae de se personalia sunt ; ex altera dicitur Sapientia " genita „ a Deo (Pr. 8, 22. 24 ; Eccli 24, 5) in aeternitate. Cum aliunde in Psalmis 2, 7 ; 110, 3 (LXX 109) itemque Prov. 30, 4 de generatione intra divinam naturam et a Deo sermo sit, omnia suadent ut speciales illae Sapientiae sectiones ad unum idemque revelationis caput cum Pauli et Ioannis sectionibus revocentur ac de Sapientia-Hypostasi divina intelligantur, ita ut quod iam ex Sapientialium contextu valide admodum suadetur, omnino extra quodvis dubium ponatur accedente Novo Testamento secundum quod certissime datur in divinis vera generatio ac personarum pluralitas (1).

Exstante hoc discrimine inter fontes biblicos et extrabiblicos ex philosophia hellenica, indubium fit *a*) Paulum non ex hellenicis sed potius ex biblicis suam doctrinam hausisse. *b*) Ad Philonem quod spectat, etsi multum ad documenta biblica accedat cum Logon praedicatis personalibus ornet, tamen secundum dicta, vel non admittit veram eius personalitatem, vel non satis eam perspexit, vel certissime personam " divinam et Deo consubstantialem „ in suo Logo non agnovit. Fieri autem non potest ut quandoquidem Paulus in fontibus biblicis reperiebat utrumque : et munera cooperatoris et eius personalem ac divinam indolem, in hellenicis vero etiam habito prae oculis Philone, utrumque simul non reperiebat, ex hellenicis documentis suam doctrinam desumpserit.

5) Ex iisdem principiis solvitur quaestio de mutua utriusque ordinis fontium habitudine ; num scilicet " Sapientia-Hypostasis „ biblicorum fontium in suo complexu et primaria origine sit " sublimatio „ ex " Logo „ hellenicorum fontium, an " Logos „ hellenicus " deformatio „ Sapientiae-Hypostasis fontium biblicorum, an demum utraque schola repraesentet independentem processum speculationis. Critici heterodoxi tamquam axiomaticam atque in-

(1) Mirum sane est quod a nonnullis catholicis scriptoribus ex una parte concedatur Messiam appellari a Iahve " Filium suum „, ex alia negetur appellari " Filium Dei „. Nec minus quod concessa in sapientialibus naturalis generationis declaratione intra naturam divinam, negetur talis declaratio in Ps. 2, 6 cum et textus multo perspicuius eam exprimat, et Paulus dicat Rom. 1, 2 Deum in Veteri Testamento " Evangelium „ praenuntiasse de " Filio suo qui factus est ei secundum carnem „ ; cumque Hebr. 1, 5 primam fundamentaliorem que probationem ex Scriptura pro Christi divinitate ex Ps. 2, 6 desumat. (Cfr. Lebreton, ***Les orig. du dogm. de la Trin.*** p. 120. 121).

dubiam veritatem critico-historicam habent dependentiam fontium biblicorum ab hellenicis. Secundum hos criticos praerogativa inductae speculationis de Logo et annexis, ad platonismum de iure pertinet; biblici fontes universi, non excepto Proverbiorum libro, recentiores sunt et ad hellenicam aetatem plane revocantur, atque ex contactu cum hellenismo post Alexandrum exorti sunt. Nam, aiunt, hebraei antiquiores ab omni huius generis speculatione abhorrent (1), dum e contra, graecos iam a saec. VII et VI ante Christum multo magis V et IV videmus magnos in sublimiori speculatione ac philosophia progressus fecisse. Hellenicum plane axioma est, non hebraicum, antithesis inter " materiam „ et " spiritum „, " mundum „ et " Deum „; unde sponte prodiit theoria de " ideis intermediis „ ac " Logo „. Vel igitur in Sapientialium sectionibus de quibus agitur, sermo est de simplici poëtica " Sapientiae „ personificatione, id quod longe probabilius est, et elevatio ad categoriam Hypostasis in Novo Testamento aliud non est quam audacior conceptionis evolutio quae philonianismo viam commonstrante consummata est; vel si iam in Sapientialibus recentioris originis (Sap. Sal., Sap. Sirac) speculatio pertigit forsan hypostasin, de casu agitur penitus parallelo cum Philone: in Proverbiis nullo modo de Hypostasi agitur: locutio חוֹלָלְתִּי (concepta sum) metaphorica est, sicut Ps. 90, 2 (2) eadem locutio applicatur " terrae „ et " montibus „ (3).

Attamen serena documentorum et historiae analysis haud facile hanc affirmationum congeriem sine correctione permittet. In primis Patres et in his Eusebius, qui multo melius quam nos hellenicae culturae historiam agnoscebant, una voce contrarium tenent; et quamvis non omnia et singula quae in hoc genere tradunt aeque fundata sint, caput nihilominus de quo nunc agimus, multo probabiliores rationes reperit in Patrium quam in recentiorum criticorum sententia. Ut indubia a dubiis secernamus, negari omnino nequit documenta biblica quae illo ordine proponimus: Ioannem, Paulum, Ecclesiasticum, Sapientiam, Proverbia, in sectionibus vel pericopis de quibus concrete est quaestio, exhibere conceptionem plane uniformem de Verbo vel Sapientia-Hypostasi; nam certo certius est praedictas Sapientialium sectiones multo magis ad Ioannem et Paulum accedere quam ad quosvis hellenicos fontes non excepto Philone: in hoc enim saltem dubium est num Logos persona sit, dum in Ioanne et Paulo ambigi de hoc nullatenus potest.

(1) Toy, *Proverbs* Intr. XXII.

(2) Id ibid. p. 174.

(3) Sic passim cum citato scriptore recentiores etiam nonnulli catholici.

Cum aliunde documenta haec ad eamdem palaestinensem familiam pertineant (1), cordatus quisque criticus conceptionem hanc veluti eamdem, et successive in familia transmissam: sicque veluti iam in Proverbiis saltem enatam pronuntiabit. Qua autem aetate, et quibus saecularis culturae adiunctis scribebatur Proverbiorum liber? Certe, pericope 8, 22 seqq. quae ad primam libri collectiunculam 1, 1-9, 18 sine dubio pertinet, ante aetatem Ezechiae exarabatur, cum philosophia graeca vix primos vagitus ederet procul a Palaestina. De hypostatico valore Sapientiae in hac pericope dubitari serio non potest ex arcta cognatione ceterorum Sapientialium et Novi Testamenti ; et ex coaeva, imo antiquiori persuasione de vera in divinis generatione (Ps. 2 et 110) collatis cum pericopes contextu. Exceptio Professoris Toy non tenet : in P. 90 evidenter locutio sumitur metaphorice, ut ex subiecto (terra, montes) et ex genere litterario plane poëtico, quod utrumque alienum a Proverbiis est, apparet (2). Ad Philonem quod attinet, nec ad bene definitam hypostasis notionem in Logo assurgit, et praedicata huius generis quae Logo attribuit ex nostris sapientialibus desumpta sunt. Quod de reluctantia hebraeorum ad altas de Deo ac mundo speculationes additur, haec observamus : *a*) populus a vetustissimis temporibus in tota antiquitate est monotheismo addictus, et monotheismus hebraicus certe multo aptior polytheismo est ad altas de divinitate speculationes quales eae sunt de quibus agimus. *b*) cosmogonia, quae rursus antiquissima est, non favet heterodoxorum criticorum opinioni, nec libri Prophetarum nec divinum nomen (Ex 3, 14 ; 6, 3) ; et ad religiosam culturam quod attinet, hebraica quae relucet in Pentateucho, Prophetis et Psalmis infinite praestantior est quavis vel altissima philosophorum graecorum. *c*) theoria de Logo qualis a graecis exculta est, theologicis hebraeorum axiomatis non congruit, qui nullam umquam difficultatem deprehenderunt in inmediato Dei cum materia contactu per creationem et providentiam. Quod si proin hebraei cooperatorem assignant Deo ad primaevam creationem, multo magis obvium est ut illum « extra creata » requirerent et sic vere divinum et consubstantialem statuerent, quam intermedium ob rationem quae apud illos nulla erat. *d*) hebraei haec omnia non speculatione naturali, sed ex revelatione hauserant quae novis dein accessionibus amplificabatur praesertim in Novo Testamento per Christum.

(1) De Paulo nulla est difficultas : de Ioanne praestantiores critici ut Weizsäcker idem concedunt (*Apostol. Zeitalt.* p. 531 de Paulo p. 550); similiter Harnack; accedit Bacon, (*Ioannes* 1912 p. 7). Si quis vero morosus esset, facta distinctione in 4. Evangelio inter traditionem quae ibi cubat et libri scriptorem, parallelismus cum Paulo confirmat notionem plane personalem pro ipsa traditione.

(2) Negari nequit Proverbia connumerari inter libros poëticos et rythmo ac metro ligari: sed poësis haec est late talis et philosophica, nempe, quae apophtegmata rationis presso quodam sermone expromat.

II. Genuini paulinae conceptionis fontes

1 Revelatio Christi, Vetus Testamentum, traditio praepaulina

Quales demum concrete fuerint paulinae conceptionis fontes ex Apostoli expressis declarationibus facile constat. In citato fragmento autobiographico Gal. 1, 11–2, 21 protestatur, atque suas assertiones solemni iureiurando confirmat (1, 20) Evangelium quod apud gentes praedicat, se non a fontibus humanis, sed " ex Christi revelatione hausisse „. Paulus non poterat declarationem tam solemnem ac categoricam facere si conceptionem suam vel ex mysteriosophia hellenistica vel ex alexandrinismo aut quovis alio profano fonte hausisset. Secundum priorem hypothesin elementa ex hellenisticis mysteriis suppeditassent Apostolo, si fides Professori Dieterich habenda, medullam suae conceptionis, selectissimam purissimamque eius portionem : " symbola et imagines mirae profunditatis „ (1). Poterat Paulus talia elementa ut divinam revelationem aut aliis venditare, aut sibimet imaginari ? Rursus nec poterat conceptio mysteriosophica ostentare in formis secundariis et derivatis augustam sublimitatem et puritatem a qua tantopere in domestica forma distabat. Similia de aliis profanis fontibus dici possunt. Poterat Paulus Christum tam firmiter ut veram personam Deo consubstantialem sine ulla titubatione constanter proponere si quae de sua superiori natura disserit ex Philone desumpsisset ? Sed plus adhuc ex Pauli verbis discimus hac de re. Rom. 1, 2. 3 Evangelium " in historia „ et Evangelium " in promissione „ proponit veluti duplex successivum stratum eiusdem divinae revelationis : Evangelium quod in praesenti praedicatur ab Apostolo veluti historia quae nunc, " diebus istis „ (Hebr. 1, 2) in persona Christi completa erat, in eius nimirum adventu, missione, praedicatione, officiis, aliud non est quam illud ipsum Evangelium iam pridem in Veteri Testamento a Deo promissum *de suo Filio*. En alter fons paulinae conceptionis ; fieri enim non poterat ut, quandoquidem Vetus Testamentum agnoscebat veluti Novi praedictionem a Deo ipso factam, non quaereret ibi diligentissime quidquid de persona, adventu, missione, muneribus Christi agnosce-

(1) Dieterich, altissima quae in paulina conceptione circa redemptionem et iustificationem ex impurissimo mysteriorum hellenisticorum caeno derivari ait.

bat accurate et singillatim praenuntiatum. Et revera, tota mysteriologia Pauli de Christo ex Veteri Testamento desumpta est. Pauli conceptio de generis humani redemptione per Christum, Hominem-Deum, consummata, qui nimirum pro redimendo ac redintegrando humano genere moritur et resurgit a mortuis, non aliunde hauritur ab Apostolo quam a Scripturis Veteris Testamenti. " Mors Christi „ quam Paulus ut primarium sui Symboli articulum docet in prima neophytorum catechesi est " mors secundum Scripturas „ i. e. quam Scripturae iam pridem edocebant; ac similiter eius sepultura ac resurrectio (1 Cor. 15, 3). Nec mors, sepultura et resurrectio Christi de quibus agitur traduntur in Scripturis ut nuda facta, quorum tamen significatio religiosa et valor posset per symbolismum explicari qui eis ex aliis fontibus adaptaretur; " mors Christi secundum Scripturas „ est mors " pro peccatis hominum „: " Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas „ (1 Cor. 15, 3). Cum ergo Rom. 4, 25 scribit Christum Dominum " traditum esse propter delicta nostra „ et " resurrexisse propter iustificationem nostram „ aliud non docet quam quod in V. Testamento didicerat. Et de facto tota Pauli conceptio de morte, sepultura ac resurrectione Christi, earumque reconciliativo et restitutivo valore recurrit per singula capita Isai. 49, 4–8 et uberius 52, 13–53, 12, ubi Propheta completam doctrinam nobis tradit de redemptione per mortem expiatoriam et vicariam cum respectivis eius fructibus, adamussim respondentem per singula, conceptioni paulinae. In sectione illa Isaiae Deus imponit Servo suo, per ipsum expianda, scelera omnium hominum (53, 6); et Servus onus acceptat (53, 4) sese ad mortem liberrime offerens (52, 7. 10. 12): eius livore ac morte salutem recipiunt homines (53, 5): Servus eos tergit et iustificat (52, 15; 53, 11). At Servi morte non accipit finem eius opus: consummata eius inmolatione, cernit Propheta fructus eius sub Dei manu propagari (53, 10), et multi in cursu saeculorum reservantur Servo incorporandi (53, 8. 10). Nimirum Servus, etiam post sui inmolationem, vita fruitur, ita ut gloria postuma ingens ei reservetur, quae alia non est quam quae ei in Ecclesia atque Ecclesiae historia post resurrectionem usque ad finem saeculorum protenditur. Haec omnia et singula passim apud Paulum recurrunt; praesertim vero Rom. 3, 24–26; 5, 12–19; Philipp. 2, 8–11. Nec deest apud Isaiam attributum divinitatis in Messia patiente, cum Servus capitum 49 et 53 evidenter idem ille sit qui 7, 14–9, 6 velut

magnus Restaurator describitur ; quique 9, 5 perspicue ut verus Deus apparet. Certe isaianam descriptionem de Homine-Deo pro humanis sceleribus moriente, sibique homines ad eos deificandos incorporante, nemo iure dicet ex hellenismo derivatam, cum, fatente ipso Duhm, " poëmata Isai. 42, 1–4 ; 49, 1–6 ; 50, 4–9 ; 52, 13–53, 12 eiusdem scriptoris sint ,,, qui " antiquior est auctore sectionis Isai. 55–66 ,,, isque rursus " vetustior Nehemiae regimine ,, (1) a quo adhuc distat Alexander Magnus plus quam integro saeculo (2). Totam Pauli christologiam ex Veteri Testamento desumptam esse declarat ipse Apostolus in oratione ad Agrippam (Act. 26, 22). Neque alter hic fons, Vetus scilicet Testamentum, opponitur priori de Christi revelatione : Christus cum revelabat Paulo Evangelium, in multis, sicut cum discipulis Emmaus fecerat et cum Apostolis (Lc. 24, 27. 45), Vetus Testamentum illustrabat et explanabat ; in aliis ad illud provocabat.

Restat tertius fons, apostolica praepaulina traditio, quam et a Paulo probe cognitam et a duplici praecedenti fonte minime exclusam esse perspicuum est. Huius traditionis praepaulinae vestigia recurrunt crebro apud Apostolum. 1 Cor. 11, 23-30 doctrinam de Eucharistia a se corinthiis praedicatam ex " traditione ,, derivat, et de facto in historia institutionis praesertim apud Lucam reperimus eam fere totidem verbis (3). In eadem Epistola 15, 12 articulum de resurrectione Christi, quae exemplar est resurrectionis iustorum, exhibet veluti pertinentem ad communem Evangelii per omnes praecones evangelicos praedicationem. Ad Rom. 6, 3-5 symbolismum baptismi de incorporatione mystica ad Christum proponit Romanis tamquam caput bene ab eis notum ex catechesi quam certe Romani neque ab Apostolo neque ab ullo ex suis sociis audierant (Rom. 6, 3). Idem dicatur de articulo peccati originalis Rom. 5. Secundum Tit. 3, 5. 6 baptismus christianus est " lavacrum regenerationis ,, i. e. regenerativum : id quod Christus docet Ioann. 3, 5–8. Idem dicatur de secundo Christi

(1) Duhm, *Das Buch Iesaia* [3] (1922) p. 15. A fortiori alii critici protestantici agnoscunt antiquitatem sectionum de " Servo Iahve ,, etsi Isaiae non tribuant, sed " Deuteroisaiae ,, babylonici exilii coaevo. Sic Driver, Skinner, alii.

(2) Nehemias florebat medio saeculo V ante Christum et Alexander nascebatur anno 352.

(3) Lucam vero etsi plura in suo Evangelio ex Paulo desumpserit, " historiam Christi ,, non ex Paulo sed ex testibus oculatis hausisse ex eius Prologo constat.

adventu, iudicio extremo, Domino Iudice, iudicandorum congregatione per angelos, sono tubae etc. quae singula apud Synopticos leguntur. Et bene ac sedulo notandum ea quae de baptismo, incorporatione ad Christum, renovatione, futura iustorum resurrectione duce Christo, supponere systema completum de restauratione per Christum quale vidimus ab Apostolo late in suis scriptis evolvi; neque enim haec quae ex praevia traditione casu et per fragmenta apud Paulum occurrunt, putanda sunt sic disiecta et sine harmonico nexu sparsim vagata fuisse in traditione praepaulina: notitia ad quam Paulus provocat non est notitia de iis tamquam fragmentis disiectis, tamquam membris organicis eodem prorsus sensu quo ab Apostolo in sua catechesi proponuntur.

Dicet forsan quis: si Paulus traditione didicit Evangelium, ad quid Christi revelatio? Responsum obvium est: Paulus haec omnia revelatione didicit; sed eadem postea noverat et viderat a reliquis apostolis proposita: sic post plures annos bene potuit ad horum capitum notitiam ex reliquorum praeconum praedicatione acceptam provocare. Aliud est "prima notitia,,, aliud posterior experientia et "confirmatio,, ex alio fonte, aeque tamen fide digno, utpote qui ex eodem revelante, Christo, manabat. Revelatio Christi, Vetus Testamentum et traditio varii erant fontes qui eamdem Paulo doctrinam aperiebant, et ad omnes poterat Apostolus provocare pro opportunitate. Non est ulla inter eos oppositio nec se multo excludunt.

Quoniam ad adstruendum primum ac praecipuum paulinae conceptionis fontem qui revelatio Christi est, usi sumus testimonio Epistolae ad Gal., fieri potest ut alicui in mentem veniat haec obiectio: epistola ad Galatas forsan scribebatur sub initiis controversiarum de mosaismo, et sic cum Apostolus rudem adhuc de Evangelio notionem sibi efformaverat, quam postea perpolivit mutuatis hinc illinc pluribus ex multiplici fonte: cur posteriore hoc tempore non potuisset Paulus ad mysteriosophiam et ad alios fontes confugere ita ut etsi revera «germen» paulinae conceptionis non esset derivatum a mysteriosophia hellenica, in corpore tamen exinde evoluto reperirentur plura ex tali fonte? Nam secundum quosdam criticos ut ex. gr. Sabatier, Paulus, etsi sub iugi Christi in eius animo inhabitantis influxu, lento nihilominus cursu et evolutione suam conceptionem elaboravit: hinc in Epistola ad Gal. cum ad Christi revelationem provocat, de primaevo tantum germine Evangelii loquitur, quod postea ample, vocatis in auxilium, utique sub Christi ductu, omnis generis subsidiis, expolivit. At «Evangelium» in Epistola ad Gal. conceptionem supponit perfecte ac plenissime evolutam, non secus atque

in epistola ad Romanos. Sententia : Χριστῷ συνεσταύρωμαι ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός : « Christo concrucifixus fui : vivo non iam ego, sed qui vivit in me Christus est », formula est mirae comprehensionis qua Paulus in compendium redigit totum processum iustificatorum qualis in Epistola ad Rom. evolvitur per tota quatuor capita 5-8. « Concrucifixio cum Christo » quae acquisitione coronatur novae vitae, cuius principium non iam iustificatus, sed Christus est, complectitur incorporationem cum Christo in cruce ad eius ulteriorem fortunam in posterum participandam in eius morte, sepultura ac resurrectione ad novam vitam, informatam scilicet spiritu infuso, qui emanatio est Christi, a quo, ceu capite, per eius membra diffunditur, propriam Christi vitam communicando. Praeterea ritus concretus, quo mediante, iuxta epistolam ad Galatas, eodem modo atque iuxta illam ad Romanos, fidelis Christo mystice incorporatur, est baptismus (Gal. 3, 27-29) ex quo exsurgit, sicut Rom. 6, 4-11 « novus homo », sic Gal. « nova creatio », καινὴ κτίσις (Gal. 6, 15) ; quae proin, prout *creatio* vel *creatura* i. e. *homo*, non potest sine vita remanere ; et prout *nova* nequit iam ceu suae vitae principium *veterem* concupiscentiam, sed iustitiam recens infusam, habere. Parallelismus inter Gal. et Rom. non solum substantialis, sive germinalis et in nucleo sed plane totalis est per totum iustificationis processum, nec potuit Gal. 2, 20, habita prae oculis doctrina de baptismo (Gal. 3, 27-29) in illam brevissimam formulam contrahi, nisi totus processus per singula elementa, qualis describitur Rom. 5-8, plane evolutus prae mente Pauli versaretur. Iam vero, posita solemni et iurata declaratione Gal. 1, 20 quae certe non minus quam ad v. 19 refertur ad praecedentia 13-18, impossibile est medullam selectissimam paulini Evangelii quae Gal. 2, 14-21 ab ipso Paulo exponitur, ad ullum fontem revocare a revelatione distinctum.

2. Paulus et Christus historicus.

Quae de notitia diximus praepaulinae super Christum traditionis apud Apostolum, sponte sua in analysin nos ducit pervulgati illius inter nostrae aetatis criticos apophthegmatis de terrestri Iesu vita sive de Iesu homine et eius gestis plane apud Paulum ignoratis. Paulus, scribit Weizsäcker, traditionem quidem de Iesu non absolute ignoravit ; attamen " nullibi adest vestigium, quod Apostolus notitiam hanc adhibuerit umquam ut ostenderet quis Iesus esset „ (1) i. e. ut ex Iesu vita et gestis, eius personalitatis indolem fidelibus definiret. Talis agendi ratio, pergit Weizsäcker,

(1) Weizsäcker, *Apostol. Zeitalt.* 118.

explicatur ex eo quod Christus a Paulo cognitus est tantum ut a mortuis suscitatus : haec notio de Christo pervadit penitus Apostoli mentem. Hinc eum appellat " Dominum „, usus nimirum hac appellatione tamquam " divinae „ et minime humanae potentiae symbolo. Obiicietur quidem, pergit Weizsäcker, praedicationem Iesu ita ad breve compendium apud Apostolum redigi ut ad " Christum crucifixum „ revocetur, quae nimirum formula paulinam conceptionem de Iesu arcte ad terrenam eius vitam nos remittit cum crucis supplicium, ultra mortem corpoream, diuturnam praeterea persecutionum et sic corporeae vitae durationem evocet. Sed dempta, respondet, hac indirecta allusione, mors Christi in Pauli conceptione aliud non est quam transitus ad gloriam, et sic copulatur potius cum posteriore caelesti quam cum praecedenti terrena vita et commoratione. Paulus igitur Christum suum facit a terreno diversum (2 Cor. 5, 16) : Christum agnoscit ut " Dei Filium „, " Adam novissimum, coelestem „. Et quamvis humanae vitae cursum Christi non neget, eumque Davidis posterum, ex foemina factum agnoscat, nihilominus eius caro est " imago, umbra carnis ceterorum hominum „ (1). Haud multum dissimilia sunt quae de hoc argumento profert I. Weiss (2). Iam alias vidimus quo pacto Weissius Pauli doctrinam de Christo homine ad purum docetismum redigat.

Mirum ante omnia est quod huiusmodi scriptores qui notitiam historicae traditionis de Christo apud Paulum abnuere non audent, asserant nihilominus " nullum in eius scriptis apparere vestigium quod his informationibus intendat Apostolus veram Christi personalitatis indolem definire ! „. Num potest talis intentio separari ab ipsa talium informationum concrete sumptarum exaratione? Neque enim de fugaci quadam una alterave indicatione agitur, sed in monumentis Apostoli recurrit integra traditio qualis in Evangeliis prostat. Praeter capita superius enumerata quae articulum complent de salute per Christi mortem, plurima recurrunt sparsim apud Paulum Christi vitam humanam et quasi familiarem et intimam spectantia sicut in Mt. et Lc. describitur. 1°) Secundum Paulum Christus est " filius David „ (Rom. 1, 3), " filius Abraham „ (Gal. 3, 16). Cum de scriptoribus agatur qui aut Christi discipuli fuerunt ut Matthaeus, aut cum eius immediatis discipulis diuturno tempore conversati sunt ut Lucas et

(1) *Id. ibid.* 118. 119.
(2) *Urchristentum* p. 346–348.

Paulus, obvium omnino est ut illam filiationem omnes pari ratione conceperint, eam nimirum quae in genealogiis traditur Mt. 1, 1–17; Lc. 3, 23–33 scilicet vere humanam. 2°) Paulus novit et docet Christum natum vel" factum „ (γενόμενον) ex foemina i. e. conceptum et natum ex ea et quidem, etsi sine viri complexu, non tamen sine vero et humano semine: sic enim eventum describit historia (Mt. Lc.) ad cuius traditionem perspicue remittit ipsa " foeminae „ et solius foeminae (ἐκ γυναικός) emphatica commemoratio. 3°) Paulo Christus cum ex foemina oritur, " fit „ (γενόμενον) i. e. constituitur " sub lege „: allusio est evidens ad circumcisionem (Lc. 2, 21) per quam iuxta Paulum hebraeus reddebatur " debitor legis „ (Gal. 5, 3), quae simul breviter in compendium redigunt ea quae Evangelistae de legis reverentia et observantia per Christum late tradunt: neque enim de facto erat " sub lege „ si legem in decursu vitae non servavit. 4°) Paulus novit et docet Christum " in diebus suae carnis „ orasse, preces cum clamore et lacrymis fudisse (Hebr. 5, 7). Quamquam clausula: " ad eum qui salvum illum a morte facere posset „, videatur preces ad hortum et crucem restringere, cum tamen Paulus addat " in diebus carnis suae „, ac preces has veluti sacerdotales exhibeat, fundamentum autem sacerdotii reperiat in Christi filiatione divina „ (Hebr. 5, 5) quam ab incarnatione habuit, satius et congruentius est preces de generali eius vitae decursu (in deserto, in montibus, in horto, in cruce) intelligere. 5°) Paulus ex praedicatione Christi novit eius doctrinam de baptismo (Rom. 6, 3–9), de matrimonio atque eius insolubilitate (1 Cor. 7, 10); de virginitate sive continentia (ibid. 1, 8, 25–34); de lege et eius per duo praecepta compendio (Rom. 13, 9): neque enim potest alius huius capitis sicut de potestate (Rom. 13, 1–7) magis obvius fons assignari quam Christi doctrina: de ministrorum evangelicorum iure ad victum ex labore (1 Cor. 9, 14); de gratuitate nihilominus doctrinae ultra necessaria (Act. 20, 35; coll. Mt. 10, 8). 6°). Novit et docet Eucharistiae institutionem, naturam, vim (1 Cor. 10 et 11); et quidem sub ratione veri " Testamenti „ (Hebr. 9, 15. 16). 7°). Scit Christum bonam confessionem coram Pilato reddidisse (1 Tim. 6, 13). Scit tempus praecisum institutionis; mortem, crucifixionem extra urbem (Hebr. 13, 32), sepulturam, resurrectionem, apparitiones (1 Cor. 15, 1–11). Tam multiplex gestorum Christi recordatio ex praepaulina traditione veram Christi humanam naturam, passibilem, mortalem definiunt; non umbratilem, non dissimilem illi quae propria est ceterorum homi-

num, talem denique qualem Synoptici tradunt. Christi mors est quidem " transitus ad gloriam „, sed eo modo quo in traditione synoptica sec. vaticinia proponitur (Lc. 24, 26), ita nimirum ut in peccatorum remissionem, in satisfactionem et redemptionem pro humano genere oblata sit, quamque praecesserit vitae series non minus aerumnosa. Et sane sub hoc plane respectu proponebatur a Paulo in suis catechesibus (1 Cor. 15, 3. 4).

Demum ad doctrinam sive conceptionem de Christo Redemptore ac Restauratore quod spectat, quae passim ab hodiernis criticis Paulo tamquam creatori, ope exoticorum fontium tribuitur, Apostolus numquam se dicit aut insinuat inventorem vel detectorem sive quocumque modo completorem, amplificatorem, compaginatorem eorum quae de Christo praedicat: se proclamat " servum „ (in omnibus inscript.) " ministrum „ (1 Cor. 4, 1), " legatum „ vel " nuntium „ (2 Cor. 5, 20; Eph. 6, 20) " dispensatorem „ Christi (1 Cor. 4, 1). Quaecumque alta nobilia magnifica de Christo et Dei per eum opere in sua praedicatione profert, per omnem talis complexus " longitudinem, latitudinem, sublimitatem, profundum „ (Eph, 3, 18) omnia et singula quae ceteroquin communia sibi sunt cum ceteris Apostolis (ibid), omnia et singula ex enumeratis fontibus communicata sibi fuisse declarat (Eph. 3, 5; 1 Cor. 2, 12–16 *nos* sunt Apostoli omnes, ut ex immediato *ego* 3, 1 apparet).

3. Fontium assimilatio: evolutio an simultanea possessio?

Verum oblatos sibi hos fontes Paulus, praesertim Christi revelationem, quo processu sibi assimilavit? Solemne nostra aetate est de lenta per diuturnam meditationem evolutione suarum conceptionum in Apostolo fuse pertractare. Porro cum de evolutione doctrinali in mente Apostoli fit sermo, nomine evolutionis intelligitur progressus in dogmatica conceptione a forma germinali, rudimentaria, ad typum superiorem, perfectum, impellente intus propria germinis vi ac proprio principio, etsi sub externo eventuum influxu (1). Inter criticos protestanticos vix est ullus nostris diebus qui non adstruat et propugnet talem progressum in conceptione doctrinali paulina ab Apostoli conversione. At inter praecipuos qui hunc locum speciali cura excoluerunt emi-

(1) Sabatier, *St. Paul*, Introd. p. XXVII-XXIX, XXIV.

nent maxime Baur et Augustus Sabatier, quorum postremus a multis passim veluti praestantissimus celebratur inter omnes qui de hoc capite data opera pertractaverunt (1). Ut vero apte controversiam disceptemus, opus est ante omnia eius terminos accurate definire. Aliud est loqui de possessione conceptionis doctrinalis in suo complexu atque organismo substantiali completo, i. e. cum proprio capitali fundamento sive nucleo ac membris organismum integrantibus, aliud de applicationibus variis systematicae conceptionis pro concretorum adiunctorum varietate. Applicationes possunt essemultiplices ac variae cuiusdam certi doctrinalis systematis in se iam plene constituti, atque ita ut talium applicationum occasione, organismus ipse vel eius membra plus minusve compleantur, illustrentur, citra modificationem tamen ullam substantialem in organica systematis conceptione. Cum Apostoli v. gr. in coetibus iudaeo-christianis mosaismi observantiam approbabant; cum, e contra, in coetibus ethnico-christianis eam non imponebant; cum denique in coetibus mixtis unicuique suadebant ut iuxta propriae stirpis morem incederent, nihil substantiale in fundamentali Evangelii axiomate de " nova creatura „ immutabant sed tantum doctrinam ad concreta adiuncta externe accommodabant, illustrato simul vero ac genuino fundamentalis axiomatis sensu. In evolutione vero proprie dicta 1°) conceptio erumpit instar rudimentarii cuiusdam germinis, quod 2°) proprio atque interno motu augescit, donec 3°) culmen progressus attingit; idque omne, impellente intus propria et intrinseca vi, ferme sicut in organismis viventibus, licet sub adiunctorum externorum influxu.

Cum igitur de evolutione doctrinali agitur, eam hodierni critici non de mera molis amplificatione supposita substantiali organismi ipsius integritate, sed de organismo in se, creatis novis novisque membris cum novo inter eadem nexu intelligunt (2). Evolutionem sic explicatam in paulina conceptione Sabatier sub duplici forma statuit: 1°) in fundamentalibus lineamentis paulinae theologiae; 2°) in graduali per partes progressu intra singula ex his lineamentis. Progressum in magnis lineamentis sic probat: argumenta, ait, a Paulo pertractata in suis Epistolis praebent tri-

(1) Hoc fundamento nixus fecit Fayf anno 1912 novam editionem Sabateriani operis.

(2) " La pensée de Paul se développait *organiquement* „ Intr. p. XXVII.

plicem typum perfecte distinctum pro triplici ac successiva periodo historica ad quam documenta pertinent. In *prima* periodo antiquissimae Pauli epistolae (1 et 2 Thess.) argumentum evolvunt " missionis „ proprium : mortem, passionem, resurrectionem Christi ; promissionem messianicam, eschatologiam, paganicam corruptionem proposita e regione salute per Evangelium (1). Nihil in hoc strato de controversia super mosaismo aut de iustificatione per fidem saltem ex firmis principiis (2). In *secunda*, quatuor magnae epistolae (Gal. 1ª 2ª Cor. Rom.) controversiam de mosaismo agitant ; in *tertia* apparet impugnatus gnosticismus iudaizans (3). " Distinctio „ ergo et perfecta " separatio „ thematum perspicua est. At etiam " progressus „ ; nam certe stratum quatuor magnarum epistolarum cum argumento earum proprio, neque unicum est in vita Pauli, neque primum, sed necessario subaudit aliud pacatius in quo " semen evangelicum „ sine polemico aestu spargebatur ; hic aestus qui in pluribus epistolis cernitur, recentior est altioremque speculationem in notionibus exhibet, utpote praebens " antithesin „ contra iudaizantes, quae nisi horum actus praecessissent, concipi nequit. Progressum vero hunc non mere externi novorum doctrinae capitum adiunctione, sed interna praecedentium elaboratione exortum fuisse ostendit Sabatier directe, non tam cum triplicem hunc typum proponit qui universum Pauli ministerium amplectitur, quam cum de gradibus agit intra eumdem typum. Sed procul dubio eadem lex quae Apostoli mentem per gradus intra eumdem typum ad altiorem veritatis notitiam deducebat, regebat quoque, et a fortiori, cum a typo ad typum assurgebat.

Quid de Sabaterii theoria deque argumentis quibus eam fulcit iudicandum, paucis exponemus. Ac primo examinanda veniunt fundamenta quae pro diversitate typorum, eorumque evolutione proponit. Quo historico fundamento ostendit Sabatier Pauli mentem eo tempore quo epistolas ad thessalonicenses scribebat, de iustificationis controversia nondum quidquam cogitasse, sed " periodum hanc activitate et cogitatione missionis propria

(1) *S. Paul, Intr.* p. XXXV ; chap. II pp. 102-114.

(2) Intr. p. XXXVI ; chap. I, p. 100 : " la grande antithèse paulinienne entre la loi et la foi *n'existait point* encore dans nos deux epitres (1, 2 Thess.) il est naturel que la doctrine de la justification n'y ait aucun développement et s'y présente sous une forme très generale „.

(3) *Intr.* p. XXIX.

penitus occupatam fuisse? „ (Intr. p. XXXIV). Epistolae ad Thess. scribebantur in secundo itinere, et sic post conventum apostolicum: iamvero, quocumque demum tempore scripta sit epistola ad Gal., ea quae Paulus Gal. 2, 1–10 de gestis in conventu narrat, vere in eo gesta sunt, nec potest dici Paulum in illa pericope proponere tamquam in conventu pertractata quae in illo congressu pertractata non sunt, sed pertineant ad posteriora controversiae stadia. Hoc posito, etiam omissa interim quaestione num iam eo tempore controversia radicitus et in ipsis principiis decisa sit annon, illud est indubium: controversiam de valore mosaismi saltem pro ethnico-christianis acriter discussam fuisse; ac proin, cum Paulus scribebat epistolas ad Thessal. eius mentem non solum non fuisse alienam a controversia de valore fidei vel legis, aut nondum quidquam de his ex certis principiis cogitasse, verum iisdem plene occupatam fuisse. An quaestio de Evangelii sui cum Evangelio Duodecim identitate quae certissime in conventu discussa et soluta est (Gal. 2, 5–9), nihil pertinebat ad Pauli principia de valore fidei? Si de his explicite in epistolis ad Thess. non loquitur Apostolus, id pendet a conditione lectorum, non a subiectiva paulinae eo tempore conceptionis imperfectione; ab argumenti natura, non a gradu quem paulina conceptio attingebat in Apostoli mente.

Addit Sabatier in praedicatione missionaria ante magnam cum iudaeis ac iudaizantibus controversiam, nihil plane de " antithesi inter fidem et legem „ saltem ex firmis ac bene definitis principiis, apparere. Cum de missionaria Pauli praedicatione ante controversias cum iudaizantibus nullae ad nos aliae memoriae pervenerint, quam quas nobis Lucas in Actibus transmisit, perspicuum est Sabaterium non alia de hac re testimonia prae oculis habere, quam Pauli orationes in primo eius itinere apostolico; nam epistolae ad thessalonicenses recentiores sunt conventu apostolico. Iamvero in oratione ad synagogam Antiochiae Pisidiae Act. 13 haec Pauli verba leguntur: " notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc (Iesum) vobis remissio peccatorum annunciatur; et ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari, in hoc omnis qui credit, iustificatur „ (38. 39). Quid his verbis expressius vel in epistola ad Galatas vel in epistola ad Romanos inveniri possit, ad nucleum substantialem quod attinet paulinae theoriae de fide in Christum unico iustitiae ac salutis fonte, excluso penitus mosaismo, equidem difficile est cogitare.

Iustitia et salus, secundum haec verba, " a solo Christo, exclusa penitus lege ac circumcisione „, manat. Et caput hoc proponitur ab Apostolo in sua oratione veluti caput in quod resumitur quidquid iudaeis, tamquam ad eos specialissime pertinens, in prima Evangelii promulgatione proponi necesse est. Certe si nomine " antithesis „ intelligitur oppositio huius capitis doctrinae ad caput e diametro oppositum, tamquam contentiose et pertinaciter a secta quadam propugnatum de mosaismo iustitiae et salutis fonte, verum est id nondum hoc tempore haberi : sed rursus hoc pertinet ad applicationes doctrinae praevie ac definite praeexsistentis adiunctis erroris oppositi : non vero ad internam et obiectivam conceptionis evolutionem.

Ut suam de successivo typorum ordine thesim confirmet, affert ulterius Sabatier hoc argumentum : Paulus, ait, ut missionarius, aliam doctrinae formam adhibuit ab ea quam in magnis epistolis usurpat : 1°) quia hae non poterant, sine praeparatione, a destinatariis apte intelligi ; 2°) quia dialecticus earum apparatus a facto historico pendet penitus novo : controversia iudaizante. Polemicum quatuor epistolarum argumentum concipi nequit sine iudaizantium ausu (1). Simile quid dici debet de sequenti strato in epistolis captivitatis repraesentato : sine gnosticismi iudaici in scenam adventu, non potest novum argumentum in ultimis epistolis evolutum intelligi. At haec argumenta non probant " evolutionem „ conceptionis ipsius " secundum sua elementa substantialia „ in mente Pauli, id quod esset probandum. Quod " magnae epistolae „ non possent a destinatariis intelligi sine praevia institutione circa elementa ipsa controversiae, qua carebant eo tempore v. gr. thessalonicenses, evidens est, et nemo negabit ; sed hoc probat necessitatem progressus in " lectoribus „ non in " scriptore „, de quo tamen est quaestio (2). Similiter : " apparatus dialecticus „ Gal. v. gr. et Rom. postulat conditionem quandam historicam novam quae in primor-

(1) " Nous n'osons hardiment que Paul missionnaire a dû penser et parler autrement que le dialecticien des grandes lettres. Comment celles-ci auraient-elles été comprises sans une préparation antérieure chez leurs destinataires ? En y regardant de plus près, on s'aperçoit aisément que la forme dialectique de la pensée de Paul, dans cette période centrale dépend d'un fait extérieur, de la controverse avec les judaïsants. L'argumentation de l'Apôtre ne se comprend pas, séparée de celle de ses adversaires „.

(2) Sabatier millies recantat in suo libro, evolutionem " paulinae conceptionis „ (de la *pensée* de l'Apôtre). Iuxta criticum gallum Paulus in suo apostolatu, a primis temporibus, cum maxime sollicitus erat " de nomine Iesu propagando „ usque ad novissima, cum scribebat litteras ad Rom. et ad Coloss., has ultimas iam in occasu suae vitae (Sabatier putat Paulum obiisse in prima [et unica] captivitate

diali evangelici seminis iactione non exstabat ; sed rursus haec conditio et " apparatus ,, a Paulo in epistolis adhibitus probat " ampliationem ,, conceptionis in mente Pauli, sed externam, accidentalem, applicativam elementorum quibus conceptio constabat, quaeque iam plene possidebatur a Paulo, ad casus practicos novos ; minime vero, de quo est quaestio, accessionem novorum membrorum substantialium ad organismum conceptionis. Et revera Paulus tota sua argumentatione Gal. 1, 12-2, 10 haec duo intendit ostendere 1) iam ante conventum hierosolymitanum et in primo ministerio antiocheno se praedicasse *idem prorsus* Evangelium pro quo nunc, cum scribit, contra iudaizantes contendit (1, 15-24) ; 2) hoc suum Evangelium identicum fuisse cum Evangelio Duodecim, contra id quod sui adversarii volunt (2, 1-10). Quod ergo asserit Sabatier " progressum internum suae conceptionis non fuisse nec minus impugnatum, nec minus perturbatum ,, (1) quam externum (p. XXVIII) i. e. iisdem passibus incessisse, nec proin praevenisse " interna conceptione ,, externas exigentias, est contra formale Apostoli ipsius testimonium. Paulus in aestu controversiae non aliud contra iudaizantes Evangelium opposuit quam illud ipsum quod iampridem praedicabat, nullo prorsus novo adiecto elemento.

Addit secundo Sabatier neque typos ipsos quos singulis Pauli vitae periodis assignat, apparere in mente Apostoli iam ab initio ut distinctos et firmiter constitutos. Id perspicue in primis cernitur, ait, in capite de legis abrogatione. Paulus non pervenit nisi per gradus ad distinctam axiomatis enuntiationem. Primo (tempore conventus) contentus erat simplici ethnicorum " dispensatione „ ab observantiis mosaismi (Gal. 2 ; Act. 15). Paucis annis postea (in conflictu antiocheno) surgit a facto concreto (dispensationis et consequentis immunitatis de facto inter solos ethnicos) ad principium absolutum de legis nullitate, quod antea minime enuntiaverat. Porro Paulus hos successivos ac progressivos passus in doctrinali sua conceptione non via " applicationis „ principii alicuius bene definiti quod praevie suae menti praeluceret, sed potius " experientiis edoctus „ fecit. Cum in paganis expertus fuisset legem esse inutilem ad salutem, conclusit nec pro iudaeis necessariam esse (2).

---

romana), constanter novis accessionibus doctrinalem suam speculationem augebat. Inter Ierusalem et Romam tamquam exordium et terminum " late protenditur cursus quem apostoli speculatio emensa est „ (p. XXVIII).

(1) " ni moins combattu, ni moins orageux „.

(2) " Prenons pour example (ad ostendendam gradualem typorum evolutionem a rudimentario germine ad consummatam singulorum evolutionem) l'une

Certe quamvis de aliis conceptionis paulinae capitibus dubium subesse saltem primo aspectu possit num diuturno tempore indiguerint ad plenam sui evolutionem, exemplum de abrogatione legis infelici manu selectum est : constat enim omni evidentia hunc articulum iam ab exordiis paulinae praedicationis perspicue in plenissimo suo fulgore menti Apostoli obversatum esse. Neque enim cum primum coepit gentilibus Evangelium offerre in urbe antiochena et regionibus finitimis eosque in Ecclesiam sine ullo mosaismi onere recepit, id aliter fecit quam praeeunte sub plenissima conscientia, axiomate de nullitate absoluta mosaismi ad salutem eodem modo pro iudaeis quam pro gentibus. Id meridiana luce clarius ostendit non solum Lucae narratio in Actibus (1), sed etiam disertum Pauli testimonium in Epistola ad Galatas. Ut enim superius late ostendimus, haec erat quaestio quae in controversia cum iudaizantibus agitabatur a primo die quo erupit Antiochiae. Non est necesse iterum hoc loco explanare id quod late iam explanatum est. Primo enim tota in genere argumentatio ex historia sui ministerii apud ethnicos (Gal. 1, 15–2, 10), et deinde apertissima declaratio Gal. 2, 16 indubium reddit Paulum constanter expressis, non solum factis, sed etiam expressa doctrina, axioma proclamasse de inmunitate

---

des grandes affirmations de Paul : la déchéance de la loi mosaïque. Il est evident qu'il y est arrivé pas à pas. Il a pu se tenir d'abord pour satisfait d'avoir conquis à la fameuse conférence de Jérusalem (Gal. 2 Act. 15) pour les chrétiens d'origine païenne, la dispense de la circoncision. Quelques années plus tard, cela ne lui suffit plus. Comme son esprit était d'un tour essentiellement dialectique, il s'élève du fait concret au principe absolu. Il *n'avait pas débuté* par formuler ce dernier dans sa généralité abstraite. Mais, ayant fait l'expérience que la loi est inutile au salut des païens, elle ne lui paraît pas davantage nécessaire aux juifs „. (*L'Apôtre Paul* p. XXIX).

(1) Iam vidimus quomodo Petrus in conventu expressis terminis salutem et iustitiam a sola Christi gratia excluso mosaismo, idque eodem plane modo pro iudaeis ac pro gentilibus, derivet (Act. 15, 7–11). Quis dicat Paulum eo tempore nondum id attigisse quod Petrus proclamabat ? Imo positivo documento id certissime constat ex oratione in Synagoga Antiochiae Pisidiae : Verba Pauli Act. 13, 38 : "per hunc (Iesum) *vobis* remissio peccatorum annuntiatur et ab omnibus quibus *non potuistis* in lege Moysi iustificari, in hoc (Iesu) omnis qui credit iustificatur „ cum ad iudaeos dicantur enuntiant iam ante Conventum apostolicum nullitatem iustificativam legis pro ethnicis et iudaeis. Verba Petri Act. 15, 7–11 et decretum apostolicum definitive rem concludunt ; sed ad Paulum quod attinet de quo hic agimus, iam ante Conventum et multo ante, in primo itinere apostolico, proclamata erat.

ethnicorum a mosaismo ex titulo necessitatis ad salutem quem iudaizantes urgebant (Act. 15, 2. 5). Si solum " factis „ et non etiam expressa doctrina Paulus immunitatem proclamasset, non poterat Gal. 2, 5 dicere se ascendisse Hierosolyma ad apostolos ut conferret cum eis " Evangelium quod praedicabat ad gentes „ dum epistolam scriberet. Certe tempore quo sec. Sabatier epistolam scribebat, post conflictum antiochenum (1), Evangelium Pauli indubie attigerat illam formam quam Sabatier dicit supremam in articulo de abrogatione absoluta legis mosaicae; et tamen de " hoc Evangelio „ ait Paulus se illud contulisse cum Apostolis (2): quomodo poterat in conventu hoc Evangelium cum apostolis conferre, si nondum exsistebat? Dicet Sabatier ab Apostolo appellari hic " Evangelium „ factum ipsum susceptionis ethnicorum sine mosaismi onere, non articulum doctrinalem bene definitum: sed " factum „ principiis non innixum, non est " Evangelium „, nec poterat vel indigebat conferri cum patentissimum esset: in Conventu non tam agebatur de " facto „ immunitatis quam de eius fundamento iuridico et doctrinali: gentiles immunes erant a mosaismo " quia hic inefficax ad salutem erat „.

Quod Sabatier appellat " dispensationem „ non erat " dispensatio „ quae vigentiam legis contrariae supponit; nec sollicitabatur a Paulo aut concedebatur ab apostolis titulo " dispensationis „: iam vidimus in decreto apostolico ethnicos declaratos fuisse " immunes „, quia " mosaismus nullam pro ullo mortali iustificativam efficaciam habebat „: id declaraverat Petrus, id confirmaverat Iacobus, et hoc principium tamquam indubium admittunt et applicant auctores decreti Act. 15, 23-29. Sabatier utique dicit in conventu hierosolymitano controversiam de mosaismo non fuisse solutam " in principio „, Concilii decretum non fuisse veram " solutionem questionis „ (3). At quo pacto et qua veritate id dici possit, abunde ostendimus. Cum Petrus ex-

(1) " Conflictum antiochenum „ dicimus, non " conventum hierosolymitanum „ tantum: hinc etiam pro Sabatierio hoc tempore, " evolutio „ quoad controversiam de mosaismi valore supremum gradum attigerat.

(2) " Contuli cum illis Evangelium quod, *praedico* (nimirum cum scribit epistolam) in Gentibus " Evangelium ergo collatum, erat iam collationis tempore, i. e. tempore conventus, idem quod cum scribit „.

(3) " Il faut bien le dire: cette solution n'en était pas une... La lutte de deux principes ne pouvait plus désormais être arrêtée „ (p. 120). De facto forsan poterat continuare et continuavit controversia sed aut ex aperta rebellione aut subdolis et fraudulentis artibus.

pressis verbis dicat " iustitiam et salutem non per mosaismum sed per gratiam Christi comparari „, hancque normam " unicam eamdemque esse pro iudaeis aeque ac pro gentibus „, cumque idem suo suffragio confirmet Iacobus et tota apostolorum ac presbyterorum concio, quid aliud requiritur ad solvendam in radice intima controversiam de mosaismi valore? Historiam vero Lucae, his expressam, authenticam esse, Paulus ipse Gal. 2, 16 et 1, 22–24 perspicue confirmat.

Urgetur nonnumquam Act. 21, 25 ubi Iacobus et presbyteri decretum de solis ethnico-christianis explicant; unde videntur ipsi decernentes authentice declarare se in Conventu decretum de immunitate de solis ethnico-christianis, non de iudaeo-christianis intellexisse. At quo pacto Iacobus et presbyteri qui Petri sententiam secuti erant, in qua tam perspicue universalitas decisionis exprimitur, poterant nunc decretum ad solos ethnico-christianos restringere? Vera Actuum 15 et 21 conciliatio in hoc est, quod cum in iudaeo-christianis, praeter titulum necessitatis ad salutem et iustitiam qui reiiciebatur, remanerent alii tituli, bene poterant nunc Iacobus et presbyteri ob hos titulos a Paulo mosaismum postulare, non ob necessitatem salutis. Et hoc sensu id a Paulo postulant. Notandum diligenter non clara per ambigua, sed ambigua per clara explicanda, et sic non sensum decreti conventus ab Act. 21, 25 sed sensum Act. 21, 25 ex sensu decreti explanandum (1).

3. Quid de conceptionis paulinae evolutione universim pronuntiandum

Theoriam suam de evolutione in doctrinali conceptione Apostoli cernit Sabatier evidenter confirmatam illis Pauli verbis ad Corinthios ubi de diversa suae mentis habitudine ad Evangelium in diversis vitae periodis loquitur. " Cum essem parvulus, ait, loquebar ut parvulus, cogitabam ut parvulus; cum autem factus sum vir, evacuavi quae parvuli sunt „. Fieri nullo potest, ait Sabatier, ut qui haec verba scripsit non subierit leges humanae co-

(1) Urgebit fortasse quispiam: at de hoc praecise agitur: num Act. 15, 1–35 historiam realem et non fictionem repraesentent. Ad quod reponendum praesumi pugnam non posse quamdiu loci conciliari possint: conciliantur autem facile cum ibi de mosaismi exercitio non quovis titulo, sed " necessitatis ad salutem „ agatur, ut late alias expositum est.

gitationis in evolvenda sua conceptione theologica, cum citata verba de periodis agant vitae christianae in Apostolo (1). Non tamen est putandum Sabaterium excludere " revelationem „ in Pauli mente. Quocumque tandem modo Spiritum Sanctum eiusque impulsus et communicationes concipiat, concedit " mediante prima Christi revelatione, cum Paulus converteretur, creatam in eo fuisse vitam spiritus, quae, ceu fons perenniter fluens, efficiebat revelationem internam ac permanentem. Huius vitae principium Christus erat, qui, mediante dicto fonte, revelationem sui in Paulo et per Paulum continuabat „ (2). Quid igitur tandem de Pauli doctrinali evolutione ?

Ad hanc controversiam quae de Paulinae conceptionis genesi progressu ac fontibus agit recte iudicandam, ante omnia excludenda penitus est evolutio pure naturalis i. e. paulatina gradatio qua Apostolus proprio penu, ac personali solum experientia, et inchoaverit et evolverit suam conceptionem doctrinalem. Paulus saepe, praesertim vero Gal. 1, 12, aperte protestatur se Evangelium ex divina revelatione accepisse, minime autem ex propriis illud elucubrasse. Testimonium hoc nullo modo repudiari potest ; quia si processu pure naturali natum et evolutum esset Evangelium in mente Apostoli, id eius conscientiam effugere non potuisset, cum fieri minime posset ut Paulus non animadverteret distinctionem inter notitiam de Evangelio ex divina revelatione sive communicatione comparatam, et proprio labore ac conatu partam, multo magis si ad singulos evolutionis gradus experientia externa et vi factorum, ut dicitur, perveniebat. Dum altera via nonnisi lente, obscure ac per plura tentamina

(1) Intr. p. XXX. Mirum quod verba citata 1ª Cor. 13, 11 ad talem sensum detorqueantur ab ullo qui Apostoli contextum praedicto loco semel ceperit. Verba non tam progressum quam totalem in modo cogitandi mutationem significant quae fit in humana vita cum ex infantili ad maturam aetatem fit transitus, et Paulus pro suo more (Cfr. Rom. 7, 7-24) phaenomenum generale in 1ª persona per sermonis figuram exprimit et transfert ad mutationem quae fiet in comprehensoribus quoad modum divina concipiendi.

(2) " C'est de la vie de l'ésprit, de cette source toujours jaillissante que lui viennent les éléments qu'elle traduit, elabore et organise... Cette vie interieure avait été créée en Paul par la première révélation du Christ en son âme. Christ, vivant en lui, a continué de se reveler en lui et par lui. C'est cette révélation permanente et intérieure qui constitue son inspiration apostolique „ (p. 80). Theoriae a Sabatier pro " apostolis „ proposita similis est illa quam hodie protestantes plus minusve moderati sequuntur etiam pro Prophetis (Cfr. Steuernagel, *Einl. in das A. Test.* p. 97-98).

ad culmen veritatis perducit, divina revelatio breviter, perspicue ac sine ullo hominis labore veritatem reserat. Accedit intima illustratio mentis qua de superna origine ac fonte communicatae sibi veritatis edocetur qui divinas revelationes habet (1). Haec duplex differentia, praesertim illa quae de proprio labore ac conatu vel horum absentia, conscientiae intuitum latere non potest, perspectum reddit discrimen inter naturalem processum et supranaturalem per revelationem in acquirenda veritatis notitia. Hinc Paulus exposita hac sui Evangelii divina origine protestatur, Deo teste, se in sua descriptione " non mentiri „. Potest nihilominus adhuc quaestio esse de modo quo ipsa revelatio Apostolo communicabatur; num deposito divinitus exiguo ac rudimentario germine quod dein sub Spiritus Sancti impulsibus successive novis accessionibus, propria tamen Pauli elaboratione augeretur, an systema completum ab exordio iam, i. e. in sua conversione, non quidem in momento physico, sed utique morali sensu, quoad substantialia elementa acceperit. Id ex historia definiendum est; nam Apostolus tres saltem magnas revelationes diversis temporibus, praeter alias minoris momenti (Act. 23, 11; 2 Cor. 12, 9) sibi communicatas memorat: 1^{am} Gal. 1, 16 in conversione; 2^{am} in regressu ex damascena urbe, cum oraret in templo (Act. 22, 17–21); 3^{am} illam de qua 2 Cor. 12, 2–4. Has revelationes diversas esse inter se apparet ex chronologia; cum prima fieret in conversione, secunda triennio post, certe prima et secunda diversae sunt. Tertia vero fit 14 annis antequam 2^{am} ad Cor. scriberet (2 Cor. 12, 2), consequenter anno circiter 44; hinc apparet hanc esse diversam ab utraque praecedenti quae ad annos 34 et 37 respective pertinet. Quartam addit Apostolus Gal. 2, 1; quae tamen respiciebat factum itineris hierosolymitani ad conventum (2). Sed neque secunda et tertia versabantur in communicandis notitiis evangelicam substantialem doc-

(1) Non agitur de " inspiratione „ ad scribendum quae potest latere auctorem inspiratum ut in Luca et auctore 2 Mach. apparet, sed de " revelatione „ stricte dicta qualis erat Prophetarum, ut ex eorum descriptionibus constat de " manu „ Dei in eos irruente aut " visionibus Dei „ se Prophetarum vel prospectui vel intuitioni offerentibus. Similes his fuerunt revelationes Apostolo communicatae.

(2) " Et probabilissime non fuit revelatio sibi directe facta, sed per prophetas antiocheni coetus qui eum ex divino instinctu deputatum declararunt. (Cfr. Act. 20, 23; 21, 11, etc.). Nec Paulus illa occasione dicit factam *sibi* fuisse revelationem.

trinam respicientibus: altera enim intimabat Paulo mandatum discedendi Hierosolymis ad gentes; tertia demum erat de rebus secretissimis nemini communicandis. Restat itaque solum prima in conversione; et congruit " obiectum „ quod Christus erat qua gentibus praedicandus, i. e. Evangelium. Habemus exordia revelationis Evangelii a Christo in Pauli animo eiusque tempus: remanet explorandum num iam eo tempore revelatio completa fuerit, an inchoata tantum deinceps implenda et qua proportione.

Sabatier et qui eius opinionem inter criticos sequuntur, qui sunt plurimi, non negant hanc initialem revelationem Paulo factam, explicant tamen hoc modo: revelatio haec germinalis fuit; postea vero idipsum quod Paulus nativis tantum facultatibus ac subsidiis praeditus, seclusa quavis superna illustratione in re quavis scientifica vi naturalis evolutionis perageret, eodemque processu, a Sabaterio traducitur veluti a Christo et Christi spiritu translata ad evangelium speculatione in intimis Pauli successive peractum. Primo, exordia proruperunt ab exiguo germine, accessit deinde lentus ac paulatinus conceptionis progressus, tum fulgidiora atque intensiora identidem lumina quae in certa quaedam axiomata veluti coacervantur et erumpunt, cum dependentia ab eventibus externis quibus diversorum stadiorum ambitus signatur, quique praecedentium terminos, subsequentium initia definiunt. Negare nolemus possibilitatem absolutam talis revelationum divinarum formae, dummodo adaequatum eorum principium actio divina et externa (1) idque per singula processus strata statuatur, non mera videntis subiectiva " experientia „, quae dicitur, i. e. subiectivus sensus, subiectivarum facultatum sive activarum sive receptivarum partus. De facto in historia messianicae revelationis apud Prophetas Veteris Testamenti aliquid simile reperimus, cum promissio messianica quasi fragmentario et per diversas generationes ac formas (πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως) successive communicata sit, atque ita ut revelationes recentiores primordialem et fundamentalem quasi membra unius organismi per quoddam germen inchoati amplificarent. Haud omnino absimilis fuit revelatio Novi Testamenti ad Apostolos per Christum et Spiritum Sanctum (2).

Sed caveamus ante omnia ne labori pure humano, ac simplici humanae constructioni substituamus vacuum nomen, non rem, divinae revelationis ut sine dubio facit theologia mystica protestantica cum Sabaterio et aliis. Hi nimirum sicut etiam modernistae eorum asseclae processum pure naturalem eiusque functiones actus et stadia appella-

(1) Externa i. e. ab externo principio sive fonte revelante.

(2) Non *omnino absimilis*, sed parum similis; nam organismus revelationis christianae qua talis, ab ipso Christo apostolis tradebatur.

tionibus designant a supranaturalismo mutuatis, retenta nihilominus indole pure naturali processus evolutivi. Hinc cum Sabaterium refutamus, has omnes scholas refutamus. Demum, animadvertamus in nostro casu non agi de mera possibilitate aut de modo qui cum non constet quinam concrete fuerit, potest explicari multipliciter. Agitur de hoc : non quid Deus potuerit in Pauli mente operari, sed quid de facto operatus sit.

Hoc posito, ex testimoniis Apostoli et historia perspicuum redditur, Paulo revelatum fuisse iam ab initio suae conversionis Evangelium per modum conceptionis in suis elementis substantialibus completae. In fragmento autobiographico Gal. 1, 12-2, 21 Apostolus expressis verbis asserit ac supponit Evangelium quod iampridem et multis (14 circiter) annis ante exortam controversiam praedicabat, fuisse iam omnino idem cum eo quod tunc praedicabat cum epistolam scriberet ; i. e. non solum post conventum hierosolymitanum, sed post conflictum antiochenum, ubi secundum Sabatier attigit Evangelium Pauli supremum evolutionis gradum relate ad articulum de abrogatione legis ; ac proin totam sui Evangelii rationem, cum epistola scriberetur, potuisse iam in illis initiis cognosci. Sed in hypothesi revelationis germinalis explicari talis identitas nullo modo potest; nam praedicatio Pauli antiochena eo tempore peragebatur quo secundum criticum gallum " iudaicus spiritus erat sopitus, imo mortuus „, donec post plures annos " revivisceret „ (1) per controversiam de mosaismo, quae, concedente eodem Sabatier " nonnisi per primum iter apostolicum antiochena praedicatione recentius, suscitata est „ (2).

(1) " Le principe juif, vaincu et nié dans l'âme et les missions de l'apôtre des Gentils, revivait puissant et opiniâtre dans les églises juives de la Palestine „ (p. 116).

(2) " Le premier conflit semble avoir eu lieu au moment où Paul revenait de son premier voyage missionaire „ (p. 118). Cum Sabatier dicit principium iudaicum revixisse inter iudaeo-christianos Palaestinae post primum iter apostolicum Pauli, non est eius mens dicere christianos illos per tot annos oblitos fuisse illud principium et approbasse rationem agendi Pauli : vult solum dicere durante illo tempore, quoniam Paulus iuxta Sabaterii sententiam, expresse non enuntiaverat principium ullum explicitum mosaismo contrarium, iudaeo-christianos illos, sicut nec Paulum ipsum, non attendisse ad fundamenta latentia quae Pauli agendi ratio in eximendis a mosaismo ethnico-christianis supponebat. Iudaeo-christianos praetermittamus ; sed quod Paulus animadverterit, imo et expresse proclamaverit iam tum principium explicitum de nullitate mosaismi, omni certitudine certius est

Iamvero, secundum Sabatier, antequam controversia exurgeret, Paulus ad thesin de Evangelii libertate pro ethnicis solis et etiam sub conviventia cum mosaismo inter iudaeos nondum pervenerat, nedum ad summum eius apicem in conflictu antiocheno.

Rursus, iuxta epistolam ad Gal., Paulus declarat ad " veritatem „ illius eiusdem Evangelii pertinere non solum quae in conventu hierosolymitano ad apostolos proposuit (Gal. 2, 5) sed quae in conflictu antiocheno disputavit (Gal. 2, 14–21) i. e. principium de absoluta abrogatione legis (ibid. 2, 16), hoc enim principium proclamat ibi Paulus, ut declaret quaenam sit " veritas Evangelii „ cui non respondet ratio practica agendi quam hierosolymitani a Iacobo et plures alii cum Petro tenent, quos hierosolymitani ad suas partes traxerant. Igitur principium de abrogatione absoluta legis Paulus non tempore demum antiocheni conflictus, sed multo antea apprime perspexerat.

Quae hactenus dicta sunt, praesertim pertinent ad caput de " salute et iustitia per fidem „. At idem dicendum de aliis quoque capitibus in universa Pauli conceptione, cum nulla adsit ratio ad dicendum in his capitibus res aliter atque in illo de salute ex fide contigisse.

---

non solum a priori sed ex certissimis fundamentis historicis. A priori: quomodo fieri potest ut Paulus per 13 annos (ipse Sabatier collocat praedicationem Pauli Antiochiae anno 38 et finem primi itineris anno 51. Intr. p. XLIX) constanter adhiberet praxin e diametro contrariam principio iudaico sine ulla advertentia ad axioma de universalitate et absoluta independentia Evangelii? Paulus fuerat rabbinus et professus erat axioma iudaicum de absoluta mosaismi necessitate: quomodo ergo, nisi falsitatem huius principii agnovisset, poterat prudenter praedicare Evangelium et promittere in eo salutem ethnicis sine mosaismi observantia?

Sectio 2.ª — Paulus et Vetus Testamentum

I. Veteris Oeconomiae ad novam habitudo in conceptione paulina

1. Lex et Evangelium in paulina conceptione

Inter paulinae conceptionis fontes, creberrimi usus certe est Vetus Testamentum. In eius vero usu apud Apostolum recurrunt identidem sententiae quae haud levem perplexitatem creant nisi prae oculis habeantur capita quaedam fundamentalia de illius ad Novum habitudine in Pauli theologia. Ac primo quidem agendum exsistimamus de " Lege et Evangelio „. Quid nimirum Paulus dicere vult aut quid " Legis „ nomine intelligit cum ait v. gr., idque crebro fit, in Lege non adesse salutem neque iustitiam Dei aut medium illam obtinendi (Rom. 2, 1–3, 19) et solum in Evangelio esse quaerendam, quia in solo Evangelio inveniri potest (Rom. 3, 21–26) ? Ex tali modo loquendi id videtur sequi : iuxta Apostolum in Veteri Oeconomia salutem et iustitiam fuisse impossibilem aut absolute, aut saltem de facto, hoc sensu scilicet quod ante Evangelium nemo iustitiam obtineret. Et hoc sensu intelligunt Paulum 1°) Holtzmann, iuxta quem, in mente Pauli lex directe ordinata fuit ad hoc ut transgressiones multiplicarentur (Rom. 3, 20 ; 5, 20). Quod si vero Paulus videatur hunc conceptum mitigare, cum addit legem fuisse paedagogum ad Christum, nedum ita sit, contra, tali additione confirmat et complet primam notionem, ait Holtzmann ; nam paedagogia Legis iuxta Paulum reponitur in eo quod hominem retineat conclusum tamquam in ferreo circulo, in peccato, ut sic evidentius appareat necessitas confugiendi ad fidem in Christum (1). 2°) Vestigia Holzmanni, sicut alias non raro, hic quoque premit Loisy, hoc discrimine, quod multo inverecundius loquatur. " Lex, ait Loisy, iuxta Paulum, in plena luce patefecit tamquam peccata, eaque manifesta

(1) " Sonach war es die Aufgabe des *Zuchtmeisters auf Christus*... den sündigen Naturtrieb zur bewussten schuldvollen Uebertretung eines positiven Gebotes (παράβασις) fortzutreiben „ *Neutestamentl. Theol.* II, 28.

et gravia, hominum opera quae ante legem non talia censebantur, idque eo fine ut hi ad oculum cernerent unicam eorum salutem in promissione consistere quae salutem certam reddit mediante fide in Christum „ (1). " Per legem, iuxta Paulum, iudaeus retinebatur conclusus in peccato „. " Lex (mosaica et naturalis, imo quaelibet lex) est solum revelatrix mali; malum vero, extra fidem in Christum, vitari nequit „ (2). 3') His paulo moderatius specie tenus, re autem vix aliter loquitur B. Weiss qui proin etiam a vero aberrat. Is putat legem, iuxta Paulum, fuisse quidem institutum aptum de se ad iustitiam ingenerandam, si servata fuisset (Rom. 2, 13); at quoniam de facto servata non fuit ob impotentiam ex concupiscentia, etiam inter iudaeos suum dominatum exercente, hinc " scopus legis de facto „ is solum esse potuit ut peccatum patefaceret in omni sua mortifera potentia, quo efficacius excitaretur et acueretur desiderium salutis per Christum (3). Quamvis Weiss nonnihil mitius quam Holtzmann et Loisy loquatur, imo in non paucis recte Pauli mentem interpretetur, consonat tamen cum illis in fundamentali axiomate: quod putet Paulum asserere in Veteri Oeconomia Legem a nemine de facto servatam fuisse. Et quoniam aliunde censet Legem iudaicis datam fuisse tamquam institutum obtinendae salutis et iustitiae, quod viguit donec, adveniente Evangelio, nova norma salutis " ex fide „ substituta fuit (4), duplici, mutuo connexa, erronea interpretatione Pauli doctrinam pervertit (5).

Iuxta hos omnes Pauli doctrina de lege et Evangelio talis foret: Legem i. e. eorum opinione, oeconomiam Veteris Testamenti, de facto saltem, nullam suis clientibus salutem attulisse; eiusque valorem ac significationem in historia religionis hanc fuisse quod, dando occasionem peccato ut hominem ulterius quam antea perderet, evidentiorem ei redderet suae imbecillitatis ac luctuosae conditionis qua versabatur notitiam et conscientiam, sicque eo ipso studium salutis per fidem obtinendae excitaret. Quam absurda atque Paulo aliena talis conceptio sit, etsi indirecte, iam prima fronte apparet; nam in tali hypothesi Deus primo, saltem aequivalenter et de facto, per innumeras generationes plurimos homines in malum propelleret; et deinde,

(1) *L'Epître aux Galates*, p. 158.
(2) Ibid. p. 159.
(3) *Bibl. Theol. des N. Test.* p. 266.
(4) *Der Römerbrief*, p. 158 et passim.
(5) Eodem modo *Jülicher* (Römer pp. 266, 267).

ad scopum utique bonum et sanctissimum, adhiberet medium evidenter reprobandum. Nec omittendum talem conceptionem stultam et contradictoriam esse : stultum enim fuisset genus humanum ad salutem in Evangelio futuram ducere immolatis in via tot generationibus quae sine remedio et absque salutis subsidio periissent ; et contradictorium, eo ipso ; nam salus generis humani eius interitu quaesita fuisset. Sed non est talis mens Pauli ; et explicationes propositae ex duplici erronea suppositione procedunt : 1) quod iuxta Apostolum, lex, cum de eius ad salutem et iustitiam inefficacia loquitur, synonyma sit cum Oeconomia Veteris Testamenti adaequate, i. e. in suo complexu sumpta. 2) quod cum Paulus Legem Evangelio opponit, distinctionem hanc " chronologice ,, et tamquam " aetatis ,, ab " aetate ,, in successione temporum absolute intelligat. Utramque suppositionem fundamentum esse triplicis opinionis propositae, perspicuum est: si enim Lex in mente Pauli non est tota Oeconomia Veteris Testamenti, evidens fit potuisse huius Oeconomiae clientes extra Legem habere in promptu aliud subsidium quo iustitiam obtinerent. Similiter si distinctio non est temporum, potuit simul cum Lege adesse in Vet. Oeconomia subsidium salutis simile ei quod adest in Evangelio. Sed ostendamus falsitatem utriusque suppositionis.

Falsitas primae facile apparet : in Veteri Oeconomia, iuxta Paulum, iustificatus certissime fuit Abraham (Rom. 4, 1-6) ; iustificati sunt illi quos celebrat David Ps. 32 (Rom. 4, 6-8) ; iustificati sunt plurimi quorum catalogum texit ipse Apostolus Hebr. 11, 1-40 : " omnes hi *probati* inventi sunt ,, i. e. Deo grati, ac proin, iusti. Et procul dubio sicut hi, iustificati sunt alii multi praeter hos. Ergo iuxta Paulum in Vet. Oeconomia hi omnes, praeter Legem, qua non iustificabantur, habuerunt in promptu aliquid aliud cuius ope obtinebant id quod Lex non dabat. Igitur Paulus nomine Legis impotentis ad iustificandum, non intelligit totam Oeconomiam Veterem, neque praecipuam eius portionem.

Ex iisdem argumentis constat Paulum, cum opponit Legem Evangelio, haec duo non ita opponere tamquam institutiones necessario successivas relate ad efficaciam iustificativam. Nam omnes illi quos Paulus asserit iustificatos fuisse tempore Veteris Oeconomiae, non alia norma iustificabantur quae substantialiter differret a norma in Evangelio proposita, sed eadem i. e. norma fidei. Expressis verbis id dicit Paulus relate ad omnes et singulos iustificatos de quibus per varia membra agit Rom. 4, 2-9[a] et Hebr. 11, 1-40. De Abraham totidem verbis ait iustificatum fuisse " non ex operibus sed ex fide ,,. Idem addit de his quos celebrat David psalmo 32 (1) ; similiter catalogum

(1) Quamvis cap. 4 ad Rom. Paulus " directe „ id intendat ut ostendat iustitiam esse " gratuitam „, et ideo fidem non memorat cum Psal-

epistolae ad Hebraeos sic claudit Apostolus: "et hi omnes testimonio *fidei* probati inventi sunt,, ac de singulis dixerat eos *fide* inspirante patrasse illa opera quae singulos distinxerunt, et ob quae iusti habiti sunt a Deo. Igitur, secundum Paulum, etiam in Veteri Oeconomia habebant iudaei ad manum subsidium fidei praeter Legem quo possent sicut nunc iustificari. Lex igitur et Evangelium, qua fons iustitiae per fidem, non erant per omnia et absolute necessario successiva.

De Abraham posset obiici, cum antiquior Lege sit, i. e. aetate qua peccati dominium in immensum accrevit, eum non ita peccati dominatui subiacuisse, ac proin non bene afferri eius exemplum ut ostendatur tempore Legis adfuisse apud iudaeos quo illum dominatum superarent. At quidquid sit de mensura qua peccati dominatui subiacerent homines ante Legem, restant pro hoc tempore ii de quibus Psalmus 32 et Paulus in epistola ad Hebraeos, qui certe habuerunt, sicut nunc fideles, quo dominium peccati superarent. Paulus igitur, cum opponit Legem Evangelio, nec nomine Legis intelligit Oeconomiam Veterem adaequate, nec extrema opponit veluti necessario absolute successiva. Itemque ab Abraham, imo ab initio mundi usque ad extrema tempora iudaismi adfuit semper et applicata a Deo fuit norma iustificandi per fidem, quae simul cum Lege ipsa aderat in sinu populi iudaici. Et de facto, in mente Apostoli, fides illa erat "fides in *Christum* venturum,, sub una alterave forma, quia *promissio* centrum erat totius iudaicae religionis, et huius promissionis, ita vitam religiosam intime pervadentis, ratione appellat Paulus Vetus Testamentum *Evangelium in promissione* (Rom. 1, 2-4), et quidem cuius obiectum est *Filius* Dei i. e. Christus. Cur non poterant igitur credere in Christum venturum et sic iustificari?

Paulus ergo in illa oppositione inter Legem et Evangelium non intelligit nomine Legis quidquid habebat populus hebraicus sub Veteri Oeconomia; neque veterem Oeconomiam et Evangelium intelligit duo instituta quae nulla ratione simul stare possint. 1°) Lex in conceptione Pauli prae se fert non oeconomiam adaequatam quae in se claudat, iuxta Dei institutionem, quidquid pro illo stadio chronologico Deus volebat ut in vigore esset in ordine ad salutem obtinendam apud illum populum cui lex concedebatur; non: natura ipsa Legis talem conceptionem excludit. Populus israëliticus erat iam constitutus in re religionis ante Legem mosaicam per ea quae Deus Patriarchis communi-

---

mum 32 citat, tamen ex vv. 4. 5 evidens est pro Apostolo idem esse iustificari "gratis„ ac iustificari "per fidem„, nam "fides„ in eius conceptione et in Oeconomia divina contraponitur "operibus„ et "merito„.

caverat, i. e. praecipue per promissionem messianicam; et sicut ipse Paulus late Gal. 3, 15–26 exponit, Lex " postliminio „ superveniens non poterat mutare constitutionem essentialem religiosam populi quae, non codice mosaico, sed praeviis institutionibus et pactis inter Iahve et semen Abrahae iampridem subsistebat. Lex igitur, i. e. codex mosaicus, natura sua, erat "additamentum „ non essentia constitutionis religionis Israëlis, nec data est tam ad salutiferam, quam ad disciplinarem, utique salutiferae subordinatam, vitam ordinandam (1). Hinc, ipso Paulo explicante, constat Legis nomine Apostolum in hac controversia non universam Oeconomiam religiosam populi hebraici, imo nec nucleum eius essentialem, sed "Codicem legalem „, "Legem ut praeceptivam „ intelligere (2), quia etsi promissio contineatur in Pentateucho, quae communiter appellatur *Lex*, non continetur titulo partis ex mosaico Codice. Lex, sensu quo Paulus vocem sumit in hac controversia, potius est quid adveniens, instar " ingredientis „ un ingrediente, quod dicitur: at praecipuum, atque essentiale, in constitutione religiosa Israëlis, est " promissio „, quae ceteroquin aliud non est quam " prima phasis „ in explicatione revelationis divinae, homogenea omnino cum Evangelio, imo Evangelium in promissione (3).

2) Ex dictis de natura " Legis „ et de eius nexu cum promissione in oeconomia Veteri, apparet huius oeconomiae alumnis semper ad manum fuisse " fidem „ scilicet in Messiam venturum per quam poterant iustificari etsi lege non possent. Ac de facto hoc processu iustificati sunt Abraham, hi quos David celebrat, illi dein qui enumerantur a Paulo Hebr. 11, 1–40 et innumeri alii, imo quicumque vellent. Exinde tamen non sequitur oeconomiam Evangelii ab oeconomia mosaica non differre, tametsi adaequate consideretur. Nam 3) Cum Oeconomia Vetus, etiam secundum partem sui essentialem de Evangelio in " promissione „, tandem non sit " Evangelium „ in re, inde fit ut collatis inter se " Lege „ et " promissione „, praecipuum in illa oeconomia ac proprium illius elementum sit " Lex „ nam " Evangelium „ in pro-

(1) Nam ad religiosam sufficiebat id quod lex naturalis dictat et per multa saecula non alia exstiterat.

(2) Haec minime nocere aut *inspirationi* aut *revelationi* Codicis mosaici quisque videt.

(3) Rom. 1, 2. Ratiocinatio a nobis per totam hanc paragraphum evoluta desumpta est manifeste ex ipso Apostolo Gal. 3, 15–4, 7.

missione aliud non est quam resonantia quaedam et anticipatio Evangelii in re. Hinc sponte sequitur Legem et Evangelium semper esse institutiones re successivas atque ex natura sua tales ut prior posteriore tanto inferior sit, quanto figura et umbra vel etiam promissio inferior est veritate, ac possessione. Hinc fit ut, quamvis promissio de Restitutione et Restitutore eo fine praecipue facta sit ut fides in Messiam futurum concipi posset, et per eam iustificatio iam tum obtineri, nihilominus haec quasi compenetratio inter utramque oeconomiam ex identitate obiecti fidei atque paritate effectus in conferenda salute et iustitia, minime sufficiat ad hoc ut utrumque Foedus commisceatur et non maneat perfecte distinctum, cum identitas illa fidei atque paritas salutis ac normae iustificativae mera sit commodatio obiecti et anticipatio effectuum ex Evangelio ad Legem: " Christus „ enim et eius " gratia „ Evangelii propria sunt. Exinde etiam appellationes diversae " Legis „ et " Evangelii „ quae permutari et ex una in alteram oeconomiam transferri non possunt; nam quantumvis vetus quoque oeconomia duo illa quae diximus communia habeat cum Evangelio, ea tamen non " ex propriis „ habet, sed " commodato „ et ex Evangelio. Illustrari hoc factum potest exemplo ovis et hominis: homo et ovis lanis calefiunt; at ovis lanas ex propriis habet, homo commodato ex ove. Habitudinem hanc quae inter oeconomiam Legis et oeconomiam Evangelii intercedit, significavit Paulus Gal. 4, 1–7 ubi ratione communis fidei ac iustitiae ex ea quibus fruebantur Iudaei sub Lege veteri eos appellat " filios „; sed ratione diversitatis in modo, eos appellavit " minorennes „ (1).

4) Ex dictis facile apparet quo tandem sensu opponat Paulus tam frequenter in suis scriptis Legis oeconomiae oeconomiam Evangelii. Non opponit proprie oeconomiam Legis adaequate sumptam et in universo suo complexu Evangelio quasi sub oeconomia veteri nullum suppetiisset salutis medium aut subsidium contra legis deficientiam ad vitam virtuosam; nec rursus aetatem aetati, quasi ante Evangelium excluderentur iudaei aut homines in genere a salute. Opponit tantummodo " elementum „ quoddam

(1) Ex his principiis facile solvuntur plura quae frequenter apud Paulum occurrunt ut quod " nihil ad perfectum adduxit lex „ (Hebr. 7, 19) quod " inutilis et infirma erat „; quod " iram operatur „, " maledictum affert „ " auget peccatum „ etc. Haec omnia intelliguntur de lege secundum se; aut si universim de Oeconomia Veteri in genere dicuntur, intelligi debent de oeconomia veteri secundum quod habebat ex se et non " commodato „ ex Evangelio.

illius oeconomiae, " legem praeceptivam„, evangelicae oeconomiae. Quoniam vero elementum hoc erat characteristicum illius oeconomiae atque aetatis, Christum autem et eius gratiam haberet oeconomia vetus solum " commodato „ ex Evangelio, et aetas " per anticipationem „, non ex propriis (Christus enim et eius gratia propria sunt evangelicae oeconomiae et evangelicae aetatis), hinc oppositio passim proponitur quasi inter oeconomias ipsas absolute vigeret. Hunc esse legitimum locutionum paulinarum sensum apparet ex eo quod hinc affirmat in Veteri oeconomia multos, imo plurimos iustificatos fuisse et quidem eadem norma qua in Evangelio, i. e. per fidem in Christum ; illinc categorice negat legem vel iustificasse, vel iustificare quemquam potuisse. Haec duo conciliari nequeunt nisi admissa distinctione 1) inter legem et oeconomiam adaequate sumptam in Veteri foedere ; 2) inter legem et " Evangelium in promissione „ quod cum lege coëxsisteret.

Forsan opponetur talem distinctionem vel distinctionis explicationem esse arbitrariam, cavillosam, nulla ratione historica vel exegetica nixam. Arbitrariam et cavillosam quia statuit in oeconomia veteri « vivisectionem » i. e. separationem elementi ab elemento (legis a promissione) quam hactenus nemo induxit ; neque enim cum iudaei iustitiam ex lege propugnabant, separabant legem praeceptivam a complexu mosaicae oeconomiae. Nulla ratione historica vel exegetica fultam, cum nec Paulus talem distinctionem umquam memoret, nec historiam illam exhibeat. — At distinctionem a Paulo statui evidenter ostendimus. Separationem vero utriusque elementi in Veteri Oeconomia historice induxerunt iudaei increduli tempore praedicationis Evangelii. Iudaei quos Paulus in suis scriptis impugnat, certe complexum iudaismi vel iudaicae oeconomiae acceperunt a suis progenitoribus et intactum servarunt. At cum Christo fidem detrectassent, proclamantes simul iustitiam ex lege, eo ipso distinctionem et separationem elementorum invexerunt, uno reiecto, promissione et fide, non quidem littera et materialiter, sed utique spiritu et significatione. Eu igitur historice invectam distinctionem et separationem in mosaismo inter Legem et fidem. Distinctionem eamdem sed sine separatione faciebant item iudaeo-christiani non iudaizantes : hi retinebant complexum mosaismi : Legem et historiam promissionis cum vaticiniis, quae impleta fuisse in Iesu profitebantur. At ita retinebant utramque partem ut iustitiam non ex Lege sed ex fide in Iesum quaererent. Distinctio haec quae de facto peracta est tempore praedicationis Evangelii, poterat eodem modo fieri et sine dubio fiebat, expresse quidem ab his qui cum Moyse et David iustitiam non ex operibus sed ex fide repetebant ; implicite et aequivalenter ab omnibus bonis israëlitis. Igitur distinctio nec est arbitraria subtilis aut chimaerica, neque destituta fundamentis historicis.

Hinc iudicari potest de levitate Loisy cum dicit " mentalitatem Pauli, cum Legem et Evangelium opponit et cum Legi efficaciam iustificativam negat, non esse illam quae propria esset hominis *exculti*, quique deductiones suas fulcit experientiis veris ac realibus „ ; sed potius " hominis primitivarum aetatum qui ex subiectivis impressionibus ducitur, quique fictiones proprii cerebri tamquam solidam realitatem aestimat „ (1). Iuxta superius propositam explanationem, quae ceteroquin ex epistola ad Galatas desumpta est, perspicue constat distinctionem inter elementum promissionis ac elementum codicis mosaici in complexu Pentateuchi, praestantiam prioris prae altero in constitutione religiosa Israëlis, indolem inefficacem Legis in ipsa, ac vicissim efficacem fidei ad gignendam iustitiam, constituere totidem capita profundissimae atque solidissimae doctrinae quae partim in historia Israëlis atque eius evolutione nituntur ut distinctio inter promissionem et Legem et consequenter mutua inter eas chronologica habitudo ; partim ex eadem per legitimam conclusionem derivantur ut natura fundamentalis elementi in promissione et superadditionis in Lege, nisi Deus huic voluisset expresse altiores praerogativas concedere, prout expressis verbis agnoscit Paulus Gal. 3, 21, quas tamen non concessit. Clausula illa : " conclusit Scriptura omnia sub peccato „, non habet sensum quem supponunt gratis Holtzmann et Loisy, sed illum qui ex dictis sponte sequitur. Illud " omnia „ non significat totam generis hominum historiam usque ad adventum Christi, sed eos qui fidem non participarunt, quam tamen potuissent participare, cum omnibus praesto esset, etiam in Veteri Oeconomia. Hic sicut Rom. 3, 19. 20 non agitur de universitate " absoluta „, sed " extra fidem „, quae possibilis erat imo multis facilis, et quam de facto plurimi habuerunt, nec solum inter iudaeos sed etiam inter paganos. In genere concessa in primis fuit omnibus et singulis qui " fecerunt quod in se erat „ sub quocumque providentiae ordine ; deinde populo israëlitico et plurimis qui cum eo contactum habuerunt.

Quod addit Loisy de proprietatibus " erudiendi, illustrandi et monendi „ ex parte Legis, S. Paulus non ignorabat, et mirum quod Loisy velit hunc suum stoicismum veluti omnino alienum ab Apostolo proponere. Nonne Paulus expressis terminis dicit atque exaggerat Legem (tam mosaicam quam naturalem) esse

(1) *Epître aux Galates* p. 161.

" bonam et sanctam atque iustam? „ Nonne addit " spiritualem „ esse i. e. prorsus alienam et contrariam omni egoismo? nonne demum adiungit " peccatum i. e. concupiscentiam, supra modum scelestam ostendi quod re sanctissima, lege, abutatur? „. (Rom. 7, 7–13). Demum 8, 2. 3 asserit per Evangelium i. e. per gratiam ei adnexam et infusionem spiritus Legem recuperasse suam potentiam et fecunditatem ad consummandam omnigenam sanctitatem in homine. Haec certe non minores laudes Legis sunt quam illae a Loisy tanta emphasi praedicatae. Paulus igitur optime celebat munus ac partes Legis: hinc " dominium „ Legis (1), " servitutem „ sub ea (2), eius " furtivam intromissionem „ (3), eius parum gratum officium " omnia concludendi sub peccato „ (4) minime intelligit aut de attributo ullo ei intrinseco, aut de positiva intentione ex parte Dei illos effectus per Legem ceu instrumentum obtinendi. Paulus singula perspicue explicat, eaque repetit ex adiunctis ex parte hominis, atque ita quidem ut semper penes ipsum hominem fuerit ab illis effectibus se subtrahere. " Dominatus legis „ non est vis obligandi sub interminatione reatus in casu inobedientiae: haec est proprietas essentialis et irremovibilis a lege et perstat in ea etiam sub oeconomia Evangelii, postquam dominatus legis evanuit iuxta Paulum: est potius pondus ingratum quo lex gravat subditum qui fide et gratia caret. Hoc autem pondus eiusque invisa indoles oritur ex dispositione subditi ob impotentiam (moralem) et aversionem a divinis ex concupiscentia et pravis habitibus. " Servitus „ est correlativa dominatus, et consistit in sensu reluctantiae quem ob duplicem illam suam dispositionem experitur subditus erga legem quae urgere non cessat. *Furtiva* legis intromissio (Rom. 5, 20; Gal. 3, 19) est adventus legis mosaicae, qui appellatur *furtivus* et *intromissio*, non quia aut praeter Dei consilium esset aut quia Dei consilia perturbaret, est locutio figurata et festiva qua Apostolus voluit significare legis habitudinem ad promissionem. Facta fuerat a Deo promissio messianica cuius populus Israël erat haeres et custos: at dum per proprios gradus promissionis historia evolveretur, et adhuc distaret eius implementum, obliteratio legis naturae ex una parte, et distantia implementi promissionis ex altera, necessariam reddebat novam et externam pro-

(1) Rom. 7, 1-5.
(2) Rom. 7, 6.
(3) Rom. 5, 20.
(4) Gal. 3, 22.

mulgationem, quae pedissequam attulit secum reviviscentiam peccati (modo superius explanato) et consequentem transgressionum multiplicationem. Quoniam lex adveniebat veluti promissionis iura supplantans, dicitur eius ingressus *furtivus*. Quoniam ex eius adventu multiplicatae sunt trangressiones, dicitur advenisse ut peccatum cresceret.

Ex iisdem principiis solvitur quod Hebr. 7, 18. 19 dicitur legem reprobatam esse propter eius infirmitatem et inutilitatem, " nihil ad perfectum adduxisse „ etc. Lex nimirum dicitur a Paulo " infirma „, quia se sola, i. e. non accedente Christi gratia, manebat sterilis atque impotens ad sui impletionem per homines obtinendam : " inutilis „, quia adhiberi ad proprium scopum fructuose non poterat.

2. Iudaismus et christianismus secundum paulinam conceptionem in dogmate.

Sub triplici aspectu potest iudaismus considerari secundum suum nexum cum christianismo in conceptione paulina : in doctrina sive dogmatis, in ritibus sacris, et in coetu ipso sive membris quibus nova Ecclesia coaluit, prout continuatio vel transformatio fuit ex veteri in novum Dei populum. Qua igitur mensura vetus oeconomia pro singulis his tribus elementis, in novam de christiana Ecclesia transfusa est secundum Pauli mentem? Ac primo, an christianismus i. e. christiana dogmata prout a Paulo proponuntur in suo Evangelio ita independenter a doctrinis Synagogae ac proprio marte cusa sunt per Apostolum ut nihil prae se ferat commune cum Synagogae dogmatis? Sunt qui existimant inter religionem iudaicam et christianismum Pauli, i. e. inter dogma Veteris Testamenti et dogma paulinum hoc maxime discrimen intercedere quod Paulus religioni iudaicae, praesertim per Christum iam haud parum ab externis operibus ad internum spiritum revocatae, particularismi sigillum penitus detraxerit atque ad absolutum universalismum evexerit. Sic passim Harnack et eius non pauci asseclae (1). Alii e converso vix quidquam vel ex religione

(1) Cfr. eius *Mission und Ausbreitung*[3] 1, 35-36; 55. 56. Summa conclusionum Harnackii haec est: Iesus particularismum pharisaicum haud leviter vulneravit revocata attentione ad " internum spiritum „ prae externis observantiis, proclamata Dei paternitate versus homines " ut tales „, atque statuta intima cuiusvis

antiqui Israëlis, vel ex formalismo iudaico in sua conceptione Paulum retinuisse putant; et omnia in Apostoli conceptione prorsus personalia asserunt. Sic Baur.

Quid vero hac de re Paulus cogitaverit, quidve in suo Evangelio gentibus praedicare intenderit, haud aegre ex eius verbis apparet. Nam eius axiomata circa doctrinalem nexum inter Veteris Testamenti doctrinam et Evangelium perspicue ipse aperit initio epistolae ad Rom. (1, 2. 3). Paulus hoc in loco expressis verbis declarat se Vetus Testamentum non aliter intueri quam ut " Novi promissionem „. Vetus Testamentum in suo nucleo substantiali, i. e. qua revelationem divinam continet populo Israëlis specifice propriam ac distinctam a veritatibus religiosis quas etiam religio sive recta ratio naturalis de Deo ac divinis dictat, aliud non est opinione Pauli quam *Evangelium in promissione:* idipsum quod suo adventu Christus de se deque suo opere restitutorio docuerat quodque re executus est, id omne iam per Prophetas in oeconomia veteri praenuntiatum erat.

Latissimum porro hoc axioma quod totam Apostoli de Evangelio conceptionem pervadit, recurrit dein applicatum identidem ad singula eius elementa. Scimus conceptionem Apostoli de restitutione per Christum, secundum duplex stadium quo perficitur, totam veluti cardine superstrui articulo de morte et articulo de resurrectione Christi: " Christus mortuus est propter delicta nostra „ i. e. ut nos a delictis nostris redimeret; " et resurrexit propter iustificationem nostram „ i. e. ut exemplarem causam primo et inmediate, iustificationis; deinde futurae quoque glorificationis prae se ferret. Iam vero mortis ac resurrectionis Christi fundamentum Paulus in Scripturis quaerit. " Mortuus est *secundum Scripturas* „, " resurrexit *secundum Scripturas* „ (1 Cor. 15, 3-5). Per se patet Paulum in Scripturis non tam " factorum „ mortis ac resurrectionis Christi, quam valorem ac significationem earumdem iuxta divina consilia quaesivisse, idque perspicue atque expresse Apostolus declarat cum dicit Christum " mortuum fuisse *propter peccata nostra* secundum Scripturas „; i. e. Scripturas non solum praenuntiare mortem Christi, sed eius scopum in oeconomia salutis; idemque de resurrectione dicatur. Hinc apparet

---

hominis communicatione cum Deo. At de Evangelio ethnicis offerendo, i. e. de " missione „ et sic de positiva et practica Evangelii liberatione a iudaismi nexibus non cogitavit: re pharisaismo adhaesit.

Paulum in Scripturis Veteris Testamenti non nudam de morte Christi praedictionem legisse, quam dein ad personalem suam seorsim ac proprio marte confictam de restitutione per Christum theoriam accommodaverit (multo minus naturale quoddam de fatis cuiuslibet viri iusti ex populo praesagium); sed iustum vaticinium de morte expiatoria Christi cum propria significatione propriaque sede in complexu oeconomiae divinae de humani generis reparatione. Tantumdem dicatur de Christi resurrectione.

Similem ad Scripturae testimonia provocationem reperimus apud Apostolum quotiescumque capita exponit alicuius momenti in doctrinali sua conceptione praesertim de iustificatione. In epistola ad Romanos iam cum capitale eius thema proponit de Dei iustitia per Evangelium mundo palam manifestata deque indeclinabili atque unica ad eam comparandam conditione quae fides est, statim utriusque partis praesidium quaerit apud Prophetas, citato loco Habacuci: " iustus (meus) ex *fide* vivit „, ubi certe de iustitia sermo est quae sola apud Deum valet: " iustus *meus* „; ac vicissim nonnisi *per fidem*, minime per opera, comparari asseritur. Solemnius adhuc postea 3, 21, cum data opera, hanc eamdem fundamentalem suam thesin quam 1, 17 enuntiaverat, adstruere uberius vult, ad eumdem Scripturae fontem recurrit, serio protestatus se non aliam Dei iustitiam velle obtrudere, aliamve iustitiae comparandae viam praeter eas ipsas quasi iamdiu testati fuerant lex i. e. Pentateuchus, ac Prophetae, prout, ex allatis dein cap. 4 testimoniis ex Genesi 15 et Psalmo 32 evincit. Similiter cum negativam suae thesis partem de exclusione operum legis contra iudaeos speciatim tueri vult, ultra indirectam ex Genesi probationem quam iam 4, 2. 3 attulerat, expressiorem ac multo uberiorem confirmationem quaerit in facto electionis reliquiarum credentium prae massa Israëlis increduli legisque opera iactantis, quod iam pridem ab Osea, sed multo magis ab Isaia praedictum fuerat (9, 22–33).

Negari nequit apud Paulum non reperiri pro singulis suae conceptionis partibus, quamvis eas latissime et multis in locis suarum epistolarum exponat, tot tamque praecisa et clara testimonia ex Scripturis, quot et qualia axioma Rom. 1, 2. 3 proclamatum de parallelismo inter suum Evangelium et Evangelium in promissione apud Prophetas exspectare faceret. Si Paulus in Vet. Testamento cernit praedictum in sua integritate et per singula eius membra saltem capitaliora, systema de opere restitutorio Christi prout ipse illud concipit, quomodo fit ut illa gene-

ralitate axiomatis illisque vagis remissionibus contentus, non quaerat praecisiorem suae doctrinae per singula capita confirmationem in Veteri Testamento? Sane mirum est quod nec in descriptione tam accurata et prolixa mortis Christi (Rom. 3, 22-26), neque in tam longa et capitali tractatione de processu iustificativo et eius effectibus (capp. 5-8) vel una recurrat remissio ad Scripturae vaticinia.

Duplex, atque prima specie, haud levis difficultas affertur ut convellatur parallelismus doctrinalis inter paulinam conceptionem et Vetus Testamentum 1) ex paucitate et 2) ex impraecisione allegationum; quae tamen potius apparens est quam realis. Ut autem perspiciatur exigua difficultatis vis animadvertatur epistolas Pauli non exhibere nobis, sicut relate ad Apostolos exhibent Evangelia Synoptica et speciatim Matthaeus, specimen primae catecheseos paulinae qua huius elementa plene, ac systema doctrinale paulinum totum ex ordine evolvatur; sed specialiores quasi tractatus, ubi, per occasionem, aut puncta quaedam, aut etiam sectiones completas suae doctrinae tradit, in quibus tamen elementa illa nota apud lectores praesupponit. Nemo profecto exsistimabit Paulum, in sua prima corinthiorum de primariis fidei ac symboli rudimentis institutione ad quam alludit per compendium 1 Cor. 15, 1–11, contentum fuisse vaga illa remissione ad Scripturas pro morte ac resurrectione Christi quam exprimit vv. 3. 4; sed procul dubio concreta quaedam ac determinata loca adduxit quibus v. gr. veritatem de Christi morte expiatoria confirmabat. Quaenam illa concrete fuerint ignoramus; at cum brevi tempore post conscriptam 1^am^ ad Corinthios, legamus in Epistola ad Romanos 1, 2. 3 categoricam illam affirmationem de parallelismo inter suum Evangelium et Veteris Testamenti vaticinia, cumque apud Isaiam v. gr. 49 et 53 uberrimam de Christi morte expiatoria descriptionem reperiamus sub iisdem plane conceptibus sub quibus ipse Apostolus Rom. 3, 22–26 illam mortem proponit, cogimur concludere ad illa et similia loca Paulum alludere 1 Cor. 15, 3. 4 atque eamdem descriptionem isaianam prae oculis haberi Rom. 3, 22–26. Idem dicatur de sexcentis aliis locis epistolarum in quibus similes praecipuorum suae doctrinae capitum explanationes recurrunt: ibi quoque, etsi taxative locos non citet, procul dubio prae oculis habet et habere lectores supponit alios locos, vel ex propria vel ex aliarum praeconum evangelicorum praevia catechesi. Atque in his suis primis instructionibus idem procul dubio, sub Pauli invitatione, faciebant auditores pagani vel iudaei ad quos

in Synagogis praedicabat, quod de bonis beroeensibus narrat Lucas Act. 17, 11 : i. e. Paulus adhibebat scripturisticam suae institutionis confirmationem.

Iuvat perstringere per singula capita parallelismum inter paulinae conceptionem et descriptiones propheticas, praesertim Isaiae, de opere restitutorio Christi. Iuxta paulinam conceptionem Christus, verus Homo–Deus moritur et resurgit ut opus reparatorium perfecte consummet : idem, non solum in complexu aut summatim, sed per singulas partes cernere est in isaiana descriptione 49, 4-8 et 52, 13–53, 12 ubi Propheta doctrinam Pauli tradit omnibus numeris absolutam mediante morte expiatoria et vicaria Servi Iahve cum suis fructibus apud credentes. In illa descriptione Deus imponit humeris sui Servi iniquitates omnium hominum (53, 6) et Servus acceptat libenter tale onus (53, 5) voluntariae sese morti tradens (53, 7. 10. 12) plane ut apud Paulum (Rom. 3, 25. 26, Philipp. 2, 8). Livore, i. e. plagis atque morte Servi salutem recipiunt omnes (53, 5) prorsus ut apud Paulum (Rom. 3, 22. 23. 25 ; Tit. 2, 14 ; 3, 5). Servos eos lavat et iustificat (52, 15 ; 53, 11) ; non secus apud Paulum (Tit. 3, 5 ; Rom. 3, 25. 26 ; 5–8). Morte Servi non terminatur eius salvificum opus atque effectus : completo sacrificio, Servus ipse cernit fructificare suum opus sub Dei manibus (53, 10) ; multi in serie saeculorum manent Servo incorporati (53, 8. 10) plane ut apud Paulum (Rom. 5–8 ; Philipp. 2, 9–11 ; Tit. 2, 14). Certe qui post categoricam Pauli affirmationem (Rom. 1, 2. 3) ac post tam disertas, etsi utique laconicas, remissiones ad Scripturas tam singulari modo pro morte ac resurrectione Christi (1 Cor. 15, 3. 4), duplici nimirum articulo qui conceptionis paulinae quasi axem constituit, diligentem quam instituimus cum vaticiniis propheticis collationem considerat, diffiteri nullo modo poterit Apostolum tempore quo, nemine refragante, ad supremum culmen suas de Christi opere notiones perducebat in epistola ad Romanos, eas iuxta schema isaianum adamussim exegisse. Locos taxative non citat quia totus intentus est delineando schemati et testimonia ex catechesi subaudit.

Sequiturne ex dictis Vetus Testamentum aut revelationis divinae in eo propositae stadium nihilo a revelationis divinae stadio quod in Novo panditur differre ? Nullo modo ! Differt adhuc in immensum, sicut promissio ab implemento, sicut umbra a pleno lumine, sicut figura a veritate, sicut fragmentaria res ab integra et completa. Vaticinia atque vaticiniae descriptiones, etiam in vaticiniis litteralibus multiplici ex capite ab implemento historico deficiunt i. e. pallidiores sunt, sive in numero, sive in ordine sive in vivida adiunctorum enucleatione.

3. Iudaismus et christianismus in conceptione paulina quoad ritualia.

a) *Christi Sacerdotium*

Sicut in dogmate Paulus novam oeconomiam non aliter cogitabat quam ut implementum propheticarum praedicationum ita ut perfectum parallelismum inter Evangelium in promissione et Evangelium in historia detegeret; haud absimili modo in oeconomia rituali vetus Sanctuarium cum sacerdotio et ritibus annexis non aliter concipiebat quam ut preludium Sanctuarii in nova oeconomia erigendi ac sacerdotii per eum instituendi. Hoc argumentum sublimi stilo Paulus in epistola ad Hebraeos evolvit. Iuxta descriptionem in hac epistola ab Apostolo propositam, oeconomia Sanctuarii veteris cum Sacerdotio et victimis ac ritibus ei adnexis, umbra fuit et praeparatio augustioris Sanctuarii ac sacerdotii cum nobiliori hostia per Christum stabiliendi. Iam in Sinai, erecturus Moyses Tabernaculum, sacerdotiumque instituturus Veteris foederis hoc a Deo monitum accipit ut caveat ne aliter Sanctuarium cum sacerdotio et ritibus ei adnectendis digerat ordinetve quam iuxta " exemplum sibi in monte praemonstratum „ (Ex. 25, 40); tamquam praefigurativum nimirum altioris Tabernaculi aetate messianica suscitandi quod nobiliori rursus sacerdotio nobiliorique sacrificio munietur quam quod nunc pro israëlitico populo instituendum est. Sensus moniti quod Moyses a Deo accipit Ex. 25, 40 non hic est, sicut prima specie videri posset, ut ad exemplar quoddam rudioribus tractibus delineatum, quod Legislatori in visione oblatum sit, Moyses opus ac laborem suum exigat: non agitur de rudiori exemplo per Moysis opus expoliendo; agitur potius de sublimiori quodam " adumbrando „ quod in aetate messianica a Deo exstruendum est, quodque per visionem Moysi ostensum erat, sub elementari forma nunc per oeconomiam mosaicam a longe praefigurando (Heb. 8, 1–13) (1). Sanctuarium igitur Veteris foederis cum sacerdotio levitico ac ritibus adnexis a prima sua iam institutione aliud non sunt quam " umbra futurorum „.

At praeterea semel constructum Sanctuarium, quamvis veri nominis Templum esset, nihilominus ipsa sua structura ac partium distributione,

(1) Hunc esse sensum quem Paulus tribuit loco Exodi 25, 45 evidens est; eo enim testimonio allato vult Apostolus probare in ipsa primaeva veteris Oeconomiae ritualis institutione per Moysen, totum apparatum Sanctuarii, Sacerdotii, victimarum, supellectilis, institutum illa forma fuisse ut futuram Sanctuarii, Sacerdotii, Victimae sub Messia instituendorum adumbraret.

suisque ritibus ac sacerdotio augustius Sanctuarium praefigurabat. Quod enim duplici parte « Sancto » et « Sanctissimo » constaret, quodque in Sanctissimum semel tantum per annum solique summo sacerdoti die magno expiationis accessus pateret ; i. e. totus ille apparatus quo accessus ad Deum rarus ac difficilis repraesentabatur, id in Spiritus sancti mente oeconomiam illam inspirantis significabat : « nondum complanatam fuisse viam ad Deum per veram cum eo reconciliationem » (Hebr. 9,8) donec Christus post consummatam sui oblationem in terris ad crucem, verum « Sanctissimum » i. e. coelos penetraret verus Pontifex, illaturus ibi ad Thronum Patris proprium sanguinem in crucis altari effusum, futurusque perpetuus pro nobis apud Deum Mediator (9, 1-14 ; 1, 4 ; 4, 14 ; 6, 20). Adveniente hac nova ac vera pro peccatis Hostia, cessaturae erant hostiae veteres, utpote huius praefigurativae (10, 1-9).

Hic mere transitorius ac praefigurativus valor veteris oeconomiae ritualis corollarium obvium erat, iuxta mentem Pauli, transitoriae indolis Pacti ipsius cui inserviebat. Nam Pactum ipsum Dei cum populo israëlitico, cuius pars erat Sanctuarium cum sacerdotio, apparatu et legislatione rituali, minime erat perfectum et inmutabile, sed transitorium, transmutandumque atque substituendum Novo quodam perfectiori ac perpetuo. Hanc Pacti Veteris indolem non dissimulant Prophetae ; imo Ieremias cap. 31 cum de pacto mosaico loquitur, illud ita describit ut Novum adhuc exspectetur. Si tempore mosaici Pacti, « novum » aliud exspectabatur, necessario sequitur, arguit Paulus, illud prius veterandum iri et abolendum (1). Quod si Pactum cessaturum erat, eo ipso cessatura erat pars eius essentialis : Sanctuarium et sacerdotium (8, 6-13).

Expositionem tamen amplae et multimembris suae thesis inchoat Paulus a Sacerdote et sacerdotio (4, 14-7, 28) quia praeter generale illud praeceptum Ex. 25, 40 intimatum, quod totam universim oeconomiam ritualem mosaicam respiciebat, singulare ac nobilissimum exstabat in Ps. 110 de " Christo Sacerdote secundum ordinem Melchisedec „ suscitando vaticinium, quod tenore ipso verborum, institutionem praedicit novi sacerdotis novique sacerdotii ac sacrificii abolitis veteribus ordinis aaronici. Etsi epistola ad Hebr. ubi argumentnm hoc evolvit Paulus, tota prae oculis habeat Christum sacerdotem (1, 3 ; 2, 17 ; 3, 1) praecipue tamen argumentum hoc ex professo pertractat centrali sectione 4, 14-10, 18. Initio sectionis Apostolus eximia et grandia de hoc Christi munere dicit

(1) Veterabatur iisdem passibus quibus Novum appropinquabat : hinc " veteratio „ et " via in interitum „ de quibus Paulus loquitur intelliguntur adesse iam et actuari ipso Prophetarum tempore, a momento quo substituendum annuntiabatur per " Novum „.

se habere quae disserat (5, 11); et revera argumenti explanatio promissis plane respondet. Quatuor maxime sunt quae Apostolus de Christi sacerdotio exponenda suscipit: 1) Christum vere esse sacerdotem cui nihil desit ut proprie talis sit, idque excellentissima ratione (5, 1-10); 2) excellentias Pontificatus Christi, qua novus est et secundum normam Melchisedec (7, 1-28); 3) specialia de Christi Pontificatu qua Pontifex est " coelestis „ (8, 1-13); 4) relationem inter oeconomiam ritualem veterem et novam 9, 1-10). Quamquam Paulus Christum constanter appellat non " Sacerdotem „ (ἱερεύς) sed " Pontificem „ (ἀρχιερεύς), in primo tamen membro potius de eo agit ut " sacerdote „ i. e. sub ratione et officiis " sacerdotis „, quam de specialibus eius qua Pontificis, functionibus. Ratio facile intelligitur: etiam " Pontifex „ est ante omnia et praecipue " sacerdos „, eiusque functiones sunt sacerdotales. Cum ergo in Novo Testamento Christus sit unicus sacerdos qui plenitudinem sacerdotii totam in se uno possideat, descriptio sacerdotii Christi omnes eius functiones complecti debet: suipsius nimirum sacrificium in cruce, et illationem sanguinis in Sanctissimum i. e. in coelos ad Patrem quod proprium Summi Sacerdotis erat in die magno Expiationis. Aliunde utrumque praestandum fore a Christo praedictum erat cum tota sacerdotalis oeconomia vetus figura et vaticinium reale esset peragendorum per Messiam in Novo Testamento.

Paulus Christum esse verum sacerdotem probat ex functionibus sacerdotis propriis quas cumulate Christus implevit. 1ª est ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; 2ª ut animum compassivum erga peccantes gerat quo paterne pro iisdem Deum orare possit (1): 3ª ut, non auctoritate propria, sed Dei institutione id faciat, cum Deum placare non possit nisi ei gratus sit. Iam Christus tria haec egregie explevit; nam 1) sacerdotium non propria

(1) Compassionis efficacissimum fundamentum quaerit Paulus in " propriae infirmitatis sensu „ (5, 2) qui sponte compassionis affectum gignit. Hanc infirmitatem experiuntur communes sacerdotes etiam in propriis lapsibus, unde in suis sacerdotalibus functionibus non solum pro aliorum sed etiam pro propriis erratis orant (5, 3). Christus tali gradu infirmitatem experiri non potuit (7, 26. 27); sed usque adeo necesse fuit eum quoque sensum propriae infirmitatis experiri quo aliorum misereretur, ut hac de causa oportuerit eum hominem fieri (2, 17) atque in humanitate per omnia tentari i. e. probari, dempto peccato (2, 18; 4, 15; 5, 8). Sic multipliciter tota vita sed maxime in passione ardue probatus, didicit experiendo quam difficilis res sit obedientia ad divina mandata, et sic evasit summe in homines misericors (5, 8).

voluntate, sed Dei designatione ingressus est qui solemniter ad eum dixit: " tu es Sacerdos „ (1). Sic est factus sacerdos ab ipso Deo. 2) preces et dona supplicationesque per totam vitam pro nobis obtulit, imo tamquam summum sui sacerdotii actum semet in cruce obtulit in hominum salutem (5, 8. 9); idque 3) cum summo compassionis affectu per singultus et clamores (ibid.).

Hac demonstratione praemissa, ad grandia illa transit Paulus quae de Christo Sacerdote et Pontifice habet enarranda (7, 1) (2). Haec vero grandia detegit Paulus in praedictione Ps. 110, 4: " Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedec „: עַל־דִּבְרָתִי מַלְכִּי־צֶדֶק secundum normam quam sacerdos Melchisedec prae se fert in episodio genesiaco 14, 17–20. Psalmista eo ipso quod Christi sacerdotium cernit delineatum in Melchisedec sacerdote, admittit in hoc typum, imaginem Christi; et Apostolus, duce Psalmo, hanc normam typicam Christi sacerdotis, hanc eius imaginem evolvit, instituta analysi characterum sub quibus in pericope genesiaca sistitur nobis Melchisedec. Praemissa brevi introductione historica: " hic Melchisedec rex Salem sacerdos Dei Altissimi qui obviavit Abrahae et benedixit ei „, inquirit in characteres personae, ac sequentes detegit: 1) rex iustitiae, 2) rex pacis, 3) complexus eorum quae personam a genealogia et aetate definiunt: " sine patre, sine matre, sine genealogia, sine initio dierum nec fine vitae „. In hac characterum congerie describit quidem Paulus ipsam Melchisedec personam, siquidem subiectum omnium attributorum quae enumerantur aliud non est quam Melchisedec; at non tam eum describit qua individuum historicum quam qua

(1) Institutio in Sacerdotem, vel declaratio collati ad Christum sacerdotii per Deum directe exprimitur verbis: " tu es sacerdos „, non illis: " Filius meus es tu ... Haec declarant " fundamentum „ sacerdotii: non poterat Christus esse Sacerdos qualem Deus postulabat, i. e. qui sacrificium vere satisfactorium pro peccatis offerret, cum expiatio infinitum valorem habere deberet, nisi Deus-homo esset, eius consubstantialis Filius. Versibus igitur 5. 6 Paulus emphatice vult efferre quam vere sacerdos sit Christus, cum Dei Filius sit, unicus cui sacerdotium vere efficax competere possit. Ad tempus quod attinet quo Christus institutus est sacerdos, Paulus designat ipsum incarnationis momentum; iam enim in eo habetur et fundamentum institutionis (dignitas Christi), et sacerdotii scopus qui est mediatio in hominum favorem. Revera Paulus inter sacerdotales Christi actus recenset " preces supplicationesque „ pro hominibus, easque distinguit a " consummatione „ per mortem (5, 8. 9). Si Christus his omnibus sacerdotium exercuit, tota sua vita fuit sacerdos.

(2) Quae mediant (5, 12-6, 20) sunt longa digressio ob lectorum parum aptam dispositionem.

typus est Christi ; nam descriptionem Paulus non claudit nisi postquam qualitatum enumeratarum complexum in hunc fascem congessit : " assimilatus Filio Dei „ (ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ) per ea scilicet quae de eo praevie enumerantur. Descriptus est Melchisedec ipse, i. e. eius persona, at secundum qualitates quibus alium praefigurat, non secundum attributa quae eum in propria persona exornent, non enim erat iustus quia appellabatur " Rex iustitiae „ nec pacificus quia erat " rex Salem „. Multo autem minus qualitates quae sequuntur utpote mere negativae, vel per simplicem omissionem genealogiae et aetatis, eum aeternum faciunt. Sed cum Melchisedec inducatur in scenam, Deo ita disponente et positive ordinante, ut per haec omnia tametsi adscititia, imo nonnulla negativa, Christum praefiguret sub totidem attributis, hinc Melchisedec exhibet in typo Iesum sacerdotem aeternum. Porro quare Deus qui sua omnipotentia cursui eventuum in historia dominatur et sua praevisione potest futura sapienter disponere, non valebit eventum aliquem sub certis conditionibus in significationem ordinare alterius eventus post saecula consummandi ? Nec obstat quod qualitates adscititiae et negativae sint ; agitur enim de mera " praefiguratione, adumbratione „ ad quam plus facit Dei ordinatio, modo de ea constet, quam positiva praefigurantium consistentia.

Ex dictis iudicium ferri potest de eorum opinione qui cum Windisch in nostro loco praeclarum exemplum perspiciunt « rabbinicae interpretationis quae collatis inter se Gen. 14, 18-20 et Ps. 110, 4, consectaria elicit cum applicatione ad Iesum tamquam Messiam, quae a mente utriusque scriptoris biblici penitus aliena sunt » (1). — At Paulus non ex proprio penu locum Geneseos explanat, sed evidenter aliud in sua interpretatione non facit quam ob oculos ponere fundamenta ob quae multis iam saeculis ante se Psalmista in narratione genesiaca mysterium perspexerat, et in scena per Moysen descripta consilium divinum per res ipsas futura praesignandi. Id vero non est « Psalmum et Genesin componere aut iuxtaponere ut exinde corollaria (procul dubio arbitraria) eliciantur ad Iesum applicanda » : est potius ostendere quomodo iam Psalmista et Synagoga valorem praefigurativum genesiacae sectionis iure agnoscerent. De facto non possunt aptiora fundamenta oraculo davidico assignari quam ea quae Paulus affert ; et Apostolus in sua interpretatione aliud non fecit quam fideliter vestigia sequi quae a scriptore canonico iam pridem praemonstrata erant. Certe propositum Dei de praeordinando eventu ad typicam praesignationem ex sola ex-

(1) p. 57.

tremorum analogia vel similitudine non constat, sed opus est positiva revelatione : at hanc habuit Paulus in Psalmistae interpretatione quae Deo inspirante fiebat.

Non minus perspicue excluditur quaevis dependentia ab alexandrinismo, nisi ipsum Psalmum a scriptore (1) exaratum dicamus sub alexandrinismi influxu. Afferuntur quidem ex Philone plura testimonia ubi de Melchisedec eodem tono atque apud Paulum fit sermo et vix non iisdem conceptibus. Scribit Philo " Melchisedec, regem pacis, a Deo ipso constitutum suum sacerdotem „; addit deinde " nominari etiam regem iustum, primum qui dignus fuit sacerdotio per Deum collato „ idque " non memorato ullo eius merito, sed quia Deus ipse eum sacerdotem fecerat „ (2). Imo, paulo post, Philo Melchisedecum cum " Logo sacerdote „ identificat sicut Paulus cum Christo : aut saltem adumbratione quasi identificat (3). — At collatis inter se quae Paulus et quae Philo de Melchisedec allegorice disserunt, discrimen est ingens, et Paulus non solum penitus independens a Philone, sed infinite eo superior proditur. Independentia cernitur non solum in fundamentis exegeseos apud utrumque, sed in centro, scopo ac puncto capituli quod respiciunt. In fundamentis evidenter Paulus ducitur solo Psalmo 110 et ad summum adiecta uberiori traditione circa eumdem, sed quae arctissime Psalmo adhaerebat. Nam Paulus in descriptione Melchisedec, ut typi Christi, omnia et singula attributa quae in Melchisedec detegit ut typicam rationem in eo relucentem ob oculos ponat, eo ordinat ut ibi i. e. in Genesi " Christum eiusque sacerdotii perpetuitatem „ efferat. Duo autem haec a Psalmo evidenter suggeruntur; dum Philo e contra, nec meminit Messiae, nec typicam ullius rationem in Melchisedec detegit, nec memorat Psalmum 110. In centro, scopo et puncto capitali quod respiciunt : Paulus in tota sua sublimi explanatione solam Christi i. e. Messiae praefigurationem respicit, et mira sobrietate et consequentia evolvit ; dum Philo diffluit in plura nec centrale punctum de Messiae praefiguratione ullo modo tangit. Hinc etiam Paulus excedit infinite Philonem in maiestate et conceptionis amplitudine. Nimirum traditio quam Paulus sequitur, est palaestinensis, non alexandrina : palaestinensis vero non rabbinica est, i. e. cuius haereditas aut

(1) *David* scilicet ! Cfr. Mt. 22, 43 et titulum in omnibus textibus.

(2) Apud Windisch, p. 57 (Vide Philonis op. ed. Mangey, *Legis allegor.* libr. 3, p. 288).

(3) Wind., ibid. (Phil. ibid. p. 290 : οὗτος δέ ἐστιν ὁ ὀρθὸς λόγος).

vestigia detegantur in Thalmude, sed legitima et quam christianismus propriam fecit. Mirum quidem prima specie est huius traditionis quae sine dubio antiquior Christo est, non reperiri vestigia in Thalmude, sed explicatio obvia est : idem accidit cum pluribus aliis traditionibus : traditiones nimirum quas christianismus proprias fecerat utpote genuinas illorum doctrinae capitum Veteris Testamenti explicationes quae christianismo congruebant, reiecit Synagoga iudaica cum ipso christianismo.

Nota. Windisch urget hanc quam putat intimam analogiam inter Hebr. et Philonem : quod etiam in epistola Melchisedec « non sit homo sed ens quoddam suprahumanum cuius exsistentia aeterna sit », sicut Philo cernit in eo « apparitionem Verbi (τοῦ Λόγου) », nam Melchisedec ut vidimus, cum Logo identificat (1). — Mirum est quomodo serio dici possit auctorem epistolae Melchisedecum reputare « ens suprahumanum, non hominem », cum eum « regem Salem faciat, cum sacerdotem dicat qui Abrahamo obviavit, quem benedixit, a quo decimas accepit », i. e. cum evidenter in memoriam revocet sectionem genesiacam 14, 17-20 eodem plane sensu historico quo a Moyse ibi proponitur. Verum est Paulum agnoscere in Melchisedec alia attributa mystica ut quod sit « rex pacis », quod « eius sacerdotium aeternum » sit ; sed quo sensu ea agnoscat, minime negata historia, sed ultra eam et super eius fundamentum, expresse declarat tum participio ἑρμηνευόμενος, tum illo alio recapitulativo praecedentium ἀφωμοιωμένος et clausula descriptionis ut iam explicatum est : personae historicae superaddit rationem typicam.

Solum restat explicandum quo iure tum Paulus tum Psalmista cernant in talibus praedicatis ut nomen materiale regis et nomen urbis, multo vero magis in praedicatis quae pura omissione constant, verum fundamentum typologiae. Ad quod respondendum fundamentum esse in positiva Dei voluntate alligandi his omnibus talem vim praefigurativam. Quis iure negare audebit Deum " potuisse „ ita episodium sua providentia et consilio ordinare ut per singula eius adiuncta, etiam quae omissione constant, futura arcano modo portenderet ? Nam etsi omissione constet vel exprimatur conceptus, per ipsam unius omissionem v. gr. omissione durationis vitae, omissione genealogiae, suggeruntur etsi indirecte, conceptus positivi contrarii ; in omissione durationis successivae, aeternitas ; in omissione geneologiae, perennis subsi-

(1) Windisch, pp. 58. 59.

stentia. De consilio autem divino ex Psalmo et Paulo constat, qui typologiam detegere non poterant nisi Deus eam revelasset (1).

b) *Specifica Christi, qua Sacerdotis, functio.*

Apostolus accurate distinguit inter " Sacerdotium Christi essentiale „ cum sua specifica et propria functione, et " Pontificatum „ huiusque actum specificum. Sacerdotium cum eius functione propria reponit in precibus Christi quae coronantur morte crucis, qua se pro hominum peccatis immolandum obtulit. Functio haec consummata est in terris. Has preces earumque coronidem in morte crucis tamquam constituentes propriam sacerdotii Christi functionem meminit Paulus Hebr. 5, 8–10; 7, 27; 9, 14–17. In primo ex his testimoniis " consummatio passionum „ i. e. earum cumulatio, per mortem scilicet, duo effecit: " attulit salutem aeternam „, et provocavit " proclamationem Christi a Deo in Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec „. Quare mors Christi salutem hominibus attulit? Quia Victima fuit pro mundi delictis oblata. Quare proclamationem provocavit eius Sacerdotii? Quia in ea Christus suum sacerdotium exercuerat, functionem sacerdotalem expleverat; i. e. quia a se ipso tamquam a vero Sacerdote immolandus oblatus erat. Rursus eumdem actum memorat Paulus 7, 27 ubi post enumeratas excellentias Christi Sacerdotis prae sacerdotibus levitici ordinis, efficaciam remissivam eius sacerdotii repetiit ex eo quod semet in cruce obtulit. In tertio loco idem denuo iterat.

Cum Christi sacrificium fuerit non latreuticum utcumque, sed expiatorium et propitiatorium, abesse in eo non potuit vera victimae immolatio. Secundum hoc axioma Paulus cum de actione sacerdotali Christi ad immolationem se tradentis agit, constanter adhibet voces " offerendi „ (προσφέρω) et " oblationis „ προσφορά) tam Hebr. 9, 11 quam 5, 3. 7; 10, 12. 14; aut " tradendi „ (παραδίδωμι) sive « dandi „ (δίδωμι) Tit. 2, 14; Gal. 2, 20, et numquam dicit Christum se immolasse (θύω). Scilicet Christi Sacerdotis functio secundum Paulum

(1) Posset ulterius regeri talem praefigurationem praedicatis negativis alligatam indignam esse Deo utpote vix non ridiculam — at expendendum attente Deum in inspirationem se attemperare ad mores, gustus, usus litterarios scriptorum et populi cui fiebat revelatio. Apud hebraeos autem et maxime apud antiquos usuale fuisse ut allegoriis et figuris delectarentur ut ex apologis constat quae recurrunt Iud. 9, 7 seqq.; 14, 14; 2 Sam. 14, 4 etc.

fuit " sui oblatio in Victimam ,,, non sui immolatio propriis manibus, aut etiam directa cum tortoribus cooperatione ; neque enim immolare sive mactare (שחט) victimam proprium erat sacerdotis, sed vel ipsius offerentis vel levitarum : Sacerdotis proprium erat victimas ab offerente vel levitis iugulatas " offerre ,, (הקריב) exhibere Deo in eius obsequium et placationem (Lev. 1, 5. 11. 13 ; 3, 1-5). Sed quamvis Paulus saepe Christi " oblationem sacerdotalem ,,, sive actum se sacerdotaliter offerendi tamquam a Christo aliquando et certo consummatum memoret, non tamen facile apparet num concrete actum ipsum designet quo se Christus ut Sacerdos obtulit i. e. in quanam Christi actione oblationem hanc reponat. Sunt qui hunc actum reponant in deiectione comprehensorum, cum in horto, eo momento quo passio inchoabatur eos coërcuit, sicque se ipse tradidit vel obtulit. At talis actio negativa est nec apparet quo pacto sit sacerdotalis. Alii malunt id Christum egisse cum, iamiam moriturus, illa verba proferebat : " in manus tuas commendo spiritum meum ,,. Sed haec verba oblationem supponebant iam peractam. Alii oblationem detegunt aut in horto : " *fiat* voluntas tua ,, ; aut cum in coenae fine dixit : " surgite, eamus ,, ; aut in sacerdotali, quae appellatur, oratione Ioann. 17 ; " ego sanctifico i. e. immolo me ipsum ,,. Sed prior potius est expressio resignatae voluntatis, non positivae et directae deditionis ; altera caret directa et inmediata copulatione cum termino ; tertia potius est enuntiatio rei aut iam factae (in proposito) aut iamiam faciendae.

Hinc quidam cum nec in Evangeliis nec in Novo Testamento nec in Prophetis detegant actum concretum oblationis quae inmediate cum termino connectatur, putant se oblationem quaesitam reperire in oblatione eucharistica in coena. Actio enim illa qua sub panis ac vini speciebus suum corpus et sanguinem consecravit, fuit in primis vera sui oblatio in Dei obsequium ; nam eo ipso quod se in remissionem peccatorum offerebat, se offerebat ut Deum placaret, eique homines reconciliaret quod maximum est Dei obsequium : erat item eo ipso sacrificalis ; nam erat oblatio in mortem ad remissionem peccatorum ; erat sacerdotalis, quia Christus Sacerdos erat, illamque actionem ut Sacerdos peragebat ; cum sacerdotis propria sit oblatio Victimae accedente immolatione ob peccatorum deletionem. Oblatio illa denique in ipsam passionem et mortem " cruentam ,, ut talem ferebatur directe et immediate ; nam corpus illud et sanguis quae offerebat, erant " corpus in mortem tradendum ,,, utique cruentam ; et " sanguis in cruce fundendus ,, : " corpus quod pro vobis tradetur ,, " sanguis qui pro vobis effundetur ,,.

At ne hanc explicationem amplectamur plura prohibent. 1um quod Paulus qui latissime et data opera Hebr. 4, 14-10, 18 de Christo sacerdote eiusque sacrificio agit, quique rursus saepe oblationem sui sacer-

dotalem in mortem memorat (9, 11 ; 10, 12. 14) nullam de Eucharistia mentionem in tota epistola facit nisi obiter et extra sectionem ubi de sacerdotio et sacrificio Christi (13, 16) nullo tamen, vel hic, de oblatione prolato verbo. Mirum autem esset, quod si oblationem Christi sacerdotalem in coena deprehenderet, nec directe, nec per insinuationem de ea loqueretur. 2um oblatio a Christo facta in coena non alio modo in mortem cruentam cadit quam quo ipsum suum corpus et sanguinem sistit et sumendum porrigit ; nempe mystice ac significative, non cruente. Nec detrahitur exinde quidquam realitati aut mortis futurae, aut corporis et sanguinis reali praesentia in Eucharistia : de morte evidens est cum a simplice Christi voluntate penderet. Sed similiter de corpore ac sanguine ; quia Eucharistia signum est non per verba, sed per res ipsas : dramaticum, non mere enuntiativum.

Oblationem Christi sacerdotalem ad mortem cruentam Paulus perspicuis verbis expressit Hebr. 10, 5–10 ubi verba Psalmi 39, 7–9 de Christi oblatione in victimam pro peccatis explicat. Quod vero haec oblatio in mente Pauli sit a Christo tamquam Sacerdote facta, indubium videtur, cum eam Apostolus contraponat oblationibus quas sacerdotes munus suum explentes offerebant in Vet. Testamento tamquam veram et efficacem, umbratilibus et inefficacibus ; cum aliunde Christus Sacerdos sit ratione huius tantum sacrificii, cumque demum per nullum alium Sacerdotem Christus tamquam Victima oblatus sit. Solum potest opponi haec difficultas : oblationem hanc, secundum Paulum, peragebat Christus in momento incarnationis : quomodo potuit talis oblatio esse " sacerdotalis „ et immediate attingere terminum nonnisi post multos annos futurum ? Ante omnia, id quod caput est, de mente Pauli vix dubitari potest : Paulus inducit oblationem suimet a Christo peractam, veluti verae Victimae pro peccatis in substitutionem insufficientium ac per " sacerdotes „ Veteris Oeconomiae oblatarum victimarum ; insuper inducit hanc oblationem in sectione ubi de Christo " Sacerdote „ atque munus sacerdotale sibi proprium exercente disputat. Paulus ergo vel facit Christum per anticipationem loqui, translata oblatione quae tempore passionis facta est, ad momentum incarnationis, quia nimirum oblatio ad crucem intime copulabatur cum acceptatione aerumnarum sub carne tolerandarum quae in momento incarnationis fiebat ; vel, multo melius, revera Christus a momento incarnationis officium Redemptoris inchoavit, et cum eo officium quoque Sacerdotis, cum tota eius vita mortalis aliud non fuerit quam perenne sacrificium cuius cumulatio crux fuit.

c) *Christus Pontifex "coelestis„*

Non contentus Paulus exposita hactenus Christi sacerdotali praerogativa eiusque specifica functione cum se ad aram crucis obtulit, opportunum putat specialem tractationem (1) instituere de eius "sessione ad Dei dexteram„ quam Psalmus v. 1 memorat. "Habemus, scribit, talem Pontificem qui sedit in dextera throni maiestatis in excelsis, (tamquam) Minister Sanctorum et Tabernaculi (non terreni sed) quod fixit Dominus et non homo„ (sicut mosaicum). Paulus sessionem ad Dei dexteram quam Psalmus Christo attribuit, intelligit de functione sacerdotali; et merito: nam Heros qui v. 1 invitatur ut sedeat ad dexteram Dei, postea v. 4 solemniter ab ipso invitante "Sacerdos„ declaratur. Ulterius vero, ex eo quod Christus sacerdotium suum obit in ipso coelo ad Dei dexteram, concludit Paulus Christum esse sacerdotem "coelestem„. Corollarium facile intelligitur. Functio sacerdotalis quam Christus in coelis ad Dei dextram obit, certe non est "immolatio„; hanc enim perfecit in terris super crucem; sed est potius functio inferendi proprium sanguinem ante Dei thronum ad modum quo Summus Pontifex in Vet. Foedere in die magno Expiationis inferebat victimarum sanguinem in "Sancta„ ad thronum Iahve (Lev. 16, 12–16). Igitur "Sancta„ sive Sanctissimum Sanctuarii cuius Christus est Sacerdos, non est terrenum, sicut mosaicum, sed omnino "coeleste„, et similiter proin eius Sacerdotium et universa eiusdem ritualis oeconomia.

Paulus videretur ex praecedentibus Oeconomiam ritualem Novi Foederis concipere tamquam munitam Sanctuario quodam cuius "Sanctissimum„ sit "coelum„ et cui sicut Sanctissimo Templi mosaici respondeat proprium "Sanctum„ et reliqua quae Templi fabricam complebant. Sed inde sequeretur huius Sanctuarii "Sanctum„ situm esse in terris, cum in terris immolatus sit Christus cuius sanguis inductus est in "coelorum Sancta Sanctorum„ ut Patri sisteretur: ac proin induceretur conceptio hybrida ac praeterea nimis crassa et cuius nullum vestigium reperitur apud Paulum. Ac revera Paulum Sanctuarium Novi Testamenti nullo modo intelligere sensu locali apparet ex argumento quod 8, 3-5 affert ut probet sacerdotium Christi esse coeleste; non

(1) Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις: "capitulum ultra dicta: habemus talem Pontificem qui sedit ad dexteram throni celsitudinis in excelsis„. Ultra dicta, restat capitulum de Christo Pontifice "coelesti„, de hac qualitate sui Pontificatus, quod "coelestis„ sit.

enim id ex "loco,, probat ubi exercetur, sed ex origine et natura qua constat. Ex eo igitur quod actus inferendi sanguinem Patri offerendum exerceatur in coelis, concludit Paulus Sanctuarium Novi Foederis non esse Sanctuarium mosaicum aut mosaico simile, i. e. terrenum, ab homine confixum ; sed esse altioris ordinis, constructum "a Domino,, ; esse nimirum illud quod in Veteri Foedere promissum erat tamquam per Vetus praefiguratum (1). Cum autem Vetus esset "terrenum,,, a Moyse fabricatum, Sanctuarium Christi proprium est "coeleste,, ac "divinum,,. Non definit Paulus indolem coelestem "ex loco,, sed omnino ex origine secundum Dei consilia Moysi reserata.

Hanc esse Apostoli mentem 8, 1. 2 confirmat argumentum quo statim probat directe coelestem eius indolem 8, 3-6 quod sic se habet: omnis Pontifex instituitur ad offerenda dona et sacrificia: igitur Christus quoque, quandoquidem ex Psalmo 110, verus est Pontifex, hostiam habere debet quam offerat. Iamvero, si non esset "coelestis,, Pontifex, nullo modo Pontifex esset, nec terrenus nec coelestis, cum nullam haberet hostiam quam offerret. Nam ex una parte sacerdotium leviticum, unicum quod inter terrena admittit divina oeconomia ut legitimum (2), debet, utpote ex sua institutione praefigurativum futuri per Psalmum praesignificati, perdurare usque ad huius adventum ; ex alia, est iam occupatum propriis ministris et hostiis (nimirum terrenis et figurativis ut oeconomia ipsa). Quod vero sacerdotium leviticum ex propria institutione praefigurativum altioris superventuri esset, constat ex verbis Dei ad Moysen Ex. 25, 40 cum Sanctuarium mosaicum et universum eius apparatum ritualem iussu Dei creaturus esset.

Cum in sua argumentatione dicit Paulus 8, 5 sacerdotium leviticum suis hostiis et muneribus "exemplari et imagini coelestium deservire„ (ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ λατρεύουσιν τῶν ἐπουρανίων)

(1) Ex. 25, 40 coll. Hebr. 8, 5.

(2) Loquitur Paulus ex hypothesi, historice indubia, abolitionis vel insubsistentiae sacerdotii purae naturae et eius substitutionis iam ab initio mundi, per oeconomiam supranaturalem ; qua posita, unicum sacerdotium efficax ad Deum hominibus placandum, est sacerdotium Christi, cuius mosaicum est essentialiter umbra vel praefiguratio (8, 1. 3-5ª), et similiter quodlibet aliud legis naturae ut inter Patriarchas. Adverte sedulo aliud esse "sacrificium„ sicut in genere conditio vel status "legis naturae„, aliud "purae naturae„. Hoc ultimum numquam exstitit: primum exstitit ante legem mosaicam inter hebraeos et apud omnes qui naturalem legem servarent: sed haec sacrificia "supernaturalia„ erant et Christum praefigurabant sicut mosaica.

non " supponit „ adventurum esse sacerdotium " coeleste „ ; sed ex indole praefigurativa sacerdoti mosaici quod " terrenum „ est, " naturam coelestem „ concludit illius quod mosaicum portendit. Gravior difficultas exsurgit ex sensu quem Paulus verbis attribuit Ex. 25, 40 (1).

Ultra praedictionem novi Sacerdotii in Ps. 110, unde indirecte ex solidarietate organica diversarum partium Veteris Oeconomiae in suo complexu sequeretur iam abrogatio ipsius Oeconomiae adveniente Christo, novo Sacerdote ; Paulus directe Novae Oeconomiae promissionem reperit apud Ieremiam 31, 31–34. Praedicit hoc loco Propheta " Pactum novum „ (ברית חדשה) non sicut illud olim celebratum in egressu ex Aegypto, quod leges in tabulis lapideis exarabat ; sed nobilius et cuius leges in mentibus et cordibus per Deum insculpentur. Paulus observat (Hebr. 8, 13) Deum eo ipso quod Pactum promissum appellat " novum „, *antiquasse* primum, illudque iam tunc versus interitum propulisse, ita ut adveniente Christo abrogaretur.

d) *Veteris oeconomiae ritualis ad novam habitudo*

Si nova ritualis oeconomia cum suo Sacerdotio et sacrificio proprio inducenda erat, veteri abolita, exsurgebat sponte respectu oeconomiae ritualis eadem difficultas quae respectu legis : quid igitur oeconomia ritualis mosaica ? quodnam fuit eius munus in historia religionis ? Paulus respondet : praeclarum omnino, etsi

(1) Nexus inter versus 4 et 5 ostendit Paulum hoc ultimo velle ex Exodi loco probare veterem oeconomiam ritualem, secundum sui institutionem, atque ex verbis Dei ipsam instituentis, esse " adumbrationem „ coelestis i. e. messianicae. Consequenter Paulus verbis Ex. 25, 40 hunc sensum tribuit quod Moyses iubeatur suum Sanctuarium erigere velut adumbrationem messianici quod ei antea ostensum erat ; non veluti adumbrationis sibi ostensae perfectiorem et ampliorem executionem. Hunc sensum merito tril uunt Apostolo non solum interpretes catholici sed etiam nobiles inter protestanticos ut B. Weiss (p. 202) et Windisch (p. 68. 69), nec ullam interpretationis pentateuchici testimonii per auctorem epistolae difficultatem opponunt. Tamen in ipso loco Exodi est haec difficultas quod Ex. 25, 40 videatur per compendium dici id ipsum quod per singulas partes dixerat Deus Moysi Ex. 25, 9-39 ubi non perfectiora adumbranda, sed rudiora amplificanda proponuntur. At Ex. 25, 40 non sunt compendium dictorum 25, 4-39 nam haec non exhibent " exemplar „ ullum : ac deinde Deus provocat ad exemplar ostensum Moysi non ubi nunc colloquitur cum Deo, sed " in monte „ i. e. alio in loco et in alio colloquio. Neque בָּהָר " in *hoc* monte „ i. e. *hic*, satisfacit, utpote inane ac frigidum.

non consummativum, sed episodicum ac praefigurativum Novae quae adventura erat. Non solum dispositio Sanctuarii cum secessione Sanctissimi nondum patefactam esse ad Deum viam pandebat, verum ipse Summus Sacerdos qui, ingressus in Sanctissimum die magno Expiationis, rursus inde egrediebatur, compulsus denuo ingredi singulis annis, allato novarum victimarum sanguine, testimonium erat insufficientiae illarum oblationum: si enim victimae efficaces fuissent, satis erat semel eas immolasse: ablato enim semel peccato, non opus est rursus pro eodem nova sacrificia offerre (1). Nec mirum quod tales victimae essent insufficientes, cum fieri nequeat ut sanguine animalium auferantur peccata, atque eo ipso similiter ingressus Pontificis in Sanctissimum: memorabantur, non remittebantur peccata (10, 1–4). Omnia ergo clamabant, durante veteri Lege, nondum patefactam esse viam ad Deum, nondum obtentam esse reconciliationem et gratiam; et victimas illas insufficientes esse.

Cum vero Christus advenit, Pontifex nimirum ille qui allaturus erat bona quae promissa erant (redemptio, gratia, dona) traiecto per totum Novo Tabernaculo, non iam per homines sed per Deum exstructo; et munitus, non sicut prius, animalium, sed proprio sanguine quem in cruce fuderat; potuit penetrare in secretissimum recessum Sancti Sanctorum, coelos, non inde iam quotannis egressurus, sicut antiqui Pontifices; cum reperisset veram redemptionem ac reconciliationem pacemque cum Deo, quas frustra hactenus vetus lex tentaverat (9, 11–14). Opponit Paulus Sanctuarium Sanctuario, Sanctissimum Sanctissimo, victimam victimis, ingressum ingressui ut ostendat iam nunc et in posterum eva-

(1) Animadvertatur praescriptiones mosaicas de " iterandis „ sacrificiis antecedenter ad " nova peccata „ decerni et constanter pro serie indefinita temporum, ita ut sive commissa fuissent nova deinde peccata, sive non, sacrificia eodem modo iteranda essent. Sacrificia ergo fiebant intuitu " eorumdem non novorum peccatorum „ et sic evidenter inefficacia declarabantur; et quae suum valorem solummodo habebant ut praefigurativa illius veri sacrificii quod a Christo offerendum erat. In Christianismo sacrificium est " unicum „ et semel in cruce consummatum. Si Missa iteratur, iteratur non qua " sacrificium „, sed qua " memoria „ sacrificii: Missa enim non est sacrificium distinctum a sacrificio crucis, nec sacrificium " absolutum „, sed " respectivum, recordativum „ sacrificii Crucis et solum qua recordativum iteratur, sicut Tridenti explicabat rem Lainius, nimirum per memoriam non quae " verbis „ aut " signis „, minime rem ipsam afferentibus, sed quae " dramatice „ et allata in medium re ipsa, etsi incruente, perficitur.

nuisse illam inaccessibilem Dei secessionem; et e contra, patefactam esse viam ad Deum, cum nova victima a Christo Pontifice oblata, efficax sit ad reconciliationem obtinendam. Dum Pontifices veteres compellebantur re infecta egredi ob sanguinis allati insufficientiam, Christus rem conficit utpote sanguinem inferens remissionis efficacissimum.

Nec mirum, ait Paulus, quod sanguis Christi efficaciam habeat conscientias purificandi: si enim sanguis animalium vim habet ex ordinatione divina ut, etsi vilis in se, maculas legales abstergat, quae tandem spiritualis ordinis sunt ac religiosi, quanto magis efficaciam habebit ad purganda peccata et emundandas conscientias sanguis Christi qui se per Spiritum Sanctum i. e. eius impulsu ac proin ex divina quoque ordinatione eaque multo altiore, Deo obtulit, cum purissimus et immaculatus sit, utpote non merus homo, qui certe de se numquam mundus a sorde, sed homo-Deus, homo Verbo hypostatice copulatus? Tangit hic Paulus duplex principium unde petitur valor infinitus redemptionis Christi: scilicet divinam acceptationem (per Spiritum Sanctum) et dignitatem infinitam ob unionem hypostaticam quae Christum immaculatum facit non ex dono, sed ex propria personae dignitate. Paulus scilicet Christi sanctitatem intelligit hoc loco qualem descripserat 7, 26. 27 ubi puritatem ac sanctitatem Christi, et in ipsa eius dignitate radicatam, quae penitus a peccatoribus segregatum faciat, et talis celsitudinis ut coelos excedat, intelligit (1).

At in morte Christi expiatoria novum adhuc et sublime detegit mysterium Paulus: Christus est " Mediator Novi Testamenti „, i. e. novi Foederis in quod ingressi sumus et quo fruimur, ra-

(1) Paulus citato loco nescit finem facere congerendis praedicatis quae summam Christi sacerdotis et victimae sanctitatem exprimunt: " sanctus, immaculatus, incontaminatus, a peccato et peccatoribus penitus segregatus, excelsior coelis, qui non habeat necessitatem nec rogandi pro se nec iterandi oblationem pro aliis „: en Pontifex qui novam oeconomiam decebat! Nimirum sanctitatem Christi in primis non dono ei concessam, sed ex propriis possessam; deinde eo gradu qui coelorum ipsorum munditiem cum suis incolis excedat, intelligit. Ad " Spiritus Sancti „ interventum quod attinet in oblationem Christi (per Spiritum Sanctum se obtulit) reponendus est vel in participatione tertiae personae Trinitatis ad opus incarnationis, habito iam tum prae oculis scopo unionis hypostaticae nimirum morte expiatoria (Mt. 1, 20. 21; Lc. 1, 35); vel ad peculiarem motum Christo homini inditum ut se ad mortem offerret sive in primo iam humanae existentiae momento, cum dixit: " ecce venio „; vel adveniente passione, sicut cum in desertum ductus est.

tione mortis expiatoriae. " Et propter hoc (ob mortem expiatoriam) est Mediator Novi Testamenti, ut (ὅπως = quo fiat ut) morte consummata in redemptionem transgressionum (commissarum) sub priore Testamento (et non aliter, non alia nisi mortis via), qui vocati sunt (ex Israël) accipiant promissa aeternae haereditatis „ (9, 15). Loquitur Paulus his verbis secundum conceptionem quam Rom. 9, 6–13 exponit de " Israële promissionum „. Haeredes promissionum etiam in ipsa Patriarcharum familia, non sunt omnes qui carnali semine ex Abraham et Iacob trahunt originem, sed illi qui praeter hanc conditionem, aliam implent de speciali electione divina quae identidem in discursu historiae Israëlis renovatur, reiectis quibusdam, dum alii haereditati adleguntur. Idem canon applicatus est generationi Christo coaevae, dum quidam vocati sunt reiecta massa populi. De his vocatis loquitur nostro in loco Paulus: dicitque eos ingressos esse in possessionem haereditatis mediante Christi morte. Cum igitur vocati ex iudaeis haereditatem " aeternam „ i. e. spiritualem, coelestem, acceperint non ex quovis titulo vel quavis via, sed mediante morte Christi (consummata eius morte γενομένου θανάτου) quae eos, purgatos a transgressionibus hactenus commissis, et ornatos gratia iustitiae, dignos haereditatis susceptione reddidit; hinc fit ut (ὅπως) haereditas sic accepta, ex vero Testamento habeatur. Pactum Novum non est simplex donatio, est donatio mortis causa et per strictum Testamentum, cum facta sit interveniente morte donantis, nec in vigorem venerit nisi huius mortis vi. Haec est natura Testamenti, quod nonnisi " in mortuis „ vigorem habet, i. e. cum moriuntur testatores, non " inter vivos „, dum in vivis agunt, ut simplex donatio.

1°) Paulus loquitur de solis iudaeis quia vult speciali modo lectores movere et instruere, qui iudaei erant et promissionem solemniter sibi prae gentilibus in Patriarcharum persona factam, singulari veneratione aestimabant (Rom. 9, 4). Ideo etiam memorat peccata sub veteri Foedere commissa; non quod mors Christi non pro quibusvis etiam futuris peccatis oblata sit et acceptata (Rom. 3, 22. 23), sed quia oeconomia messianica a iudaeis tamquam " remissionis „, non " transgressionum „ aetas habebatur (Dan. 9, 24). Non excluduntur gentiles, sed hic non erant memorandi quia non fuerunt vocati ad Evangelium vi formalis promissionis ad progenitores eorum factae, aut tamquam qui iam haeredes etsi minorennes, etiam ante adventum Christi essent, sicut iudaei (Rom. 15, 8; Gal. 3, 23; 4, 1-5); verum " ex misericordia „, et a conditione penitus diversa a filiali qua iudaei fruebantur (Eph. 2, 12; Rom. 15, 9). Speciali igitur modo vult Apostolus ob oculos ponere

habitudinem quam messianica restauratio et nova oeconomia pro iudaeis et ad Vetus Testamentum habet. Peculiaris haec habitudo in hoc stat, quod solemnis iudaeorum ingressus in haereditatis possessionem, expleto minorennio, i. e. realis benedictionum promissarum susceptio nonnisi consummata prius Sponsoris Dei (nam Christus Deus erat, imo ipse personaliter Patriarchis apparuerat) morte evenerit ; id quod a multis forsan non satis agnoscebatur, et certo non pro merito expendebatur : tantae molis erat... ! (1).

2°) Cum Apostolus novum Pactum " Testamentum ,, appellat, eique veri Testamenti naturam vindicat, nullam novam aut hactenus ignotam notionem inducit in catechesi christiana : hoc enim nomine, et vindicta solemnissime " Testamenti ,, natura, Christus ipse suum Pactum promulgaverat morti proximus in coena. Nam " traditione ,. corporis et " effusione ,, sanguinis, i. e. sua morte, obsignavit, atque huius obsignationis memoriam voluit perpetuo renovari in Eucharistia.

3°) Addit praeterea Paulus (vv. 18-21) hanc veri " Testamenti ,, naturam Novi Pacti praesignificatam fuisse in dedicatione mosaici Foederis. Ideo illud quoque " sanguine ,, obsignatum est : cum enim adumbratio esset ac figura Pacti quod verum Testamentum futurum erat, debuit et in hoc specificam antitypi naturam praefigurare.

4. Eucharistia in theologico Pauli systemate

In catholico systemate articulus de Eucharistia arctissime cum Christi sacerdotio copulatur ; Eucharistia enim in Ecclesiae doctrina est verum sacificium quo Christus vere, etsi mystice, inmolatur, actionem consummante ipso Christo veluti principali, imo unico Novi Testamenti Sacerdote. Id iam primis Ecclesiae saeculis Patres passim veluti communem Ecclesiae doctrinam christiano populo in cathechesi tradebant. Audiamus inter alios, Irenaeum qui in ipso, ut ita dicam, Ecclesiae ortu, utpote qui doctrinam quam tradit ex inmediatis apostolorum discipulis hausit, eucharisticam panis et vini oblationem ut veram ac propriam " Novi Testamenti oblationem „ i. e. " sacrificium „ ut ex allato statim Malachiae testimonio (1, 10. 11) apparet ubi vocem מנחה (oblatio) bis per " sacrificium „ translatam, proponit (2). Irenaeo praeiverat Iustinus, ac sequuntur plurimi quorum dein doctrinae de hac re summam

(1) Mors tamen Messiae tamquam via ad dona messianica obtinenda magis vel minus perspicue in pluribus vaticiniis exprimebatur : sic Ps. 22 ; Isai. 49 et 53 ; Dan. 9, 27.

(2) Iren. Contr. haer. 4, 17 (M. 7, 1023).

sic explanat auctor scripti " De sacramentis „ : Consecratio, inquit, quibus verbis est et cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam... ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi (1). Eumdem autem nexum statuit Paulus. Nam 1. Cor. 10, 14–21 de Eucharistia tamquam vero christianorum sacrificio perspicue loquitur, cum, ut recte observat Tridentinum, mensa " Domini „ (v. 21) quae certissime Eucharistia et non aliud quam eucharistica mensa est, et " mensa daemoniorum „, altare designent ex quo participant respective veluti epulum sacrificale, christianus, corpus Christi; gentilis, victimas daemoniis inmolatas. Cum aliunde iuxta Paulum Christus et Sacerdos sit, et unicus Novae Legis Sacerdos, solus Christus verus ac principalis offerens esse potest.

Adest apud Paulum alius locus ubi expressius de " altari eucharistico „ loquitur, nimirum Hebr. 13, 10: " habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt „. Paulus his verbis altari mosaico cum suis escis sacrificalibus opponit altare christianum cum suis. Quodnam est hoc altare? Certe multi interpretes non solum heterodoxi ut Westcott, sed etiam catholici, ut Estius, et ex recentioribus plures, " altare „ intelligunt altare crucis; et escas, " fructus quos ex altari sive sacrificio crucis colligunt fideles, ut iustitiam, robur in virtutibus „ etc. " Vi sacrificii crucis et eius merito iustificamur „ etc. (2). Argumenta sunt: 1) de solo crucis sacrificio locutus erat Paulus in praecedentibus (capp. 7–10) tamquam christianorum proprio; 2) quia sacrificium crucis certo est sacrificium praecipuum, imo proprie loquendo unicum christianorum; 3) ex contextu: quia postquam v. 11 probat quomodo iudaei ius ad escam sacrificalem christianorum non habeant, memorat Christi mortem in cruce tamquam " sanctificativam „ populi i. e. tamquam sacrificium pro eo (3) 4) nihil est in contextu quod Eucharistiam in mentem revocet. — " Esca „ vero sacrificalis sunt fructus crucis: 1) si sacrificium est

(1) De Sacram. 4, 4 (Inter op. Ambrosii M. 16, 458. 459) Quaestionem de auctore in medio relinquimus; doctrina ceteroquin certa et antiqua in Ecclesia est ut ex Irenaei verbis constat. Scriptor in compendium redigit ea quae vetus Ecclesia ab eius exordio de Eucharistia profitebatur, et vix aliud facit quam ipsius Pauli sententias paraphrasi explanare.

(2) Cfr. *Est.* in h. l.; Westcott, *The Epistle to the Hebrews* ad 13, 10.

(3) " Sanctificare „ ἁγιάζειν de consecratione victimae in sacrificio classicum est in Utr. Testamento (ex hebr. קָדַשׁ, הִקְדִּישׁ). Sic Christus de se in oratione pontificali Ioann. 17, 19.

sacrificium crucis, esca sacrificalis alia esse nequit quam fructus ex eo sacrificio. 2) χάρις sive esca de qua sermo est v. 9 ita opponitur escis iudaicis ut escam visibilem et corpoream qualis est eucharistica, excludere videatur: " gratia, non escis „ (1). — Alii tamen catholici et communius " sacrificium „ Eucharistiam intelligunt; escam vero, cibum eucharisticum. 1) Posito quod Paulus de Eucharistia saepe tamquam de " convivio sacrificali „ loquitur ut 1. Cor. 10, 16. 17. 21; 11, 20. 26-29, quod proponitur veluti " iuge „ inter christianos (1. Cor. 11, 26. 27), obvium omnino est ut " altare „ et epulum sacrificale quod nostro quoque in loco Hebr. 13, 10 veluti actu subsistens, iuge et ordinarium (utpote mosaico oppositum quod totidem proprietatibus pollebat) exhibetur, de Eucharistia intelligamus; nam sacrificium crucis, in forma cruenta, iuge proprie non est neque actu praesens. 2) idem insinuat verbum ἔχομεν usum scil. quotidianum quo sacrificium ipsum iteratur; id quod rursus de crucis sacrificio dici nequit. 3) ex φαγεῖν quod esum corporalem, non spiritualem fidei vel iustitiae sonat. 4) v. 12 memorata mors non obstat: inchoat enim novum contextum, et non est praecedentium explicatio.

Admisso autem et semel firmiter statuto eucharistico sacrificio tamquam per Paulum his omnibus utriusque epistolae locis significato, duplex restat enodanda difficultas· 1) esca corporea et potus corporeus corporis et sanguinis Domini ab Apostolo commemorati, sunt, in eius mente, ipsum Christi corpus, ipse Christi sanguis, an eorum symbolum? Ante omnia, Ecclesia ab ipso sui exordio per praestantissimos suos Doctores primo modo intellexit: sic iam Iustinus, sic Irenaeus, sic Clemens alexandrinus, Cyrillus hierosol., Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus: qui omnes ita perspicue doctrinam de reali praesentia tanquam ab Apostolo his verbis expressam tradunt, ut nullum prorsus dogma christianum clarius quam eucharisticum in traditione expressum reperiri queat: Sed Apostoli verba inspiciamus. 1. Cor. 10, 16 de eucharistico calice dicit: « calix benedictionis nonne participatio sanguinis Christi est? » et de pane: « quem panem frangimus, nonne participatio corporis Christi est? » Secundum Apostolum, is qui id quod in calice continetur, bibit, bibit « sanguinem »; qui eucharisticum panem edit, « corpus » Domini participat. Participatio haec (κοινωνία) aliud non est quam ea quae fit ipso potu et esu, i. e. assimilatio, in propriam substantiam conversio: ait ergo Paulus esu et potu eucharistico « carnem et sanguinem Christi » sumi. Si verum corpus et verus sanguis Christi in cibo et potu eucharistico adesset, non posset Apostolus propriori-

(1) Est. in h. l.

bus verbis uti ad realem Christi praesentiam exprimendam. Inspiciamus reliquos locos ut videamus num hoc idem confirment, an fortasse figuratum et symbolicum verborum sensum insinuent. 1. Cor. 11, 25 verba institutionis affert quae similiter praesentiam veri corporis in pane, veri sanguinis in calice sonant : neque enim forma indirecta in calicis consecratione difficultatem facit cum : « in meo sanguine » idem sit ac : « cum meo sanguine » aut « per meum sanguinem », designato videlicit liquore qui in calice continetur tamquam vero Christi sanguine. Versu autem 27 concludit inde Apostolus eum qui indigne panem comedit aut calicem bibit, reum evadere « corporis et sanguinis Domini ». Hic quoque si Apostolus voluisset dicere per esum et potum indignum violari « ipsum corpus et sanguinem Domini » ; i. e. profanationem cadere tamquam in obiectum inmediatum actionis in corpus et sanguinem Christi, non in aliud quidpiam quod corporis et sanguinis symbolum est, non potuisset propriora et adaequatiora verba seligere. Demum v. 29 ait eum qui indigne sumit Eucharistiam « non discernere » (μὴ διακρίνων) i. e. illam quae fieri debet distinctionem non facere inter « corpus Domini » quod in Eucharistia sumit et alios cibos communes. Igitur eucharisticus panis est non « symbolum » corporis Domini, sed « ipsum corpus » omnino diversum a quovis quod ipsum corpus non sit. Videmus igitur omnes et singulas formulas quibus Paulus vult quid in cibo eucharistico lateat, exprimere, verum corpus, verum sanguinem Christi sonare. Vel igitur Apostolus nunquam novit aptam expressionem ad suos conceptus significandos nancisci, vel Eucharistia verum corpus Christi continet, verum eius sanguinem (1).

(1) Hinc merito mirati sunt multi cum D. Batiffol, ann. 1905 in suo libro " L'Eucharistie „ scribebat : " Le chrétien mange la chair de la victime immolée sur la croix : mais *la mange réellement ou en figure? S. Paul ne répond pas à cette question* „ (p. 18) " Dans l'Eucharistie, le pain et le vin procurent la κοινωνία au corps et au sang inmolés sur la croix, ils la procurent *en une manière que S. Paul* ne définit pas „ (p. 20). Iam haec alia declaratio eiusdem scriptoris in eodem vol. p. 53 occasione verborum institutionis : l'Eglise ira repétant ces paroles simplement *comme les apôtres les ont entendues*... jamais elle ne croira que Jésus ait parlé par parabole ou par enigme : elle les *entendra* litteralement „, ostendit praecedentia non satis advertenter exarata esse, nam quid aliud in praedictis ad Cor. locis agit Apostolus quam verba ipsius Christi in institutione (in cap. 11 tractationem inchoat allatis verbis Christi) explanare? Cum ergo Paulus unus, nec minimus, inter apostolos sit ex quibus Ecclesia sensum verborum Christi didicit, Ecclesia Apostoli verba ambigua vel obscura non reperit; secus enim non tenuisset tam firmiter sensum quem tenuisse illam concedit gallus scriptor. De facto, D. Batiffol, sententiam retractavit. (Cfr. ed. 5, p. 98). Fundamentum distractionis quam egregius scriptor passus est, habetur, ni fallimur, in sensu vocis κοινωνία. Sed Paulus sumit vocem ***triplici*** sensu ; pro participatione corporis et sanguinis Christi ipso esu et potu ; quae participatio est

Verba Pauli, accedentibus verbis institutionis quorum illa Apostoli recordativa et explicativa sunt, tam perspicue realem Christi praesentiam enuntiant, ut etiam plures inter protestanticos interpretes nostrae aetatis ultro id agnoscant. Sic Bousset: " Pauli sententia erat, in eucharistia degustari cibum potumque mirabilem et supraterrenum, in quibus Christus suis *seipsum dat* „; in Eucharistiae sacramento Christus, iam gloriosus, *dat se* suis non spiritualiter tantum, sed in ipso suo glorificato *corpore* „ (1). Opinione Pauli " adest in elementis (eucharisticis) quaedam *realiter sacramentalis* corporis et sanguinis (Christi) praesentia „. Et Ioannes Weiss: " cum Paulus urget corinthios ut *discernant corpus*, atque monet ne rei fiant in corpus et sanguinem Domini per indignam sumptionem, habemus hic hanc rei conceptionem: quod in pane et vino revera corpus et sanguis Domini praesentia sint „ (2). In nova editione (1917) operis remansit primum et secundum testimonium, ablatum est tertium: id tamen solum probat criticorum protestanticorum instabilitatem; sed obiectiva et exegetica fundamenta non convelluntur.

Difficultatem quamdam prima specie provocant verba Pauli 1. Cor. 10, 14–22: quid sibi vult Paulus his verbis et quo pacto ratiocinium digerit? Quid sibi velit i. e. quo tendant eius verba, ambiguum non est: vult dissuadere participationem in idololatriam, quam, iuxta praecedentia, incurrebant nonnulli fideles corinthii cum ad " idolia „ accedebant ut idolothyta ederent. Cum dapes quae in idoliis ad hospites apponebantur idolis consecratae essent

---

assimilativa (sensu quasi physiologico): pro *effectu* inde consequente de κοινωνία fidelium in unum corpus mysticum (1 Cor. 10, 17: " quoniam unus panis, i. e. quoniam unus est panis quem edimus *ideo* unum corpus sumus „, unum corpus mysticum efficimur). Demum pro communione cum Deo ad epulum eucharisticum invitante (1. Cor. 10, 21). Sed prima κοινωνία est quae perficitur ipso esu formaliter, et terminatur ad cibum: de hac loquitur Paulus 1. Cor. 10, 16.

(1) " Das also war dort schon die Meinung des Paulus, dass man in Abendmahl wunderbare überirdische Speise und Trank geniesst, in denen Christus sich selbst den Seinen gibt „, (*Neutestam. Schrift.* ⁸ 2, 121) " Im Sacrament des Abendmahls der erhöhte Christus sich nicht nur geistig, sondern auch mit seiner verklärten Leiblichkeit den Seinen gebe „ (ibid. 122).

(2) " Wenn Paulus den Korinthern einschärft dass sie den Leib unterscheiden sollen, und davor warnt, durch unwürdiges Essen und Trinken sich an Leib und Blut des Herrn zu versündigen, so haben wir hier schon die Auffassung dass in Brot und im Wein wirklich der Leib und das Blut des Herrn gegenwärtig sind „. (Ibid. 1, 206).

idque ab omnibus sciretur (idolia enim erant quasi hospitia quae idolorum fanis adiacebant veluti eorum quaedam pars), esus in idoliis erat quaedam veluti epularum sacrificalium continuatio. Ab hoc igitur esu vult Paulus efficaciter absterrere idque hoc ratiocinio aggreditur: potus et cibus eucharisticus participatio sunt sanguinis et corporis Christi, quibus efficimur eius corpus mysticum; nam quia panis quo vescimur unus est et idem omnes qui hoc eodem cibo pascimur, unum corpus et identicum efficimur, corpus mysticum Christi, qui in altari nobis suum corpus et sanguinem porrigit ut nos sibi assimilet. Simile exemplum habetis in iudaeis: qui victimas altaris comedunt, participes altaris et cultus iudaici efficiuntur. Consectarium inde fluens Paulus veluti per se patens lectoribus relinquit: ergo similiter (quia hoc fert natura ipsa sacrificii), qui victimas idolorum edit (in idoliis), altaris et cultus idolatrici particeps efficitur. Non quod idolothytum in se, aut idolum in se quidquam sint; at cum idolothyta daemoniis offerantur, ex consecratione qua idololatrae illud daemoniis obtulerunt, inquinatum manet quamdiu sacrificii conditionibus substat, ut substat in idoliis quae quasi pars idololatrici fani censentur. Medium demonstrationis Pauli est " communio altaris „, et per altare, Numinis ad quod altare pertinet. Haec communio cum Numine, per victimae esum fit, quae in altari inmolatur. Hinc sicut in christianismo communio (κοινωνία) fit cum Christo, in paganismo fit cum daemoniis; ideo qui idolothyta in idolio edit, daemoniis communicat, reus idololatriae fit. Sed sedulo notandum est Paulum in Eucharistia duplicem κοινωνίαν sive communionem distinguere: alteram cum " corpore et sanguine Christi „ (v. 16), alteram cum " Christo ipso „ (v. 17). Nimirum in christianismo " victima „ et " Numen „ sunt idem Christus sub diverso respectu: Numen est Christus qua persona est invitans ad suam mensam; " corpus vero et sanguis Christi „, i. e. cibus eucharisticus, etsi Christus sit, non considerantur qua cibus, ut Christi persona, sed ut medium coniunctionis cum Christi persona. Unio (κοινωνία) fidelis cum " corpore et sanguine „ Christi, de qua 1 Cor. 10, 10, (participatio corporis et sanguinis) est quasi physiologica, sicut unio comedentis et cibi ante huius in substantiam hominis transformationem; est via ad unionem cum Christo ceu capite quae moralis est et mystica, consummaturque cum ex assimilato per unumquemque cibo ac potu eucharistico, exsurgit inter omnes mystica cognatio ex eadem Christi in Eucharistia participatione. Hinc evidenter

v. 16 " corpus et sanguis „ Christi non possunt aliud esse quam corpus et sanguis re et veritate talia, nullatenus spirituali vel symbolico duntaxat sensu : spiritualis sive mystica unio est posterior et terminus prioris de qua v. 17. Si unus tantum esset fidelis daretur κοινωνία eius cum Christo, sed non daretur κοινωνία cum aliis ex Eucharistiae esu.

Paulus in sectione 1 Cor. 11, 17–34 etsi praeclara nobis de ipso Eucharistiae mysterio pandat, praesertim tamen intendit dispositiones inculcare ad Eucharistiae sumptionem : est sectio moralis et practica. Exposuit nihilominus veritatem ipsam dogmaticam, quia nullam reperit efficaciorem rationem ad permovendos corinthios ut reverenter ad mysteria accederent, quam simplicem tam augusti dogmatis expositionem.

Restat explananda habitudo Eucharistiae ad crucem in Pauli mente. Hanc perspicue exponit Apostolus 1 Cor. 11, 26.b 27. Ex Christi ipsius institutione Eucharistia aliud non est quam sacrificii crucis memoria : ita expressis verbis praecepit Christus, et ideo " quotiescumque comederitis (comeditis) hunc panem et calicem biberitis (bibitis), mortem Domini annuntiatis „, non verbis, sed actione ipsa. Sacrificium Christi iuxta Paulum, unicum est, sacrificium crucis. Voluit nihilominus Christus ut huius unici sacrificii iugis haberetur memoria in Ecclesia : ut vero memoria haec vividior et efficacior esset, statuit eam fieri non verbis, sed factis ; non recitatione historiae, sed dramate sacrificium crucis repraesentante. Hinc eucharisticum sacrificium forma illa instituit, consecratione nimirum sui corporis ac sanguinis, idque separatim ut vividius traditio in tormenta et mortem, et sanguinis fusio significaretur.

3. Iudaismus et ethnicismus in coetu christiano

Promissiones Israëli in Vet. Testamento factae caput summi momenti constituunt in religiosa Apostoli conceptione quippe in quarum implemento apud fideles reponat Paulus fundamentum praecipuum pro Evangelii divinitate. Hinc promissiones quatenus impletae in coetu fidelium vinculum continuitatis efficiunt inter utrumque Israëlem : veteris et novae oeconomiae, promissionum et implementi. Sed hinc potissimum exsurgebat gravis difficultas contra Apostolum apud iudaeos, quam hi maxime urgebant, quaeque non leviter multorum animos tam inter iudaeo – quam

inter ethnico-christianos perturbabat. Ad hoc ut promissiones divinae inanes non sint, unum eumdemque esse oportet Israëlem promissionum et Israëlem implementi : quinam est igitur hic Israël ? " Si Iesus, opponebant iudaei, foret verus Messias, eiusque ecclesia regnum messianicum in Veteri Testamento promissum, promissiones divinae inanes evaderent ; nam promissionum illarum depositarius atque haeres alius non est quam patriarcharum posteritas, i. e. nos. Cum ergo nos, iudaei, non unus aut alter, sed in massa, exclusi simus ab Evangelio, promissiones eo ipso convincerentur inanes „. Non poterat Paulus in controversia cum iudaeis huius difficultatis solutionem omittere, et de facto eam late pertractat in epistola ad Romanos. Magnificum donorum messianicorum per Evangelium acceptorum encomium quo tractatum de iustificatione claudit Apostolus Rom. 8, 12-39, difficultatem toties iteratam renovabat in animo Pauli, cum fratres suos quos maxime diligebat, ab ingenti hoc thesauro exclusos cerneret. Hinc 9, 6 praemissa de suo erga iudaeos affectu fervida protestatione exclamat : " sed non quod exciderit verbum Dei ! „ i. e. sed absit ut propterea (1) et ex hac iudaeorum exclusione sequatur vel dicamus excidisse Dei verbum ! i. e. eius promissiones. Et continuo magna contentione aggreditur huius assertionis demonstrationem : " non enim omnes qui ex Israël sunt (carnali semine procedunt) ii sunt (continuo et hoc solo) israëlitae (adlecti Israëli promissionum) „. Paulus suppositum negat iudaeis, quod scilicet *semen carnale* iam et ex se solo ius conferat ad hoc ut quis censeatur in Israelem promissionum, harumque haeres evadat. Atque illico profert limitationem ab ipso Deo stabilitam : " sed in Isaac vocabitur tibi semen „ ; i. e. norma quam Deus sequutus est in adlegendis membris Israëlis promissionum exprimitur illo oraculo : " per Isaac evocanda tibi est posteritas (benedictionum haeres) „. Ut distinctius mentem suam Paulus declaret circa sensum selectivum, segregativum quem oraculo tribuit, subiungit : " id est, non qui filii carnis, hi sunt (iam et eo solo titulo) filii Dei (filii Abrahae in ordine ad promissiones haereditandas), sed qui filii (sunt) promissionis, computantur in semine (i. e. in posteritate promissio-

(1) οὐχ οἷον ὅτι = " non tale quod vel ut... i. e. non tale (sequitur exinde, ex eo quod ad Israël pertineant promissa) ut exciderit verbum Dei „ : quod promissa ad Israëlem pertineant, de Israële pronuntientur, perfecte conciliatur cum meis assertionibus de Evangelio ; nam Israël promissionum, etsi sit Israël secundum carnem, non est *omne semen* carnale Abrahae, non sunt omnes iudaei.

num haerede). Nimirum : cum dico per Isaac adlegendam esse posteritatem promissionum haeredem, volo dicere eos adlegi qui filii Abrahae fiunt eo modo quo Isaac, vi specialis Dei interventus qualis ille fuit qui in promissione includebatur qua annuntiatus est Isaac ortus Gen. 18, 10. 14 (1).

Sed adhuc specialis hic Dei interventus per quem adlectio fit, bifariam intelligi potest ; aut solus : ex Dei interventu sive adsit sive non adsit semen abrahamiticum ; aut superadditus carnali semini : vi interventus specialis intra patriarchale semen.

Hinc variae criticorum sententiae : 1) Harnack putat Paulum duplicem quaestioni solutionem proponere : alteram capp. 9, 10 ; alteram cap. 11. Prima est : Israël promissionum est Israël κατὰ πνεῦμα i. e. coetus christianorum ex fusione iudaeorum atque gentilium in altiorem unitatem sub fide. Per iustificationem gentiles inseruntur in Israëlem κατὰ πνεῦμα : hinc Israël promissionum subsistere posset tametsi nullus in eo adesset iudaeus stirpe (2).

En prima solutio theocentrica et universalistica, paulinis principiis omnino consentanea. At quoniam exinde sequebatur Israëlem cum suis specificis institutionibus evanescere ex historia salutis, Paulus tam grave consectarium reformidans, novam cap. 11 solutionem addidit : « etiam in Israël secundum carnem implentur Dei promissa : Deus non repulit populum suum » scil. qualem sibi elegerat sub mosaica constitutione. Hac solutione Paulus sibi non cohaeret, cum eadem Israëlis iura propugnet quae hactenus omni vi oppugnaverat (3).

Alii unicam solutionem de Israële κατὰ πνεῦμα tuentur. Supposito quidem litterali sensu versuum 6. 7, « Apostolus v. 8 lectores ad altiorem verborum significationem maxime attendere iubet... Typicum enim sensum allegationi adiungit : ' *id est*, non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis aestimantur in semine '... nomen *seminis*

(1) Ad confusionem vitandam notandum est aliud esse " promissiones Abrahae factas „ (de benedictionibus messianicis) aliud " promissionem „ cuius filii dicuntur haeredes promissionum. Haec ultima " promissio „ illa est quae fit Gen. 18, 10 de proxima Isaac nativitate : " promissiones „ vero sunt illae quae leguntur Gen. 12, 3 ; 22, 18 ; 26, 4 ; 28, 14 i. e. benedictionum messianicarum complexus. Intimatio vero : in Isaac vocabitur tibi semen, differt a praecedentibus, et fit Gen. 21, 12 cum excluditur Israël ab haereditate patriarchali.

(2) " Bleibt Israël bestehen, auch wenn kein geborener Jude sich mehr in ihm befindet „ (*Neuer Untersuch. zur Apostelg.* p. 32).

(3) " Derselbe Apostel der die Ansprüche des jüdischen Volkes, sofern sie auf die ' Gesetzesbeobachtung ' stützen, mit neuen religiosen Waffen so kraftvoll bekämpfte, verteidigt die besonderen Hoffnungen dieses Volkes unter dem Titel der Vereissungen „ (p. 35).

spiritualem posteritatem Abrahae significare evidens est : fundamentum autem typicae explicationis est differentia quam inter Ismaëlis et Isaaci generationem intercedere Paulus alibi fusius docet (Gal. 4, 22-30 » (1). Iuxta hanc opinionem Paulus ad solutionem suam non nititur sensu *historico*, sed *typico* verborum Gen. 21, 12 in electione Isaac. Sensus quidem historicus praesupponitur, at veluti merum typicae significationis fulcrum : Deus potissimum prae oculis habuit in illo eventu eius valorem typicum, quo in electione Isaac voluit maxime significare electionem futurorum credentium tempore promulgationis Evangelii : hinc ii iam tunc designantur veluti subiectum promissionum : haec praefigurativa designatio, non tenor historicus verborum exclusionis Ismaël et electionis Isaac firmas facit promissiones. Hinc apparet interpretationem hanc totam niti hac hypothesi : quod in mente Pauli verba τοῦτ' ἔστι habent valorem declarativum litterae per typum, translata ad hunc, veluti rem figuratam, tota vi significativa litterae veluti umbrae rem futuram praefigurantis.

Demum alii exsistimant Paulum nullum adhibere typum, nec loqui de Israële *secundum spiritum*, sed omnino de Israële *secundum carnem*, huncque proponere veluti Israëlem promissionum. « Israël promissionum » est « Israël secundum carnem », iudaei ; iudaeis fiebant promissiones et in iudaeis plenissime impletae sunt : at hi iudaei non sunt *omnes*, sed certi quidam, prout ex historia promissionis per totam Veteris Testamenti seriem, iuxta sensum litteralem, apparet.

Sed analysin verborum instituamus. Expressio : τοῦτ' ἔστι v. 8 posset quidem absolute esse declarativa significationis typicae oraculi divini in 7ᵇ contenti ; nam scriptores canonici N. T. saepe ex sensu typico Veteris arguunt ; sed potest etiam esse, et procul dubio est sensus multo naturalior, elicitiva consectarii quod ex oraculo in suo sensu litterali sponte fluit, nempe : oraculum si accurate expenditur, indicat non computari in semine promissionum haerede quoscumque carnales posteros Abrahae, sed eos qui insuper nascuntur ex Abraham sicut Isaac, ex semine quidem eius, sed non tam vi seminis quam specialis divini interventus : revera, (v. 9) verba quibus nuntiatus est Isaac, et quibus eius conceptio et nativitas debetur, non tam operationem naturae, quam divinum interventum sonant. Quamnam de facto vim habeat particula τοῦτ' ἔστι, apparet ex antecedentibus. In praecedentibus dicitur 6.ᵇ 7ᵃ : " *non omnes* (οὐ πάντες) Iacobi posteri sunt posteri in ordine ad promissiones ; neque (procul dubio " omnes „ ex parallelismo cum membro praecedenti) qui sunt semen Abrahae, omnes filii „... Quod in bona dialectica sequitur ex eo quod " non omnes „ posteri patriarcha-

(1) Cornely, *Comm. in Ep. ad Rom.* (p. 484).

rum computentur in semine (7^a), illud est: computari " quosdam „, in quibus nimirum ultra procedentiam genealogicam, impleatur, ut in Isaac, conditio quaedam specialis. Quod si in membro sequenti (7^b) ubi conditio exprimitur, conditio non applicatur nisi ei qui posterus est Abrahae, vix dubium est agi de mera limitatione intra posteros Abrahae. Non est idem dicere $6.^b$ 7^a : " *non omnes* Patriarcharum carnales posteri constituunt posteritatem promissionum, sed ultra id requiritur singularis Dei interventus „ ; ac dicere : " *non carnalis posteritas* sed *sola* electio divina facit filium promissionum „. In primo casu propositio est non *absoluta*, sed *modalis*, et agnoscit in procedentia carnali quoddam principium, etsi inchoativum, non adaequatum vel definitivum, admissionis : in secundo propositio est absoluta et nullum nec inchoativum principium admissionis agnoscit in procedentia carnali (1).

Antequam vero ad tertiae huius opinionis demonstrationem veniamus, notandum sedulo est discrimen inter secundam et tertiam opinionem : differunt enim non solum in sensu quem dant alteri membro versus 7 sed, eo ipso, in termino quem Apostolus respicit tum v. 8 dum thesin statuit ex 7^b derivatam, tum tota subsequenti demonstratione 9-13. Iuxta secundam opinionem de sensu typico, Paulus iam 7^b in electione Isaac respicit generationem *gentilium* Christo et promulgationi Evangelii coaevam, minime vel populum iudaicum vel etiam generationes ullas intermedias (2) : Paulus id pronuntiat : « sicut nunc historice eligitur Isaac, sic tempore Messiae eligentur gentiles » : Similiter vv. 10-13 : cum, in hac opinione, casus de Iacob sit novus typus gentilium eligendorum, Apostolus qui praesertim habet prae oculis electionem ad Evan-

(1) i. e. significati in " filiis „, " filiis Dei „, " filiis promissionis „ sunt non " electi in generationibus ab Isaac ad Christum ex populo iudaico „, sed " electi sive vocati ad Evangelium inter gentiles in generatione coaeva praedicationi Evangelii ».

(2) Verum quidem est versum 8, cum declarat valorem electionis Isaac, progredi ultra factum historicum et illud elevare ad sphaeram universalitatis enuntiato canone qui debet impleri in certa quadam categoria individuorum in quibus accedet conditio analoga ; sed quaestio est num illa categoria repraesentetur in Isaac tamquam in typo, an veluti in primo membro totius seriei moderatore. Cum vv. 6. 7 distinctio versetur inter Ismaël et Isaac, utrumque Abrahae posterum ; cum casus Isaac 6^b veniat post meram limitationem bis repetitam : " non omnes... nec quia omnes „... et nullibi exprimatur exclusio vel abstractio a semine patriarchali ; cum dein casus Iacob et Esau versus (9-13) intra posteritatem patriarchalem inducatur ; cum demum v. 11 enuncietur canon generalis selectionis segregatoriae ad normam casuum Isaac et Iacob qui utramque conditionem implent, vix dubium videtur quin agatur de repraesentatione non typica, sed coordinationis in serie homogenea.

gelium, convolat statim ad Evangelii aetatem. Contra in tertia opinione Paulus 7 b sistit in ipsa electione Isaac et in ea non aliud cernit quam primum casum applicationis normae : in casu Esau et Iacob solum considerat horum historiam veluti alterum casum in serie historiae Israël. Cum autem hos sumat per modum exemplorum ad inductionem colligendam, in his cernit totam seriem historiae iudaicae usque ad generationem coaevam Christi. Paulus ergo in hac opinione 1) solum respicit *iudaeos :* 2) respicit eorum totam historiam 3) hanc historiam vel posteritatem Abrahae durante hac historia respicit veluti subiectum applicationis normae cuius primus casus fuit Isaac. 4) non respicit gentiles.

Et sane analysis totius argumentationis 6–13 iam confirmat, agi nimirum de argumento non typico, sed inductionis, ac proin historico. Post exemplum Isaac et Ismaël venit illud Iacob et Esau, quod proponitur veluti novus casus adlectionis ad semen electum ex interventu divino, omnino analogus praecedenti ; nam " non solum Sara, sed etiam Rebecca auscultat respectu Iacob oraculum penitus simile oraculo Sarae respectu Isaac „. Cum ex una parte uterque casus homogeneus sit in divino interventu ; ex alia Iacob et Esau posteritas Abrahae sint, mens Pauli in utroque casu afferendo haec est, ut normam uniformem ob oculos ponat quam Deus adhibuit per seriem historiae in adlegendis iis qui ad semen promissionum deputabantur intra progeniem carnalem Patriarcharum. Non respicit Paulus directe generationem coaevam Messiae, omissis intermediis, sicut in interpretatione typica ; sed id potius agit ut seriem fractionum segregatarum ex complexu posteritatis patriarchalis per successiva historiae stadia ob oculos ponat quae semen promissionum in decursu historiae repraesentant usque ad generationem coaevam Messiae. Cum in variis historiae stadiis hanc legem secutus sit Deus ut non totam posteritatem carnalem, sed partem, ad semen promissionum adlegeret, quid mirum quod eamdem normam secutus tempore adventus Christi, non omnes Abrahae posteros, sed partem, i. e. vocatos, ad idem semen adlegerit relictis ceteris, et sic plenissime impletae sint promissiones divinae in Israële secundum carnem ?

Dicetur forsan : sed si mens Apostoli haec est, quomodo in serie tot saeculorum ab Abraham usque ad Christum contentus esse potuit tam exigua enumeratione duorum nimirum exemplorum solummodo quasi sufficerent ad regulam inductione confirmandam ? Nihilominus Paulum supponere applicationem canonis pluries modo dicto ultra casus Isaac et Ismaël, Esau et Iacob per totam historiam usque ad

generationem Messiae coaevam, perspicuum fit ex 11, 4. 5 et 9, 22-23. In primo loco proponit casum septem millium reservatorum tempore Eliae, additque simile quid accidisse in generatione vel stadio historiae iudaicae Messiae coaevo. Pari modo 9, 22-23 discretionem statuit in iudaeorum massa Messiae coaeva inter *vasa misericordiae* i. e. portionem electam, vocatos ; et *vasa irae* i. e. reprobatos, idque ex divina selectione. Paulus igitur normam statutam 9, 7^{b} applicatam constanter cernit per diversa stadia historiae Israëlis usque ad generationem praedicationi Evangelii coaevam inclusive. Semel autem statuta norma 7^{b} reputat sufficientem eius confirmationem per duos illos casus 1°) quia continuati, 2°) quia in ipsis primordiis historiae Israëlis 3°) quia in sinu familiae patriarchalis, ubi minor tali selectioni videretur esse locus. Hinc his enumeratis Paulus habet veluti evidentem a fortiori applicationem in reliqua historia.

At non est exsistimandum segregationes adeo singulares factas fuisse per singulas generationes : sufficiebat ut identidem in gravioribus adiunctis historiae id fieret : generationes temporum intermediorum censebantur subesse, et suberant, segregationi praecedenti.

At typologia epistolae ad Galatas ? Apostolus ibi postquam dixit 4, 24 " ortum Isaac vi promissionis divinae repraesentare *in typo* novam Oeconomiam „, addit 4, 30. 31 vi huius typicae praesignificationis " credentes, etsi ex Abrahae stirpe non sint, constitui nihilominus filios Abrahae, heredes promissionum Abrahae factarum „. Cum igitur nixus hoc allegorismo Paulus millies repetat tum in eadem epistola, tum alias, credentes, vi solius fidei esse " filios Abrahae, benedictos cum eo „ (3, 7. 9) ; i. e. subiectum messianicarum promissionum ipso iam momento quo pronuntiantur ; " semen Abrahae atque heredes promissionum „ ; " filios promissionis sicut Isaac „ (4, 28) ; fieri nequit ut in epistola ad Rom. posterius scripta, formula τοῦτ' ἔστι, quae electionem Isaac extendit ad posteritatem quamdam Abrahae in ordine ad promissionum participationem, hanc applicationem aliter faciat quam modo in epistola ad Galatas exposito, i. e. per typum (1).

Nostra responsio haec est : aliud est quod Apostolus agnoscat typicam significationem in nativitate Isaac, aliud quod Rom. 9 eius applicationem faciat ; i. e. quod posteritas etiam electa per singularem segregationem, intra semen patriarchale, sit posteritas typice significata de qua Gal. 4, 21–29, i. e. credentes ex gentilibus in aetate messia-

(1) Sic plures interpretes tam catholici, ut Cornely, quam protestantes ut Jülicher (ad Rom. 9,8 *Die Schrift des N. Test.*^{3} 2, 293, et Lietzmann (*Handb. zum N. T.*, 3, 48).

nica. Si in nostro loco de hac posteritate ageretur, non erat cur Paulus continuaret enumerationem casuum similium casui Isaac intra historiam Veteris Testamenti et posteritatem ipsam carnalem Abrahae, idque addita advertentia de applicatione eiusdem normae usque ad generationem coaevam Messiae (Rom. 11, 5 ; 9, 22–24). Ratio vero cur typologia Gal. 4, 21–29 applicationem non habeat Rom. 9, 6–8. 9–13 est quia typologia illa refertur ad gentiles, non ad iudaeos, quia fundamentum repraesentationis typicae pro gentilibus erat *absoluta gratuitas* electionis gentilium respectu quorum Deus nullo vinculo ligabatur etiam *stirpis*. Contra cum de iudaeis, etsi non ligabatur ad omnes et certas personas, ligabatur tamen ad stirpem, ex qua, eo ipso quod promissiones faciebat *Abrahae*, obligabatur ad eligendos saltem nonnullos ex eius stirpe ad coetum heredem promissionum constituendum et continuandum.

Ad alia loca quod attinet in quibus, ut opponit obiectio, Paulus adhibet typologiam statutam Gal. 4, 21–31, distinguendum est 1°) inter *filios* et *heredes* qui incipiunt esse tales tempore solum implementi, et *filios* ac *heredes* qui hac praerogativa semper fruiti sunt ; 2°) inter filios qui hereditatis possessionem ineunt *iure proprio* ac praevie exsistenti, et filios per adoptionem et adiunctionem supplementariam. Gentiles incipiunt esse " filii „ tempore praedicationis Evangelii mediante nimirum incorporatione ad Christum historica et reali, dum iudaei illi qui ultra procedentiam genealogicam habebant pro se segregationem divinam, semper fruiti sunt filiationis praerogativa. Hanc differentiam effert Paulus Eph. 2, 11–22 : praerogativam vero filiationis apud iudaeos iam in veteri oeconomia viguisse late exponit Gal. 3, 23 ; 4, 1–4, etsi utique veluti minorennes et sub paedagogo, sed tandem veros " filios „ (Gal. 4, 1). Verum quidem est filiationem plenam, i. e. cum hereditatis possessione, concessam utrisque fuisse simul ; sed hoc ideo fuit quia gentiles non habuerunt periodum tutelae et minoritatis quam subierunt iudaei. Hoc autem tempore iudaeos fuisse *veros* filios et *dominos*, dum gentiles erant penitus alienati ab hereditate et quasi sine Deo in mundo ostendunt testimonia Gal. 4, 1 et Ephes. 2, 12. Item iudaei sunt filii iure proprio ; i. e. vocantur ad possessionem hereditatis vi tituli praeexsistentis, promissione nimirum ad eorum antecessores facta, et cuius ipsi erant repraesentantes ac depositarii : contra gentiles carebant his titulis, et cum ob Dei liberalitatem vocati sunt, accensebantur ad vocatos ex iudaeis veluti gratuita adiunctione (Rom. 9, 23. 24 ;

15, 17–19; 11, 13–23). Demum iudaei sunt heredes *nati*, *heredes primarii* benedictionum messianicarum; nam cum promissio benedictionum implementum habitura esset mediante posteritate Abrahae, i. e. mediante *uno* ex Abrahae posteris, *Christo*; perspicuum est primos heredes ante quosvis alios, desumendos fuisse eos qui eiusdem stirpis essent, non tam quia illi quoque includebantur in ambitu *universarum cognationum terrae*, quam quia iuxta Apostolum iudaei, cum promissionis deposito, promissionis *spem* possidebant (Eph. 2, 12), quae certe talis non fuisset si in eorum personis implenda non esset.

Paulus habet constanter ob oculos has differentias inter iudaeos et gentiles, etiam in illis scriptis aut sectionibus ubi quam maxime extollit gentilium praerogativas et iudaeorum infortunium in adventu Messiae. Sic in epistola ad Ephesios quae iure potest appellari Magna Charta gentilium et ubi declaratur eos " non esse hospites et advenas sed cives sanctorum „ (2, 19) revocat nihilominus in memoriam gentilibus eos quondam, imo hactenus, " exclusos fuisse a conversatione cum Israël „ i. e. cum depositario promissionum, et " sine Deo in hoc mundo „. Certe id supponit durante veteri oeconomia fortunam utrorumque admodum diversam fuisse, ac proin toto illo tempore quod fluxit ab Abrahamo ad Christum adfuisse quosdam inter iudaeos qui promissionum repraesentantes essent, earum in se implendarum spem foverent et vere filiorum iure fruerentur. Quod si gentiles praedicato Evangelio, evadunt filii, id contingit *nunc*, sed solummodo *nunc*: " *iam non* „ (οὐκέτι), sunt hospites, sed filii; i. e. ab hoc tempore in posterum, vero minime antea ut iudaei. Et in epistola ad Galatas ubi tantopere exaltat independentiam Evangelii a mosaismo, gentilium credentium a iudaeis, maxime exaltantur etiam praerogativae iudaeorum prae gentilibus pro tempore ante adventum Christi, cum describitur conditio iudaeorum tamquam minorennium sub virga paedagogi. Hanc igitur periodum habet in mente Paulus cum Rom. 6ᵇ–13 describit normam qua ante Messiae adventum adlegebantur ex complexu posteritatis carnalis Patriarcharum illi qui promissiones repraesentabant.

Huc facit descriptio quam Rom. 11, 13–31 praebet Paulus de habitudine mutua inter se in Ecclesia deque respectivo loco quem in illa tenent iudaei conversi et ethnici, hisque principiis nititur. Adveniente Christo, directe et primario adleguntur ad Evangelium quidam iudaei a populi massa per vocationem segre-

gati, " reliquiae „ ; idque "ad implendas promissiones Patrum „ (Rom. 15, 8) : gentiles vero vocantur quidem, sed non titulo iustitiae sive fidelitatis in adimplendis promissis ad eorum progenitores, sed instar "insitorum ramorum „ ad truncum, "instar oleastri ad genuinam olivam „ (Rom. 11, 17. 24) i. e. *praeter* naturam, secus atque iudaei (v. 24) ; *ex misericordia* (Rom. 15, 8). Apostolus Ecclesiam christianam concipit instar robustae arboris cuius radices, truncus et rami centrales sunt iudaei electi per vocationem efficacem (Apostoli, discipuli Christi, qui ei ex iudaeis adhaeserunt) ; his accedunt gentiles ceu insititii.

Harnack igitur sub duplici aspectu in Apostoli interpretatione peccat : 1°) quia attribuit ei duplicem eiusdem problematis solutionem cum revera unicam det, eamdemque penitus tum capp. 9. 10 tum cap. 11 (1) ; 2°) quia fingit pugnam, quae nusquam adest, inter ea quae capp. 11 et 15 ad Rom. de iudaeorum praerogativis tradit et theoriam universalisticam. Vidimus Paulum eadem prorsus tradere de praerogativis iudaeorum prae gentilibus, tum epist. ad Gal. tum epistola ad Ephesios, tum epistola ad Romanos. Erroris radix in interpretatione Harnack stat in hoc quod Israël in quo implentur promissiones divinae Rom. 11 intelligat de Israële Veteris Oeconomiae, vel quod idem substantialiter est, de Israële quasi in suo adlectu ad Christum nihil substantiale mutaverit ex sua constitutione, sed maneat sub mosaismo qualem ante Christi adventum profitebatur. At nullo modo est haec mens S. Pauli : aliud est mosaismus sive ritus mosaici prout a non christianis, aliud plane prout a christianis exercebatur, ut abunde ostensum est cum de controversia super mosaismo.

Cap. 11 non intendit Paulus solutionem proponere eidem quaestioni : cap. 11 non agitur iam de definiendo haerede promissionum, sed de dissipanda instantia quae ex praecedenti solutione remanet. Solutio praecedens, ait rursus iudaeus, illusoria est ; nam vocatio iudaeorum ad Evangelium in tam exiguo numero, reiecta massa populi, de facto verae populi reprobationi aequivalet ; talis solutio proin quaestionem non tam dirimit quam subtiliter eludit. Paulus respondet : hoc quod nunc denuo obiicitur verum non est : tu, iudaee, non minus quam ego, affirmare non audebis tempore Eliae, cum ex populi complexu reservavit sibi Iahve solos septem millia, ceteris exclusis, reprobatum ideo fuisse

(1) Cap. 9 eam directe proponendo ; cap. 11 eamdem supponendo.

a Iahve populum ut talem; igitur: idem plane accidit nunc. Ergo ex electione paucorum ceteris exclusis, non sequitur populum reiici. Neque nunc ergo Deus reiecit Israëlem; sed suscipit in iis qui ad Evangelium venerunt; imo paratus est recipere omnes qui velint accedere sicut me recepit; et demum in fine saeculorum massam ipsam recipiet (1).

II. Usus Veteris Testamenti litterarius apud Paulum

1. Usus demonstrativus Veteris Testamenti apud Paulum

Paulus ut genuinus iudaeus enutritus primum in scholis pharisaeismi, deinde sub disciplina ipsius Domini et primaevae traditionis christianae, addictissimus semper fuit Veteri Testamento; in quo uberrimum suarum doctrinarum fontem reperit, ita ut eius scripta vere redundent citationibus, allusionibus, ac reminiscentiis Scripturarum (2). Nihilominus non in omnibus suis epistolis distribuitur aequa aut proportionata mensura haec Antiqui Foederis recordatio: in 1ª et 2ª ad Thess., Philipp. et Col. rarior admodum est talis memoria, imo iusta et proprie dicta citatio nulla in eis recurrit: e contra, in epistola ad Hebr. innumerae allegationes adhibentur, ita ut in solo primo capite numerentur septem, quaedam admodum longae. Veteris Testamenti citationes apud Apostolum plerumque fiunt vel solemni et antonomastica (3) formula: γέγραπται (30ᵉˢ), vel aliis similibus seu aequivalentibus ut ἡ Γραφὴ λέγει, ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος, κατὰ τὸ γεγραμμένον, κατὰ τὸ εἰρημένον. Libri qui frequentius citantur sunt Isaias, Psalmi, Pentateuchus: Prophetae, praeter Isaiam, recurrunt identidem, non tamen crebro. Communiter remissio non fit ad humanum scriptorem sub proprio nomine: interdum insinuatur aliquanto propius sectio Veteris Testamenti unde locus desumitur: semel (Rom. 11, 2 ἐν Ἠλείᾳ) designatur pericope iuxta divisionem liturgicam

(1) Cfr. Biblica, 3, 323-335.

(2) Cfr. Kautzsch (De Vet. Testam. locis a Paulo allegatis 5–110) qui in scriptis Pauli detegit 84 allegationes dempta epistola ad Hebr. quam non admittit ut paulinam. His ergo adiiciendae citationes in hac epistola. Allusiones et reminiscentiae, vix numerari possunt.

(3) Quod in " Papyris „ occurrat eadem formula sensu forensi (Deissmann, *Bibelstudien* 1, 109. 110) nihil detrahit summo valori quem usitata haec citandi ratio tribuit Scriptoris: ad summum probabit Scripturam hac antonomastica appellatione vocatam instar iuridici documenti in ordine sacro fuisse.

synagogalem per paraschas et haphtaras quae antiquissima est atque ad populum accommodata, ut ex citatione Christi apparet Mc. 12, 26. Nec solum protocanonicos sed etiam deuterocanonicos libros notos Apostolo fuisse et ut sacrae auctoritatis, apparet ex Rom. 1, 19. 20; 9, 21–24 (1).

Divinam in supremo gradu auctoritatem Scripturis a Paulo tribui perspicuum maxime redditur ex eo quod eam ita personificet ut interdum appellationem hac adhibeat etiam cum de Dei ipsius personali atque ore prolata sententia sermo est, ut Rom. 9, 17; Gal. 3, 8; 4, 30. Usus vero multiplices iuxta summam hanc auctoritatem agnoscit et docet 2 Tim. 3, 16. Quo ex loco illud in primis indubie constat, Paulum, cum Veteris Testamenti Scripturas usurpat, usurpare veluti totidem sententias irrefragabilis veritatis et auctoritatis quae quamcumque aliam infinitis gradibus excedat. Sed cum inter Scripturae utilitates recenseat Paulus " doctrinam „ et " evictionem per argumenta " διδασκαλίαν, ἔλεγμόν) non minus certum est Apostolum in Scripturis validissima ad doctrinas et controversias de religione praesidia quaesivisse. Hinc quaestio de mente ac scopo Pauli in allegandis Scripturis, atque eo ipso de eius apta methodo in allegationibus summi momenti est in critica et exegesi paulina.

Si enim Paulus Scripturas Veteris Testamenti animo demonstrandi citat et si in allegationibus correctus est, pro quovis vero credente 1°) strictum erit officium acceptandi eius argumentationem veluti efficacem: itemque sensum quem loco allegato dat, tamquam indubium; et 2°) solum restabit hunc sensum per subsidia critica et exegetica diligenter exquirere, atque a contrariis ex eodem duplici fonte tueri. Controversia tamen de usu Scripturae apud Paulum specialem nec levem difficultatem offert, nam saepe non est adeo facile primo aspectu definire num citatio verae ac propriae demonstrationis gratia adhibeatur; aut, si scopus demonstrativus certo appareat, num testimonium apte citetur, idque

(1) Ex citatis ad Rom. locis perspicuum fit Paulo notum fuisse librum " Sapientiae „. Longum allusionum catalogum ad praedictum librum praebet Cornely in suo *Comm.* Proleg. p. 15 (Sap. 13-15 coll. Rom. 1, 20-32; Sap. 11, 16 et Rom. 1, 21; Sap. 15, 7 et Rom. 9, 21; Sap. 12, 20. 21 et Rom. 9, 22. 23; Sap. 11, 24 et Rom. 11, 32; Sap. 3, 18 et 1 Thess. 4, 13; Sap. 7, 26 et Hebr. 1, 3; Sap. 7, 22 seqq. et Hebr. 4, 12. 13). Libros Mach. respici a Paulo Hebr. 11, 35 b–37 agnoscit Windisch (96), et confirmat collatio horum versuum cum 1 Mac. 1, 56; 2, 28–38 et universa historia.

tam ex ipso tenore sententiae quae citatur, cuius contextus historicus haud raro videtur alienus ab eo quem citatio postularet, quam ratione formae qua sententia citatur: saepe enim vel plerumque desumitur citatio ex LXX et interdum etiam cum versio discrepat ab originali. Ex primo capite, i. e. ex discordantia sensus historici cum eo quem Apostolus dat sententiae citatae, difficultas crebro oritur secundum multos criticos. Sic Act. 13, 34 applicatur, aiunt, ad Christum sententia Ps. 2, 7 de rege theocratico prolata: similiter Hebr. 1, 5–13; 2, 5–8; Act. 13, 47. Rom. 1, 17; 9, 27–29 allegantur testimonia quae in proprio scriptoris citati contextu, nullatenus videntur congruere scopo Apostoli. Alias argumentum duci videtur ex sola similitudine eaque remota et externa vocum ut 1 Cor. 14, 21. 22 coll. Isai. 28, 11. 12; Hebr. 8, 5 coll. Ex. 25, 40; 10, 5-7 coll. Ps. 40, 7–9. Interdum vim facit in accidente quod ad rem non videtur pertinere ut Gal. 3, 16 coll. Gen. 12, 3; 28, 14. Haec supposita fidelitate citationis. At saepe textus ipse citatus incertus est quia desumptus ex versione etiam in casibus discrepantiae ut Gal. 3, 13 coll. Dt. 21, 23; Rom. 2, 24 coll. Isai. 52, 5. Ex. 36, 20; Rom. 3, 4 coll. Ps. 51, 6; Rom. 4, 3 coll. Gen. 15, 6 etc.

Hinc multiplex inter criticos sententia de usu Scripturae apud Paulum. 1°) Protestantes liberales hodie passim tenent Paulum et in genere scriptores canonicos Novi Testamenti testimonia ex Vetere adhibere, idque ordinarie, more rabbinico, i. e. arbitrarie, atque ita ut neglecta positione historica personarum, temporis, loci, argumenti, et arrepto fundamento ex quavis fortuita et externa analogia vel sententiarum aut etiam solorum vocabulorum, putarent se posse comprobationem elicere ad proprium thema (1). Hi ergo statuunt Apostolum in citando Vet. Testamento velle quidem propria dogmata probare; at argumenta adhibere parum apta. 2°) Alii nonnihil moderatiores, ut B. Weiss, et Westcott tenent Paulum et in genere scriptores N. T., praelucente duplici axiomate de divinitate scilicet christianismi ac de Veteris Oeconomiae ad Novam habitudine instar adumbrationis et praeparationis ad plenitudinem (finis legis Christus Rom. 10, 4), omissa penitiore sensus historici analysi, assumpsisse tamquam per se notum in plurimis Veteris Testamenti locis praesertim insignioribus, Christum

(1) Sic Holtzmann, *Neutest. Theol.* 1, 40; Harnack qui hanc methodum *localem* appellat (Lokalmethode) et apud Paulum saepe recurrere ait (*Dogmeng*[3] 1, 112. 113; *Mission und Ausbr.*[3] 1, 241).

et res christianas significari (1). Paulus igitur vult non tam abdita reserare quam firma et indubia uberius illustrare. 3°) Inter multos alios protestanticos scriptores et nonnullos catholicos pervulgari coepta est

(1) Westcott: " The use which the author (ep. ad Hebr.) makes of Holy Scripture is not dialectic or rhetorical, but interpretative (eo sensu quo explicat P. Lagrange in sua *Mét. hist.* 113. 114). The quotations are not brought forward in order to prove anything, but to indicate the correspondences which exist between the several stages in the fulfilment of the divine purpose from age to age. The christian faith is assumed, and on this assumption the Hebrews are taught to recognise in the Old Testament the foreshadowings of that growing purpose which the Gospel completes and crowns.. ***In regard to God, the whole history of the Bible is, according to the teaching of the Apostle, a revelation of the progress of the unchanging method of salvation through which creation*** is carried to its issue „ (The Epistle to the Hebr. p. 483). Etsi Westcott dicat se non admittere epistolam ut paulinam (Introd. Ixxviii-Ixxix), tamen forsan inadvertenter appellat auctorem " Apostolum „ (Ixi), et in omni casu nos eam ut paulinam acceptamus. — B. Weiss: " nach der Auslegungsweise seiner Zeit (Matthaeus) die Stelle (Is. 7, 14) lediglich ihrem Wortlaut nach, gefasst, und danach auf die wunderbare Geburt des Messias gedenkt hat. Er fragt eben bei der Weissagung *nicht, was der Prophet zu seiner Zeit seinen Zeitgenossen habe sagen wollen*, sondern *was sein Wort nach seinem einfachen Wortlaut uns über die göttlichen Rathschlüsse kundthut*, die zur messianischen Zeit erfüllt werden sollten „ (*Das Matt. Evang.* p. 42). Certe B. Weiss et multi protestantici interpretes et critici putant se triumphare allato Isaiae loco ubi veluti indubium habent agi de infante cito nascituro, cum eius vita usque ad aetatem discretionis ciborum proponatur tamquam mensura temporis a momento colloquii Prophetae cum Achaz usque ad Iudae liberationem a Rasin et Facec quae, de facto, brevi postea contigit. Sed quamvis Isaias desumat hoc spatium temporis in vita infantis tamquam mensuram temporis quod fluet usque ad Iudae liberationem a duplici rege, tamen momentum quo inchoatur vita infantis quodque Propheta proponit tamquam synchronum cum colloquio, non est synchronum " physice et re „ nec proponitur ut tale a Propheta, sed est synchronum " in apprehensione sive visione Isaiae „. Isaias certe ecstasi raptus, se transfert ad momentum conceptionis infantis, et ita constitutus, loquitur de illo momento quod est " praesens propheticum „, tamquam si esset " praesens historicum „, quoad mensurandam distantiam usque ad liberationem, sed nullo modo vult intelligi sensu absoluto, idque aperte significavit pluribus indiciis. 1) Ipso modo loquendi הנה העלמה הרה וילדת בן " ecce (perspicio) virginem concipientem et parientem filium „ 2) allato novo signo 8, 1-4. Hoc novo signo eadem liberatio praedicitur quae 7, 14-16 eademque distantia designatur usque ad eventum, et quidem desumpta, sicut ibi, ex vita infantis qui nunc concipitur. Cur haec nova praedictio eiusdem eventus sub eadem forma? Ut si forsan aliquis verum sensum primae praedictionis non intellexerat, nempe non agi de infante statim concipiendo et nascituro, nunc intelligatur: dum nunc loquor de infante iamiam concipiendo, ibi loquebar de infante quem per ecstasin perspiciebam nascentem. 3) Et maxime ex contextu 8, 5-9, 7. Parvulus de quo 9, 6. 7 est certissime idem Emmanuel de

sententia quod *a*) Scripturae citationes saepe non eo animo ab auctoribus canonicis Novi Testamenti, et in his a Paulo, afferantur ut argumentum obiective et absolute validum in eis quaerant, sed relativum et ad hominem. Cum Vetus Testamentum ex LXX citant ut aliquid confirment, id solum intendunt ut "argumentum afferant ex auctoritate LXX „; et criticus vel exegeta non alium valorem his citationibus concedere cogitur, nisi aliunde de obiectiva fidelitate versionis in casu constet (1). *b*) Simile quid dicatur de argumentis haustis ex textibus qui certum quemdam sensum, messianicum ex. gr. habere certis aetatibus et apud certos quosdam lectores censebantur, cum tamen talis sensus textibus re non subesset. Iudaei aetatis Christi iustam interpretandi methodum non habebant, sicut nec priora Ecclesiae saecula, imo nec Clemens alexandrinus vel Origenes. Hinc concluditur talem methodum abfuisse quoque aevo apostolico, etsi eo tempore defectum idonearum methodorum suppleret partim notitia linguae hebraicae, sicut etiam iudaicorum usuum et mosaici cultus. Christus cum apostolos in Scripturarum notitiam induxit, methodos non mutavit, sed traditionalem secutus est: ad Paulum quod attinet, is scholasticam cum Gamaliele consuetudinem non abnuit; i. e. non altiorem aut correctiorem methodum adhibet, sed easdem quas rabbini adhibebant. Hinc argumenta a scriptoribus Novi Testamenti et in his a Paulo ex scripturis adhibita, non possunt criticum et obiectivum valorem habere, sed solummodo relativum pro illis aetatibus et lectoribus qui methodos illas adhibebant (2). *c*) Attendendum est praeterea genus litterarium scriptoris: Paulus cum epistolas suas dictabat, non intendebat tractatus conscribere, in quibus, tametsi gradum culturae aetatis qua scribuntur superare nequeant, auctor nihilominus in-

---

quo 7, 14 et 8, 8. 10. Et tamen parvulus de quo 9, 6. 7 certo certius in mente Prophetae non est venturus statim sicut Maher Schalal, sed post cyclum aerumnarum qui describitur 8, 11-9, 2 qui certe utpote per assyrios inchoandus, "posterior „ est liberatione a Rasin et Facee.

(1) Ubi de fidelitate constat in versione, simulque agitur de testimonio contra cuius authentiam nulla sit ratio, iam non ex LXX, sed ex ipso verbo Dei authentico arguitur.

(2) Hummel., *Exegetisches zur Inspirationsfrage*, pp. 77. 80. 81. Tamen R. P. Hummelauer disserte declarat se "nolle de hermeneutica neotestamentaria agere quae sensum litteralem respicit, sed solum de typis „: hinc aequum non esset hunc scriptorem inter eos numerare qui Paulo arbitrariam et rabbinicam in Scriptoris interpretandis methodum attribuunt. Ideo nos eius verba non veluti ad praxim, i. e. applicationem, pro scriptoribus canonicis Novi Testamenti in suis citationibus litteralibus deducta ab ipso Hummelauer, sed solum veluti principium theoreticum enuntiata huius scholae afferimus; et habito respectu multorum eius asseclarum praesertim protestanticorum qui principia sine ulla restrictione profitentur et applicant.

tendit veritatem obiective exponere ac tueri non cum restrictione ad certum lectorum orbem : " Epistola ,, et multo magis " Litterae ,, ad quarum genus pertinent Pauli scripta (1), potius accensendae sunt ad genus concionis vel " diatribae ,,, ubi scriptor concrete respicit circulum suorum lectorum, corinthios, galatas etc. ; ac proin suum thema pertractare intendit secundum eorum captum et mentalem dispositionem : quod si altius assurgeret, forma litteraria qua utitur, impropria esset ac fictitia (2). *d*) Demum ultra deficientias proprias eius qui non ad litteram, sed e memoria Scripturas allegat, Paulus " ut fidelis iudaeus ,, sequitur in allegationibus regulas " bonarum scholarum israëliticarum ,,, ut " apostolus ,,, cernit in Veteri Testamento " figuram ,, Novi (3) ; ut " scriptor excultus ,,, adhibet methodos quas in usu apud graecos reperit ad pertractanda argumenta religioso-moralia : inter eas vero eminebat " diatriba ,,. De facto, characteres " diatribae ,, conspicui sunt in Epistolis Pauli, et multo magis proin hanc methodum in orali catechesi adhibebat cuius in epistolis paulo altior resonantia proditur. Porro diatribae characteres litterarii sunt : argumenti pertractatio ex rationis momentis, adiecta veterum auctoritate ita tamen ut utrumque ex coetus dispositione temperetur ; usus personificationum, interrogationum, antithesis : Paulus his omnibus delectatur ; nam expositionem veritatis ratiocinio roborat, tractationem inspergit figuris, ad Scripturam creberrime provocat, citationes fiunt memoriter sicut in diatriba, licet multo reverentius et ut divinae plane auctoritatis (4). Non tamen definiuntur methodi " bonarum scholarum israëliticarum ,, ; ceterum profecto in scholis catholicis iam a pluribus non ita habentur in honore liberiores sententiae quae paucis ab hinc annis passim grassabantur.

Abstractione interim facta a membro sub littera *d* memorato, difficile non erit animadvertere duplicem in reliquis sententiam efferri et utramque in eo convenire ut admittat obiectivum valorem difficultatum quae contra scriptores Novi Testamenti et contra Paulum opponuntur de incorrecto usu Scripturarum ; et discrepantiam in eo solum versari quod dum radicales admittunt consectaria inde promanantia de Pauli absoluta artis criticae ignoratione ac neglectu ; aut, dum Weiss et Westcott generale fundamentum

(1) Deissmann, *Paulus*, pp. 5-18.

(2) Hummel., *Ezeget. zur Inspirationsfr.*, p. 79.

(3) " Paul citant l'Ecriture c'est l'israëlite croyant qui allègue la parole de Dieu d'après les règles des bonnes écoles israëlites, en même temps que l'apôtre de Jésus Christ qui y voit la figure des temps nouveaux. Peut être Paul a-t-il emprunté à l'esprit grec une manière plus libre de reproduire les textes ,, Lagrange, *Epître aux Romains*, Introd. p. LVIII.

(4) Id. *ibid.* LIV-LX.

de duorum Testamentorum mutua relatione ad talem usum (utique incorrectum) excusandum adstruant; protestantes reliqui et catholici crassum Pauli errorem, etsi inconscium, in consciam oeconomiam et prudentem condescensionem mutare conentur ut extrema illa corollaria declinent. Sed cum de " obiectivo „ theoriae valore ac fundamentis item obiectivis eiusdem agatur, opportunum, imo vix non necessarium exsistimamus paucis saltem controversiam expedire.

Ante omnia notandum controversiam de usu Scripturarum demonstrativo in Novo Testamento, etsi Pauli occasione pertractatur, revera, ut critici quorum sententias afferebamus rite perspexerunt, omnes Novi Testamenti scriptores universim respicere cum de principiis ac criterio agatur non tam " personarum „ quam " aetatis „ quaeque ab evangelicis praeconibus adhibita passim exsistimentur. Hinc, sumpta sub ampliori aspectu controversia illud praeprimis statuimus, saepe sive ex formulis citandi, sive ex scopo scriptoris, sive ex contextu, conspicuum reddi eius propositum demonstrandi ex Scriptura assertum aliquod vel factum a se stabilitum. 1) ex formulis — Cum Matthaeus narratis 1, 18–20 conceptione et ortu Christi et allegato in confirmationem (1, 22) Isaiae loco 7, 14 sub formula ἵνα πληρωθῇ " ut impleretur „, Deum describit sollicite curantem ut illud ipsum historice in conceptione et ortu infantis " impleat „ quod ipse per Prophetam sub huius verbis praedixerat eventurum, Evangelista perspicue ostendit se locum Prophetae allegasse ut eius testimonio probet infantem Iesum ex Maria virgine conceptum et natum, esse illum ipsum infantem Israëlis Restauratorem quem Propheta inmediate habebat in mente cum Emmanuelis ortum ex עַלְמָה praenuntiabat. Similiter, cum postea 26, 54 inducit Christum prohibentem discipulis resistentiam contra Synedrii ministros in horto, atque dicentem, nisi captura sequatur, Scripturas " inanes „ reddi quae eventum praedicunt (quomodo implebuntur Scripturae quoniam *sic* oportet fieri?), indubie ex Isaiae testimonio cap. 53 quod prae oculis habet (Cfr. Lc. 23, 37) vult ostendere Iesum esse " Servum „ de quo Propheta loquitur. His aequiparanda sunt Pauli verba Rom. 9, 22–29 ubi dicit Deum eventu historico vocationis iudaeorum et gentilium ad Evangelium et Ecclesiam id intendisse ut in implementum deduceret vaticinia Osee et Isaiae (ut ageret iuxta vaticinia Osee et Isaiae: ὡς ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει — ὁ Θεὸς... — Ἡσαΐας δὲ κράζει...) ut eventum digereret habita ob oculos utriusque Pro-

phetae praedictione, ita ut eventus eam compleret. Allegatione igitur utriusque vaticinii id Paulus vult ostendere: eventum non casu, sed Dei consilio esse dispositum ad propheticarum praedictionum *implementum*, i. e. verificationem. In " implemento „ igitur Matthaeus et Paulus terminum ipsum quaerunt quem Prophetae inmediate habebant prae mente in suis praedictionibus, et quo sublato, Prophetarum oracula inania evaderent, enuntiata sine obiecto.

Si accurata analysis fiat reliquarum Pauli allegationum sub formulis καθὼς γέγραπται, ὡς γέγραπται, κατὰ τὸ γεγραμμένον, cum vel historicis eventibus vel determinatis assertis applicantur, idipsum deprehendemus quod in duplici iam discussa: allegari nimirum saepe ex hypothesi identitatis obiecti inter eventum vel assertum a scriptore canonico narratum vel stabilitum et praedictionem, ad eorum veritatem Scripturae auctoritate comprobandam. Sic Rom. 1, 17 citatur Habacuc 2, 4 ad probandum iustitiam Dei vere ex fide esse; 2, 24 allegatur Is. 52, 5 ad factum profanationis divini nominis inter paganos ob iudaeorum ibi dispersorum scelera confirmandum (1); 3, 10 affertur testimoniorum series ex Psalmis et Prophetis ut universalis hominum, etiam iudaeorum, extra Evangelium, corruptio Scripturae testimonio corroboretur.

2) Ex " scopo „ dein et " contextu „ sub aliis formulis, aut etiam omissa remissionis formula, multae aliae allegationes ostenduntur eadem mente demonstrativa fieri. Cum lector epistolae ad Hebr. v. gr. postquam Paulus 1, 4 asseruerat Christum tanto excelsiorem angelis factum quanto excellentius prae illis nomen sive dignitatem haereditavit, observat Apostolum 1, 5 subdere: " cui *enim* angelorum umquam dictum est „... coordinatis dein serie continua usque ad v. 13 pluribus Scripturae testimoniis quibus Christi nomen sive dignitas supra omnia creata extollitur, sponte concludit, et non potest non concludere, Apostolum 5–14 non aliud intendere quam Scripturae testimoniis comprobare excellentiam " nominis „ sive dignitatis Christi prae nomine seu dignitate angelorum assertam v. 4. Id prodit emphasis qua mirabundus interrogat: " cui umquam angelorum „... (2) addita insuper causali γάρ

(1) Negari nequit primo intuitu in Isaiae allegatione quamdam difficultatem apparere, sed haud aegre solvitur collato Ezech. 36, 20.

(2) Id est: forma interrogatoria sententiae et indefinita τίνι... ποτε categoricam asserti versus 2 vim efferunt.

quae totam pericopen 5–13 membris coordinatis atque in idem conspirantibus constantem, afficit : id quoque clausula v. 14 persuadet ubi, recapitulando, rursus non minori vi quam v. 5 illud effertur : angelos tandem *ministros* Christi esse qui ei famulantur non in coelis solum, sed apud homines qui haereditatem salutis per Christum partae recepturi sunt sub Christi oeconomia. — Non minus perspicue apparet scopus demonstrativus Rom. 3, 9–20 ; 4, 3–8. 17. 18 ; 9, 9–13. 24–29 ; 1 Cor. 2, 9–13 ; Gal. 3, 6, 10–13 ; 4, 21–29 etc. Hinc quamvis negari nequeat Apostolum saepe in suis allegationibus accommodatione Scripturas adhibere (1), indubium tamen est eum, saltem cum formulas solemniores adhibet, et alias saepe, communiter propria asserta confirmare velle (2).

Veniamus ad alterum ambiguitatis caput de obiectiva correctione in allegandis textibus. Nempe potestne cum vera probabilitate asseri Paulum, cum ex Scriptura demonstrare propria asserta vult, ita passim a sensu historico aberrare, aut textus ex LXX ita ab originali discrepantes afferre ut, ex regula generali, apud eum usus Scripturae sit tam incorrectus quam supponunt theoriae primo ac secundo loco propositae ? Nam probe notandum has theorias supponere illam incorrectionem, praesertim ex incohaerentia cum sensu historico sententiae citatae, esse certam et ordinariam. " *Frequenter*, scribit B. Weiss de usu Scripturae apud Paulum disserens, applicatio nititur assonantia fortuita, et fundamentum (*totius* paulinae hermeneuticae) in hoc est : quod universa Scriptura Messiam opusque messianicum praenuntiet„ (3). At nec adest vera talis citationum ab earum sensu historico avulsio, nec theoriae sive Weissii et Westcottii, sive catholicorum de solum relativo argumentorum valore in mente Pauli cum dignitate Apostoli conciliantur.

Ut demonstremus non adesse in Apostoli allegationibus talem sententiae avulsionem ab eius sensu historico, necesse non est singulas citationes percurrere : ad ostendendam axiomatis falsitatem sufficit casus aliquos examinare in quibus maxime locum habet iuxta adversarios neglectus ille historici sensus in sententia allegata. Exemplum insigne nobis praebet locus Ps. 2, 7 : « Filius meus es tu, ego hodie genui te »

(1) Exempla sunto : 2 Cor. 8, 14. 15 ; Rom. 10, 18.

(2) Ex 18 citationibus in Epist. ad Rom. quas recenset Prat, (*Theol. de S. Paul* 1, 36. 37) potest sine haesitatione dici omnes, paucis exceptis, animo probandi afferri, idque ex sensu litterali : Excipiuntur 12, 20 ; 13, 9 et si quae alia.

(3) *Neutest., Theol.* p. 277.

cuius applicatio ad Christum saepius a Paulo fit (Act. 13, 33 ; Hebr. 1, 5; 5, 5) (1). In primis, de fidelitate materiali allegationis nulla est vel potest esse difficultas cum omnes textus sententiam eodem prorsus modo ac verbis praebeant. Ad applicationem vero quod attinet, omnes critici protestantes non solum radicales ac liberales verum etiam moderatiores ut B. Weiss, Westcott, Riggenbach cernunt in hoc testimonio exemplum classicum avulsionis a sensu historico ; nam ex una parte hi scriptores contendunt Psalmum, utpote « resonantiam » (2) ex 2 Sam. 7, 14, de rege theocratico agere cuius gloriae celebrantur, sive is sit David, sive Salomon sive alius, minime autem de Christo, prout ex « iniquitate et poena », aiunt, in loco principe (2 Sam. 7, 14^b) apparet ; et ex alia, Paulum verba Psalmi veluti directe et inmediate de Christo dicta intelligere asserunt (3). Quo autem pacto potuerit Paulus sensum messianicum deprehendere in Psalmo explicat Riggenbach : quia « iam ante christianismum ut ex Psalmis Salom. patet (Ps. 17, 4. 21-24) ac multo magis in christianismi initiis (Act. 4, 25) sensus messianicus admittebatur » (4). Fundamentum vero quo iudaica traditio ad hunc sensum ex historico pervenit, hoc fuit : quidquid honorificum de rege et regno theocratico in Vet. Testamento legebatur, id a fortiori et ampliori sensu de Messia dicendum, utpote singularissimo Davidis filio in quo ad culmen supremum perducenda erant quae inchoatione quadam in historia domus davidicae gesta erant (5). Iuxta Westcott, cum ex triplici magna promissione Davidis posteritati facta, de regno conservando, de templo aedificando ac de gentibus subigendis, nulla in temporalibus eius posteris implementum habuerit, *obvium fuit ut pro singulis de spirituali quodam Postero cogitaretur* in quo promissa divina, ac proin infrustrabilia, implerentur : Ps. 2us *divinum regem* sub tertio aspectu exhibet (6) Pau-

(1) In nostra demonstratione procedimus ex hypothesi, alibi probanda, quod Epistola ad Hebraeos Pauli auctoris sit. Argumenta autem nostra ex ep. ad Hebr. desumpta specialem vim habent quia auctor ad Hebr. censetur ab adversariis adhuc laxior quam Paulus in usu Scripturae.

(2) Cfr. Riggenbach, *Der Hebr. brief.* p. 17.

(3) Cfr. B. Weiss, *Hebräerbrief* pp. 48–50. De mente Pauli in allegando testimonio ex Psalmo expresse ait Weiss (bis p. 48 et 50) Apostolum verba *directe* de Christo dicta intelligere : aliunde vero sensum historicum distinguit ab eo quem Paulum verbis attribuit (p. 50).

(4) Ut superius innuimus, epistolam ad Hebr. esse certo paulinam suo loco demonstrabimus. Praeterea secundum adversarios non minus quam Paulus, imo magis, adhibet auctor ad Hebr. methodum rabbinicam interpretandi. Demum Westcott non satis certum se prodit de Epistolae auctore, nam eum saepe appellat " Apostolum „ sensu antonomastico (pp. 189. 305. 483. 494).

(5) Riggenbach, *Der Hebr.* p. 17.

(6) Wesicott, *The Epistle to the Hebr.* p. 19 " he is not the builder of the temple but the representative of the Lord's triumphs „. Differunt Riggenbach

lus igitur interpretationem messianicam hereditate domestica accepit, sed quae aliud fundamentum non praeseferebat quam iudaeorum speculationes messianicas. Secundum hos criticos igitur Paulus textum hunc « libere et incorrecte » citavit, neglecto sensu eius historico etsi praeeunte Synagoga.

At explicationes has subsistere non posse ac Paulum minime talibus momentis in allegando textu ductum fuisse facile ostenditur. In primis dogmatice insufficientes esse etiam pro Weiss, Westcott et Riggenbach si christianum sensum de revelatione ac vaticiniis, deque apostolorum inerrantia doctrinali retinere volunt, ut velle videntur praesertim Westcott, haud difficile apparet. Cum sensus primitivus in vaticinio Sam. 7, 14-16 secundum omnes tres criticos, in verborum tenore historico non sit messianicus, cumque ad messianicam conceptionem nonnisi postea, idque vi solum experientiae historicae ac subiectivae speculationis deventum sit, non per iustam revelationem divinam, quae aut ampliorem ac *verum primitivorum vaticiniorum sensum messianicum* antea ignotum detegeret, aut *nova* proponeret a veteribus distincta etsi eorum completiva ; perspicuum est verba Psalmi minime ferre prae se sensum messianicum innixum revelatione divina ; sed aut remanere in nudo sensu historico 2 Sam. 7, 14 si nondum pervenerat traditio ad

---

et Westcott in hoc quod etsi quoad locum principem conveniant in excludendo omni sensu messianico ac proin divino de Messia sive Christo, itemque in derivando sensu messianico qui postea locis parallelis tributus est, ex mera iudaeorum speculatione, Psalmum tamen ipsum (2um) in diverso historiae messianismi strato scriptum statuant. Riggenbach ita facit Psalmum resonantiam loci principis ut scriptum putet eo tempore quo nondum promissioni alligatus erat sensus messianicus : hinc iuxta Riggenbach sensus messianicus non inhaeret Psalmo in mente sui auctoris ; non celebratur ibi rex *divinus*, sed *theocraticus*. Contra, Westcott putat scriptorem Psalmi celebrare regem *divinum:* hinc Psalmum scriptum censet cum iam davidicis promissionibus tribuebatur sensus messianicus. At neuter attribuit Psalmo sensum *divinum*, i. e. sensum messianicum qui ab inspiratione vel ipsius Psalmistae, vel alterius vatis praecedentis procedat, cum fundamentum quo ad sensum messianicum deventum est, sit mera populi naturalis experientia de frustratione spei temporalis : " still experience shewed that no earthly kind could satisfy its terms „ (p. 19). Si Westcott statueret locum principem " in se „ ab origine habuisse " ex parte Dei „ sensum messianicum, etsi ad huius notitiam nonnisi postea quacumque via certo perventum sit, profecto sensus messianicus Psalmi esset divinus ac certus ; at Westcott expresse asserit " the *whole* passage with its reference to iniquity and chastening, *can only* refer to an earthly king „. Forsan eius mens sit loqui non de sensu " obiectivo „ sed solum de notitia ; sed eius verba id non exprimunt ; hinc est flagrans contradictio inter sententiam recitatam de " impossibilitate „ sensus messianici et subsequentem de transitu ad sensum messianicum : talis sensus est pure phantasticus, etiam adiecta scriptoris inspiratione nisi accedat revelatio ; nam inspirationis proprium est tueri suaque facere scriptoris sensa, non nova infundere.

stadium conceptionis messianicae de Postero Davidis spirituali, aut, quamvis pervenisset, non exhibere nisi conceptionem mere humanam, nixam experientia et rationibus sive calculis humanis. Paulus proinde et decipitur ipse cum verba Psalmi sensu messianico sumpta, veluti divina cogitat; et decipit praeterea suos lectores cum eis ut talia tradit. Necesse est igitur, ne Apostolum deceptum ac deceptorem faciamus, in ipso Psalmo admittere sensum messianicum ex divina illustratione quae Psalmistam illuminabat (1).

At nec historice aut critice vel exegetice dici potest Paulum in sua interpretatione errasse: praesumptiones omnes historicae et criticae sive exegeticae sensum Psalmi messianicum confirmant. Iesus in Evangeliis, cum se Messiam Dei Filium in Veteri Testamento promissum declarat, filiationem non quovis sensu, sed " naturali „ et " consubstantialitatis cum Patre „ intelligit. Id probat tota series non solum quarti Evangelii, sed etiam Synopticorum; unde Ecclesia christiana hunc articulum a primo sui exordio perspicue professa est. Porro disceptatio Domini cum Pharisaeis, apud Mt. 22, 41–45 nobis conservata, quodnam maxime fundamentum ex Scripturis afferret Christus ad divinam suam filiationem probandam satis perspicue prodit. Christus nimirum, postquam interrogatis pharisaeis de Messiae Genitore negavit genealogiam ex Davide exhaurire celsitudinem quae in Messiae filiatione latet, utpote qui a Davide " Dominus suus „ appellatur; ut agnoscant quisnam tandem sit ille Genitor cuius Filius Messias dicitur, Doctores ad Psalmum 109 (hebr. 110) remittit; ut scilicet ex eius v. 3, ubi Dominus ille a Iahve " Filius a se generatione editus (LXX) „ declaratur, discant quo demum Genitore Iahve nimirum, et qua filiatione, consubstantiali nempe, sit genitus (2).

(1) Vim huius argumentationis probe perspexisse videtur B. Weiss; nam longam perplexamque satis de hac re disputationem his tandem verbis claudit: " dass beide Stellen (Ps. 2, 7 et 2 Sam. 7, 14) *auch von ihrer geschichtlichen Erklärung aus* (proinde non per accommodationem ullam, imo nec solum typice) *in irgend einem Sinne* eine messianische Deutung zulassen, ist zweifellos „ (p. 50). Id ipsum quaerit Westcott, etsi frustra, cum Psalmum non durante stadio sensus mere historici promissionis Davidi factae, sed in subsequente scriptum insinuat, postquam scilicet messianica conceptio orta et evoluta erat.

(2) Christum non sistere in sola appellatione " Domini „ qua Messias Ps. 110 honestatur, sed ulterius prae oculis habere sequentia: " ex utero ante luciferum genui te „ perspicuum reddi videtur ex eo quod in illa " Domini „ appellatione nihil adhuc de filiatione Messiae, in qua tamen veluti asserta in Psalmo quem citat, vim facit Christus. Cum igitur ait: " si ergo David vocat eum *Dominus*, quomodo eius Filius est? „ hanc responsionem exspectat et aequivalenter subiun-

Verum est Psalmum 110 (LXX 109) non esse Psalmum 2; at sententia quam Christus in mente habet: "ex utero ante luciferum genui te„ parallela est sententiae Psalmi 5: "ego hodie genui te„, Littera deinde ipsius Psalmi atque eius contextus i. e. parallelismus synonymus inter utrumque membrum: "Filius meus es tu: ego hodie genui te„ secundum quem in altero, adiecta notione generationis, concrete explanatur conceptus ipse filiationis qui in primo enuntiatur; nedum Apostoli interpretationi officiat, eam egregie confirmat; sive "generationem„ intelligat "generationem aeternam„ quae Christo competit qua Deus est, sive incarnationem.

Certe non omnes catholici interpretationem literalem tenent secundum quam Psalmista ipse directe generationem Christi enuntiaret: multi exsistimant scenae complexum in Psalmo descriptum interpretationem litteralem de Christi generatione sive aeterna sive per incarnationem non ferre; sed admittunt sub historia regis theocratici, typum personae ac gestorum Christi, i. e. statuunt filiationem et generationem litterali sensu de regis institutione per Iahvem explicandam esse; simul vero, sensu typico, generationem Christi altiorem, sive aeternam, sive per unionem hypostaticam, a Spiritu sancto praesignificari; id quod sufficit, aiunt, tum ad interpretationis paulinae veritatem tuendam, tum praeterea ad divinam prolationem sensus messianici directe in Psalmo ipso retinendam, cum iuxta doctricam catholicam de typis, non solum littera et res tenore inmediato litterae expressa, sed persona quoque aut eventus per rem ipsam ulterius adumbratus interdum a Spiritu Sancto intendatur. Possibilitas autem typorum in Scripturis negari iure vel in dubium revocari non potest, cum Deus supremis sit eventuum historiae moderator, possitque pro sua sapientia

---

git: "quia statim v. 3 ille *Dominus* appellatur a Iahve filius ex proprio utero genitus„. Haec eo probabilius dicuntur quo unicus huius loci textus qui certo ex Christi aetate ad nos pervenit, alexandrinus, scilicet, ita legit: massorethicus, Aquilae, Theodotionis et Symmachi recentiores sunt. Ceterum reductio massorethici ad alex. est facilis excepta voce מִטֶּל. Accedit quod textus alexandrinus certo adhibebatur etiam in Synagogis Palaestinae et Hierosolymae saltem linguae graecae. Animadvertatur Dominum illo Dialogo procul dubio voluisse coronidem apponere iis quae in iisdem Templi atriis cum DD. illis saepius disputaverat de sua consubstantiali filiatione. Haec est ratio cur indirecte et quasi aenigmatice, atque postulata potius a Doctoribus sententia de Messiae filiatione Christus loquatur. Certe minime volumus haec tamquam penitus indubia tradere: sed iustum exsistimamus evangelicam historiam sub luce omnium simul documentorum rimari.

praevidere atque ordinare, pro sua autem omnipotentia universam creationem flectere ad propria consilia complenda ita ut non solum cogitatione ac verbo sed etiam eventibus ipsis ac personis valeat futuros eventus ac personas praesignificare (1).

Theoriae autem de valore solum relativo argumentationis sive ex admissione sensus messianici, qui de facto textibus non subsit, quas quidam invexerunt; sive ex usu versionis LXX, sive ex generibus litterariis, aliud revera non sunt quam aut tacita concessio errorum obiectivorum quos schola radicalis et liberalis scriptoribus Novi Testamenti et in his Paulo affingunt, aut talis generis perfugium quod certe scriptores canonicos haud multum honorat. Theoriae hae possunt aequiparari explicationi naturali miraculorum; nam utrobique statuitur vera textus scripturistici detorsio a sensu naturali et obvio ad innaturalem plus minusve contortum. Primarius scriptorum canonicorum et nominatim Pauli scopus non est lectores plus minusve deludere apparentibus rationibus, sed eos vere de Christi dignitate deque aliis fidei aut morum capitibus solida doctrina edocere atque in veritate iam nota firmis argumentis confirmare: neutrum obtinetur si ex regula generali et ordinarie Paulus methodis talibus vere sophisticis usus fuisset. Et cum tales theoriae proponuntur, eas ad ordinariam agendi rationem Apostoli in alleganda Scriptura explicandam proponi evidens fit ex fundamentis quibus theoriae fulciuntur, et ex

(1) In explicationem typicam inclinat post Iansenium, (gandav.) Estius, (in h. l. p. 41): Agetius, vacillat. Inter recentiores Knabenbauer, scribit: " huius Psalmi scena maior est ac magnificentior quam ut ulli regum congruat „ (In Ps. p. 21). Secundum Knabenbauer agit Psalmus de rege theocratico quidem, sed concrete repraesentato in rege " messianico „, vel quod in idem recidit, de rege " messianico „ sub imagine vel schemate regis " theocratici „. Generatio ex Iahve aliud non est quam proclamatio in regem messianicum (vel in incarnatione ipsa, vel in glorificatione post passionem). At quomodo rex " theocraticus „ est simul rex " messianicus? „ i. e. quo pacto in rege theocratico cernit Psalmista regem " messianicum? „ Ex nexu inter utrumque. Notio ipsa regis theocratici postulat aut fert secum ut posito Dei consilio de suo imperio stabiliendo in terris supra omnes gentes per Messiam, de quo consilio abunde ex Prophetis constat, illud stabiliat in vel per regem theocraticum i. e. ita ut suum Messiam, in rege theocratico quaerat. De facto Messias appellatur " Dei Filius „ (2 Sam. 7, 12) rex " aeternus „ (ibid. v. 15). Knab. In Ps. 2: p. 22. 23). Explicatio haec non magnopere differt ab ea Riggenbachii et Westcott: quamdiu ex determinata Dei revelatione non constet de designatione talis determinati in Regem messianicum, coniecturae humanae, utut probabiles, nullo modo certitudinem multo minus divinam pertingere possunt cum talis designatio essentialiter a Dei consilio dependeat.

pericopis Apostoli quibus applicantur. Certe nisi de ordinaria agendi ratione sermo esset, necesse minime foret confugere ad methodos hermeneuticas quibus iudaei, Christi et apostolorum coaevi, veluti ordinariis uterentur, et inter quas *nulla legitima aderat:* casus in quibus Apostolus accommodationes vel illustrationes citra demonstrandi propositum adhibet omnes admittunt: sed hos casus catholici interpretes communiter facile explicant, nec tamen asserunt Paulum recta interpretandi methodo caruisse aut inter iudaeos, eius et Christi coaevos, illam ignotam penitus affirmant et numquam usurpatam. Ceterum rabbinos illarum aetatum non caruisse rectis interpretationis litteralis methodis indirecte ostendunt verba Christi dum eos de "Scripturarum investigatione „ laudat (Ioann. 5, 46), dum ad carum examen provocat (Mt. 22, 29. 43): et directe, exemplum allatum a Matthaeo de loco Michaeae (Mt. 2, 4–6).

Quae de allegationibus " incorrectis „ dicta sunt, valent etiam pro argumentis quae afferuntur ex generibus litterariis ut de his quoque aliquid brevissime innuamus. Quocumque genere litterario Paulus ad fideles scriberet, primarius eius scopus erat semper eorum eruditio atque in fide confirmatio: non ergo poterat infirma argumenta adhibere quorum inanitatis conscius erat, sive ob allegationem ex textu qui cum authentico non concordabat, sive ob argumentationem mere ad hominem in genere. Paulus utpote rabbinus et eximius discipulus Gamalielis textum hebraicum minime ignorabat: hinc si versionem alexandrinam perspiciebat cum authentico non concordare, non poterat ex regula generali eam adhibere. At in hac re sedulo distinguendum inter textum " hebraicum „ et textum " massorethicum „ : ex eo quod hodie versio LXX non concordet cum textu massorethico, non sequitur non concordasse cum hebraico illius aetatis. Exempla plura afferri facile possunt v. gr. in Ps. 22, 17; Gen. 49, 10 etc. Similiter si agebatur de textu qui quomodocumque rem quae erat demonstranda non vere demonstrabat, etsi lectores putarent demonstrari, Paulus non poterat talem textum adhibere; nisi aut ex expressa declaratione Apostoli aut ex contextu constet agi de argumentatione tantum ad hominem. Ad " bonas scholas iudaicas „ quod spectat, iam diximus extitisse de facto in aetate apostolica apud palaestinenses. Ad " diatribam „ demum quod pertinet, plura quae ex hoc principio a pluribus explicantur, melius ex aliis principiis explicari videntur, ut per dialogismum in serie epistolae ad

Romanos. Alia forsan poterunt per analogiam ad illud genus explicari : nulla enim est difficultas in admittendo Apostolum methodos a graecis suo tempore usitatas in proprium diffundendae veritatis commodum convertisse.

2. Amplitudo, limites, criteria in usu demonstrativo Veteris Testamenti apud Paulum

Quamquam ex disputatis indubium sit Paulum saepissime Scripturas adhibere animo demonstrandi, non minus certum est interdum Scripturam ab Apostolo usurpari potius illustrationis gratia ; et tunc nihil mirum quod nexus inter thema ad cuius illustrationem affertur scripturistica sententia et huius historicum sensum nonnumquam laxior sit, ut cum 2 Cor. 8, 15 affertur Ex. 16, 18 de collectoribus mannae. Non vult dicere Paulus (1) textum illum praedictionem continere eventus qui in praesenti complendus est, ita ut Moyses cum illa verba scripsit, aut Spiritus sanctus cum inspiravit, prae oculis habuerint historiam actualem ; sed Deum illa providentia de populo Israel docuisse fideles ut per mutuam charitatem id in vero Israële, Ecclesia universali, efficerent, atque illam omnium aequalitatem (non mathematicam sed accommodam) procurarent quam ipse in israëlitis effecerat, aequalem mensuram mannae eis miraculose distribuendo : agitur nimirum de morali lectione ex facto scripturistico elicienda. Laxior adhuc est nexus cum Paulus Scripturae verbis utitur tantum ut propriam sententiam exprimat, ut 1 Cor. 13 ex Dt. 13, 5.

Ex scopi varietate in alleganda Scriptura atque ex obscuritate vel ambiguitate in sententiarum nexu potest nonnumquam contingere, et de facto haud raro contingit, ut non obstantibus formulis atque etiam nonnullis contextus adiunctis, res non ita perspicue liqueat. Inde probe intelligitur interdum difficulter definiri quo pacto, non obstante praesumptione aut certitudine pro verae demonstrationis scopo, citatio proposito respondeat. Fidenter tamen asserti potest, quidquid de Pauli allegationum libertate dici soleat (2), Apostolum, cum demonstrare vult, non egredi limites aut sensus litteralis, aut sensus typici aut sensus, qui dici-

(1) Ut non satis recte supponit B. Weiss, (*Neutest. Theol.* p. 277).

(2) " In den Anführungen bewegt sich Paulus sehr frei „ : " werden häufig ganz verschiedene Schriftstellen frei verknüpft „ (Weiss, *Biblische Theologie des N. Test.* p. 276).

tur, consequentis, qui scilicet consectario constat quod praevisum ac provisum a Spiritu Sancto, ex textu allegato legitime elicitur, quodque revera vim habet thesin demonstrandi ad quam assumitur. Exemplum sit 1 Cor. 9, 8–10. Disserit ibi Paulus de iure percipiendi fructus ex labore in ministris evangelicis, fidenterque asserit, suam de hac re doctrinam non humanam esse, sed divinam atque in lege traditam, allegatque illud Dt. 25, 4: " non alligabis os bovi trituranti „. Quo autem modo ex hoc testimonio thesin eliciat, ipse explicat: quia nimirum Deus cum de bobus id praecipiebat, *etsi de bobus* cogitabat, *plus adhuc* de sacris operariis. Prima specie videri posset hic quoque sicut superius, cum de collectoribus mannae, haberi tantum conclusionem a fortiori quae tamen non a Deo praevisa et *provisa* erat, sed tota a ratiocinante pendet. Tamen citationem Paulus non ita intelligit; ait thesin suam *in lege proferri;* Deum, cum legem dictabat, non (non tam) de bobus, sed (quam) de *ministris curam habuisse* (1); *propter eos scriptam* fuisse, scilicet cum scriberetur, Deum *de illis* cogitasse. Difficultas in inveniendo nexu citationis cum themate et definiendo sensu quem prae oculis habet Paulus, provenire solet vel ex profundissima notitia quam de Scriptura in connexione cum oeconomia revelationis habet Apostolus quae revera stupenda est, unde fit ut id quod interpreti difficillimum et absconditum est, Paulo sit in promptu et paucis verbis exponat; vel ex celeritate qua transit ex conceptu ad conceptum qui cum priore dialectico nexu copulatur; vel ex ratione sub qua textum allegatum respicit etiam cum haeret sensui litterali inmediato.

Inter alia plura quae miram Scripturae comprehensionem in Apostolo ostendunt qualia sunt ea quae de vera habitudine Legis ad promissionem in Veteri Testamento disserit Gal. 3, 15-4, 7; de Evangelio in promissione et in historia Rom. 1, 2. 3; de duratione, functionibus et consummatione operis restitutorii in Christo Hebr. 1, 1-4; 7, 25; 9, 26-28; 1 Cor. 15, 24-28 etc., citabimus exemplum quod recurrit Hebr. 2, 5-9. Expensa accurate pericope, vix dubium est quin Apostoli sententia ibi explanata haec sit: Psalmus 8 celebrat quidem hominem

(1) Comparationem inter cogitationem de " bobus „ et de " ministris „ non esse intelligendam absolute ut prima specie ex verborum sono videri posset, sed relative: " non tam „, apparet ex eo quod hinc nimis evidens sit textum de bobus agere, aliunde vero sciamus genium hebraici sermonis hunc esse ut saepe tamquam extreme opposita proponantur quae talia non sunt ut cum de Iacob et Esau dicitur apud Malachiam alterum " dilectum „, alterum " odio habitum „ a Deo; scilicet minus aut non tam dilectum.

ut talem, i. e. naturam humanam, non tamen aut abstracte aut collective sumptam, sed potius eminentialiter, qua repraesentatam scilicet in singulari quodam et eminentissimo sui individuo, Christo. Hic, verus homo et qua talis, hypostatice tamen Verbo copulatus, vel " homo ,, quatenus hoc individuum etiam complectebatur obtinuit a Deo promissionem, quae impleta est, de universali et absoluto dominio in creationem ob gesta quae in propria sua humana natura ac per eam, sub unione tamen cum divina, complevit ; scilicet, generis humani restaurationem (1). Haec certe interpretatio non exiguas difficultates offendit: 1) quod in ea supponatur oeconomiam de qua Psalmus loquitur esse non mere naturalem sed etiam, imo praesertim, supranaturalem, cum tamen principatus hominis de quo agit textus Psalmi, aliud non videatur esse quam poëtica paraphrasis verborum Geneseos 1, 26-29 : 2, 19 quae ordinem naturalem non excedunt ; 2) quod Paulus subiectionem creationis ad Christum intelligat *absolutam,* quae complectatur quidquid Deus non sit ; Paulus enim *nihil ei non subiectum* asserit ; et 1 Cor. 15, 27 expressius adhuc : " uno Deo excepto ,, ; dum tamen Psalmus de creatione visibili et terrestri atque infrahumana agere tantum videtur : ovibus, bobus, volucribus, pecoribus, piscibus. 3) Paulus minorationem prae angelis intelligit per incarnationem, et sic sensu deprimente, peiorativo, per descensum ex statu superiori ; Psalmus e contra, sensu potius exaltante ותחסרהו מעט מאלהים " prae angelis parum minorasti ,,, i. e. " prope angelos collocasti ,, significare videtur. 4) Coronationem Paulus intelligit per apotheosin in ascensione : Psalmus per praeposituram in animalia. 5) Excellentiam Paulus intelligit maxime prae angelis ; Psalmus nedum angelos inferiores, e contra superiores homine qui celebratur, facit, Difficultates solvunt vario modo interpretes supranaturalistae : vel *a*) admissa distinctione inter sensum litteralem qui de Adamo, visibilis creationis principe agit, et sensum typicum qui de Christo, cui multo altior et amplior principatus et coronatio concessa fuit, quaeque in illa inferiori significabatur ; sic Knab. (in Psalm. p. 42) ; vel *b*) facta distinctione intra eumdem hominem collective sumptum, inter diversos humani generis eximios repraesentantes, Adamum et Christum, Adamo applicantur naturalia et minora, Christo supranaturalia et ampliora quae in serie Psalmi de homine praedicantur (Cornely, Introd. spec. in N. T.[3] 2, 148) ; vel *c*) eodem tempore quo Psalmista laudes concinebat hominis " ut principis praesentis orbis (naturalis) ,,, Deus hominem destinabat ad hoc ut, in Christo, esset " principi futuri orbis (christiani) ,, : et sic, dum Psalmista decantabat glorias hominis innocentis, quae tamen

(1) Nimirum, cum Deus Adae, ut humanae stirpis repraesentanti, magnifica illa concedebat, habebat prae oculis, tamquam contentum in humano genere, etsi utique simul hypostatica unione ornatum, Christum ; et in eo, aut in hominis natura in Christo repraesentata, cernit plenum privilegiorum implementum.

ob superveniens peccatum impletae non sunt, Deus decernebat (idque per ipsa Psalmistae verba significabat) plenum, licet inopinatum, implementum in Christo et oeconomia supranaturali. Simul igitur laudes hominis quas tenor litterae in Psalmo concinebat, in mente Psalmistae in hominem innocentem, in mente vero Dei in Christum recidebant (Westcott, The Epistle to the Hebrews, pp. 43. 45. 61) (1); vel *d*) homo de quo Deus et Psalmista, est unus idemque, Christus, qui celebratur a Psalmista veluti Princeps in ordine altiori quam pure naturali, atque in universam creationem. Minoritas prae angelis vere sensum exaltationis habet; quia dignitatem illam naturali excelsiorem apprehendit Psalmista velut praerogativam Christo " ut homini ,, inhaerentem, cuius humanitas angelicis spiritibus multo propius accessit quam ceteri omnes homines ob praerogativas singulares quibus ornata est, etsi intra humanae naturae limites remanens. Verba proin sensum exaltativum, non depressivum habent. Illa : omnia subiecisti... principatum protendunt ad universam creationem quia exempla quae adiunguntur non ut *exhaurientia* sed ut inadaequate enuntiantia dominium proferuntur. Quod exempla desumantur ex natura infrahumana ideo est quia excellentia quae Christo ut homini conceditur supra angelos, est non *specifica*, cum homo semper natura inferior angelis sit; sed *oeconomica* i. e. destinata ad oeconomiam restitutionis generis humani, quatenus iuxta Hebr. 1, 14 angeli ministeria obeunt in *ditione* quae Christi hominis propria est, inter homines in ordine ad salutem meritis Christi partam (2).

Quaecumque ex propositis explicationibus seligatur semper apparet mysterium quoddam profundum in Psalmo, et nemo prudens contemnet etiam ultimam explanationem, imo plura habet quae forte eam prae ceteris commendant. Plura vero quae ut Gal. 4, 21–29 et alia quaedam similia ceu peregrina traducuntur; nimirum veluti subiectivae ac piae textus Scripturae amplificationes sine ullo reali fundamento in textu ipso (3), iustam explica-

(1) " The true destiny of man described by the Psalmist, which experience teaches us that man himself has missed, was fulfilled otherwise than had been expected. Words which were used of man in himself, became first true of One Who, being more than man, took man's nature upon Him. „ (p. 43). " Jesus is not the *man* of the Psalmist „ (p. 45). " The words of the Psalm have unexpected accomplishment „ (ibid.). " Even as man was destined to rule *the present World*, so is it the pleasure of God that he should rule the world to come „ (p. 61).

(2) Ipsa admirabunda introductio plus quam communia hominis dona videtur promittere. " Memoria „ dein et " visitatio „ non quamvis donorum effusionem sed quae " praeter „ et " ultra „ naturam sunt; nam Deus eum non speciali modo visitat cui dona ordinariae providentiae impendit.

(3) " Erbauliche Ungestaltungen und Ausdeutungen „ Holtzmann 1, 40.

tionem nansciscuntur in sensu typico. Quae Paulus de Sara et Agar, Isaac et Ismaël disserit ceu repraesentantia in se atque in suis gestis utrumque Testamentum expressis terminis asseruntur ab Apostolo *dicta* i. e. scripta per " allegoriam „. Evidenter Paulus non vult dicere narrationes illas tales esse ut seipsis, sine ulteriore personarum et eventuum destinatione per Deum statuta ad futuras personas eventusque, fundamentum praebeant ad qualescumque legentium applicationes. Si ita foret, Paulus non potuisset iure asserere illa fuisse per allegoriam *scripta;* nam si nec scriptor sacer, nec Deus dum ea scriptori sacro inspirabat, quidquam ultra nudam historiam cogitassent, certe non possent dici scripta per allegoriam ; non essent ἀλληγορούμενα = *aliud* dicentia, sonantia, significantia scilicet ultra historicum factum quod littera sonat : scriptio, etiam qua inspirata per Deum, exhausta fuisset " sola historia „. Deinde, sicut Paulus, sic alii quivis alias explicationes etiam contrarias et sine fine varias multiplicare possent atque eiusdem valoris, id quod Apostolus certissime non admittit. Inest ergo illis locis verus valor typicus a Deo praefixus et intentus cum Scriptura dictabatur ; atque in hoc eodem valore explicationem satisfactoriam reperimus quare ab Apostolo etiam ad iustam ex verbo Dei demonstrationem afferantur.

Interdum quae longius a quovis aut litterali aut etiam typico sensu, i. e. a quavis logica connexione cum themate recedere videntur, forsan vicinissimo nexu copulantur, adhibenturque sensu prorsus litterali. Id de vexato Rom. 10, 3–9 loco videtur pronuntiandum, etsi communiter etiam a maxime conservativis interpretibus, ut Cornely, per accommodationem explicetur. Paulus id hoc loco agit ut quae 9, 30–32 de iudaeorum a vera iustitia aberratione ob falsum de ea praeiudicium asseruerat, testimonio legis, qua maxime gloriabantur, confirmet. " Cum ignorent verum iustitiae Dei conceptum, dum testimonio legis conantur suam iustitiam ex operibus stabilire, veram Dei iustitiam per fidem quam lex ipsa docet, non agnoscunt „. Hanc Paulus thesin duplici argumento probat : 1° generali, ex tendentia ipsa legis : " scopus ad quem lex, se tota, tendit, quem unice veluti suum finalem terminum expetit, Messias est, salus eorum qui eum recipiunt „ ; i. e. " centrum et scopus totius legis Christus est, prout credentium scilicet in se salvator ac iustificator „. Igitur ipsa lex profitetur salutem et iustitiam nonnisi per Christum mediante fide obtineri. Cum ergo iudaei Christum respuunt, et iustitiam

ex operibus legis testimonio statuere conantur, veram Dei iustitiam quam lex docet, ignorant. 2°) At expressius adhuc, pergit Paulus, lex declarat iustitiam quam sui impletione expetit, non a se sed a fide procedere. Lev. 18, 5 ait Moyses " iustitiam ex lege obtineri non posse nisi perfecto praeceptorum implemento „ ; id quod aliunde ex solis legis principiis impossibile declarat Psalmista (Ps. 143, 2) et confirmat ratio, cum legis munus sola boni ac mali demonstratione absolvatur, nec vires ad praeceptum implendum praestet. Testante ergo ipsa lege, in textu Levitici per Psalmum completo, nisi aliunde comparetur implendi facultas, et sic per hanc, nequit iustitia quam quaerit, obtineri.

Dt. autem 30, 11–14 declarat hanc facultatem quae legis implementum praecedere debet, ex fide derivari. Nam in promulgatione Legis, cum populus praeceptorum difficultatem, imo impossibilitatem causaretur ob facultatis ea implendi defectum (Dt. 30, 12, 13) (1), Moyses respondet: " non ita est: in corde tuo et in ore tuo habes in promptu quo vires ad implendum facile obtineas „ (v. 14). Moyses non definit ulterius quomodo populus habeat *in corde* et *in ore* quo legem possit implere: Paulus vero declarat Moysen dicere voluisse " in cordis *professione* et oris *confessione* „ fidei nimirum, i. e. *in fide* haberi quo lex impleatur et sic ad iustitiam perveniatur. Quid vetat quominus textum Deuteronomii ad litteram et omnino ad rem allegari a Paulo dicamus? Moyses quidem non dicit: " *per fidem* vires obtinebitis „ ; sed tamen dum populo difficultatem causanti respondet: non ita est; legis implementum tibi prope adiacet, " in corde tuo et in ore tuo „, duo elementa assignat quae adamussim fidei respondent cuius propriissimum est " corde „ (2) concipi et " ore „ exprimi, quis potest nos certos reddere Moysen non vere cogitasse *fidem*, idque Paulum scivisse aut traditione ac fontibus historicis, aut divina revelatione? Semel autem posito quod Moyses revera fidem cogitaverit, Paulus additione illa duplici: " i. e. Christum deducere „ ; " i. e. Christum a mortuis revocare „ nihil aliud facit quam assignare obiectum huic fidei, adaptato lepide ad singulas interrogationes, quibus lepide quoque difficultas po-

(1) Hanc difficultatem exprimunt illae exaggerationes positae in ore populi Dt. 30, 12. 13: " quis ascendet ad coelum? „ " quis transfretabit mare? „

(2) Corde, i. e. mente, intelligentia: לב.

puli describitur, articulo qui tendentiae interrogationis respondet(1). Ceterum, quid aliud magis accommodatum quam fides ad scenam quae in Dt. evolvitur tamquam a Moyse significatum duplici illa expressione proponi possit, vix concipitur. Populus causatur difficultatem implementi legis; Moyses respondet: non ita est, sed prope te habes, prorsus in tua potestate, in *ore* tuo et in *corde* tuo, per fervidae fidei conceptionem et confessionem quo valeas legem implere.

Demum memoremus locum celeberrimum Gal. 3, 16 b. Inter allegationes quae maxime reprehenduntur in Paulo, imo quae irridentur tamquam non solum arbitrariae, sed ridiculae, illa est qua Apostolus promissiones messianicas in " populo fidei „, non in " populo iudaico „ implendas praedici, probare contendit ex usu numeri singularis " semini „ non pluralis " seminibus „ in formula promissionis. Deus, dicit Paulus, cum Abrahami posteritati promisit benedictiones messianicas, usus est numero singulari non plurali. Ergo " uni „ non " pluribus „ Abrahae posteritatibus promissiones factae sunt. Sed illa posteritas est " semen ex fide „ christiani, Christus in homines per fidem diffusus, cum benedictiones dicantur perventurae per Christum ad omnes gentes. Ergo semen haeres promissionum non sunt iudaei sed christiani. In hac argumentatione, dicitur, perperam assumitur vocem זרע in significatione posteritatis sumi posse in plurali, cum impossibile sit ut unus homo plures posteritates (collective) habeat; nam omnes eius posteri unam tantum posteritatem efficiunt. — At quamvis physiologice verum sit axioma, " biblice „ non est ita. Scriptura evidenter distinguit in Abraham triplicem posteritatem: per Ismaëlem et filios Ceturae; per Isaac secundum carnem, et per fidem. In Abraham ergo, secus ac in ceteris stipitibus, poterat, imo debebat fieri distinctio seminum sive posteritatum, ut de facto videmus factam tum Gen. 25. 5 ubi filii Ceturae separantur ab Isaac, sicut antea Ismaël Gen. 21, 12; tum in omnibus locis ubi de semine Abrahae " per fidem „; tum expressius Gen. 17, 5; ubi postquam v. 2, nondum mutato nomine, iteratur promissio Gen. 12, 3 facta, deinde, inducta nova scena et quasi transportata vita Abrahae per augustiorem nominis appellationem " Abraham „, nova prolis

(1) Non est mens Pauli hoc duplici articulo omnia complecti aut praecipua quae fide tenenda sunt ad salutem: Apostolus cogitat de fide in Christum Salvatorem in genere, ex ea autem generalitate desumit ea quae ad rem faciunt.

promissio additur, procul dubio respondentis novo nomini, i. e. prolis per fidem. Vix enim dubium esse potest quin 17, 4–7 non eadem promissio fiat quae 17, 2 sed nova et multo excelsior.

3. Allegationum paulinarum textus

Quaestio haec, utpote respiciens citationes quae in " scriptis ,, Pauli cubant, opportunius forsan videretur remittenda ad alteram partem de Pauli scriptis ; nihilominus quoniam usus textuum Veteris Testamenti censetur veluti una ex praecipuis causis quae suo influxu ad Pauli mentalitatem certo modo conformandam contulerunt, et praeterea ne altera pars nimium oneretur, controversiam hoc in loco tractandam satius iudicavimus. Hodierni critici communiter, aut saltem magno numero, putant Paulum iam primaeva sua iuventute ante hierosolymitana studia septuagintaviralis versionis influxum alte subiisse, quo semel imbutum iam numquam exuisse, atque usque ad vitae finem alexandrinae translationi addictissimum perseverasse (1). Nullus tam inmodice hanc de Paulo opinionem inter nostrae aetatis scriptores exaggeravit quam Wilamowitz, iuxta quem Paulus " graeca solummodo Biblia legebat ,, (2) : at non admodum ab eo abludit Deissmann et cum eo alii haud pauci. Porro vel ipse Wilamowitz non eo processisse videtur ut Paulum linguam hebraicam ignorasse asserat ; sed certe eius verba usum proprie dictum et notitiam familiarem hebraici textus plane excludunt. Horum criticorum fundamentum est " color hellenisticus scriptorum Pauli ,, et eius " mentalitas ,, hellenistico gustu, spiritu ac sensis conformata ; atque ita quidem ut conceptio eius religiosa haud exiguam notionum supellectilem ex septuaginta mutuata sit (3). His omnibus vix vel in mentem venit quaestio de fonte citationum Pauli. Alii vero etiam inter protestantes, qui melius Pauli vitam et eius scripta expenderunt, non ita existimant (4). In primis quodcumque eius in hellenistico sermone dominium aut etiam in classico familiaritas ex epistolis ap-

(1) Deissmann, *Paulus*, p. 59-77.

(2) Ap. J. Weiss, *Urchrist.*, p. 303.

(3) Deissm., " Paulus erscheint so sehr als Septuaginta-Jude, und er beherrst die hellenistische Umgangssprache in so souveräner Weise dass wir eine starke Beeinflussung durch die Septuaginta und die hellenistische Umwelt bei ihm schon von Kind auf annehmen müssen „ (p. 63).

(4) Harnack, B. Weiss, Zahn, Kautzsch, alii.

pareat, non sequitur eum ignorasse aut etiam non perfecte calluisse linguam et textum hebraicum; praeter enim quam quod haud raro videmus nonnullos plura idiomata bene, imo et eleganter loqui, lingua hebraica ea aetate non erat iam vernacula, sed ad usum academicum in scholis rabbinicis pene redacta: hinc notitia linguae hebraicae apud Paulum simul cum hellenistica fuisset sicut apud nos notitia linguae latinae cum propria. Hinc ex epistolis concludi utique potest ac debet cum Wilamowitz vel Deissmann Paulum dialecto hellenistica apprime valuisse, at cum hoc non pugnat ampla hebraici idiomatis familiaritas ceu scientifici instrumenti: et sic restat integra quaestio de gradu notitiae quam in hebraico attingebat, ex allegationibus scripturisticis quae tot numero recurrunt in thesauro minime spernendo 14 epistolarum; imo nec desunt alia de hac re indicia ex hebraismis et aramaismis haud raro in epistolarum complexu occurrentibus. Demum cum ex Act. 21, 40 certo constet Paulum expedite lingua aramaica ceu vernacula usum fuisse et ex 22, 3 eum sub Gamaliele scientifico legis studio vacasse id quod sine hebraici sermonis notitia vix fieri potuisset, id sane valide confirmat in hebraica quoque, licet academica, egregie versatum fuisse cum inter utramque tam magna sit affinitas. Quibus accedunt ea quae ipse de sua genealogica origine, de affectione in suam gentem, de zelo iudaicarum traditionum tradit, quae totidem erant calcaria in hebraicae linguae accuratissimum studium incitantia.

Sed veniamus ad documentaria et directa argumenta pro nostra controversia, quae ipsis citationibus nituntur a Paulo ex Vet. Testamento haustis. Apostolo minime fuisse rem indifferentem ut allegationes ex quovis fonte desumeret, cuivis facile statim perspicuum fit ex hoc duplici capite: et quod de documento agatur in cuius testimonio, ceu irrefragabili ac divino, dummodo accurate allegaretur, suprema pro quavis re solutio quaerebatur, quod proinde intererat ut fideliter adduceretur; et quod ille qui ad documentum provocat, ultra reverentiam summam erga ipsum, facultate polleat, utpote rabbinus, documentum in suo originali consulendi. Certe, adhuc posita duplice hac conditione, cum Paulus plerumque ad communitates scriberet ethnico-christianas quae alexandrino codice utebantur, si in versione septuagintavirali plenam in reddendo textu fidelitatem reperiebat, non magna sese prodebat opportunitas ut hebraico textu uteretur quandoquidem in alexandrino conquiescere poterat. Nihilominus nec ad

solas communitates ethnico-christianas, sed ad palaestinensem quoque scripsit; nec fidelitas in versione LXX semper tanta est, ut non interdum ad hebraicum textum, maioris accurationis gratia, recurrere aut necessarium plane, aut valde opportunum esset. Demum quaecumque esset alexandrinae versionis fidelitas, Paulus non ut nos, aperto coram oculis codice, sed plerumque memoria citabat (1); quo posito, nihil mirum quod rabbino, cui familiaris erat lingua et textus hebraicus, nedum aequa promptitudine textus hebraicus imo forsan maiori quam alexandrinus obviaret.

Hisce animadversionibus praeiactis, ad singulas allegationes expendendas gradus faciendus esset ut ex comparatione citationum cum hebraico et alexandrino textu perspiciatur quaenam utriusque textus ratio a Paulo habita sit. Laborem peregerunt Kautzsch et Vollmer qui singulas per ordinem sententias a Paulo citatas cum respectivis tum LXX tum hebraici textus sedulo conferunt. Kautzsch summam completam citationum ex Vet. Test. apud Paulum (84) (2) in quinque classes distribuit: 1ª est earum quae accurate cum LXX et hebraico simul concordant: classis complectitur 24 citationes; 2ª earum quae accurate concordant cum LXX, at ex parte recedunt ab hebraico: complectitur 10 loca; 3ª earum quae leviter a LXX discedunt: loca 26. Kautzsch citationes has, utpote leviter tantum a LXX deflectentes ex hoc fonte desumptas putat; 4ª earum quae propius accedunt ad textum hebraicum; quarum adhuc duplex differentia: earum quae ita ad hebraicum accedunt ut nullam cum LXX affinitatem ostendant, et sunt duo loci ex libro Iob; et earum quae tametsi hebraico viciniores, retinent aliquid commune cum LXX: loci 3; 5ª earum quae ab utroque textu multum recedunt, ita tamen ut vel propius ad LXX (12 loci), vel propius ad hebraicum accedunt (2 loci) vel aeque ab utroque recedunt (5 loci). Facta enumeratione Kautzsch concludit: 1°) cum 24 citationes primae classis ad litteram concordent cum LXX, et in reliquis perspicue appareat versionem hanc prae manibus Apostoli fuisse, procul dubio illae 24 ex LXX desumptae sunt. Multo vero magis ex eodem fonte manant 10 citationes 2ae classis quae ultra litteralem concordiam cum LXX

(1) Non quod textum ipsum secum non asportaret; 2 Tim. 4, 13 suum discipulum rogat ut " veniens ad se afferat libros et *membranas* „. " Membranas „ interpretatur Theodoretus τὰ εἱλητά i. e. " volumina „, nempe Scripturae (M. 82, 853).

(2) Kautzsch non admittit epistolam ad Hebr. ut paulinam: hinc numerus 84 intelligendus in solis 13 reliquis epistolis.

discedunt plus minusve a textu hebraico : habemus ergo 34 citationes certo ex LXX derivatas. 2°) Citationes vero 26 tertiae classis leviter solum a LXX discedunt, ac proin discrepantia indubie adscribenda est modo citandi Apostoli, e memoria nimirum. Ergo 34 primae et secundae seriei adiungendae 26 quae tertiam efformant, et sic habemus 60 citationes a LXX manantes. 3°) Cum in 4ª classe ex 5 citationibus tres denuntient praesentiam versionis LXX prae manibus Pauli, habemus 63 ex ea derivatas. 4°) In 5ª classe ex 17 citationibus, 12, non obstante divergentia ab utroque fonte, propius accedunt ad LXX eiusque proin influxum produnt prae textu hebraico. Ex 84 ergo allegationibus, 75 procul dubio aut omnino, aut praevalenter, ex LXX influxu manant. Ex 9 reliquis *solae duae* exclusivam ab hebraico dependentiam denuntiant (1). Hinc etsi certe negari nequeat Paulum agnovisse textum hebraicum, tamen in suis allegationibus fere totus pendet ab alexandrina versione, et sic thesis a Wilamowitz, Deissmann et multis aliis passim propugnata vix in dubium revocari posse videretur.

At Kautzschii argumentatio thesim quam demonstrandam susceperat vel conclusiones ad quas se legitime deductum putat, non probat. Tota eius argumentatio hoc postulato nititur, quod massorethicus textus hebraicum aetatis Pauli fideliter referat : id vero critice nec certum nec satis probabile est. 1°) Kautzsch ex illo postulato eruit, quando de 2ª classe citationum agitur, omnes allegationes quae cum LXX conveniunt, dissentiunt autem a massorethico, desumptas fuisse ex LXX neglecto hebraico ; et sic ad 24 citationes primae classis quae cum LXX adamussim concordant, adiungendas quoque esse illas 10 secundae classis, unde numerus citationum quae ad litteram cum LXX conveniunt est 34. At everso postulato, ex eo quod 10 citationes secundae seriei dissentiat a massorethico textu non sequitur dissensisse ab hebraico Pauli. Ut vero perspicue appareat postulatum incertum esse, supponamus Paulum citasse in suis scriptis Ps. 22, 19 aut Ps. 110, 3 iuxta LXX aut forma eis simili. In hoc casu, Kautzsch, iuxta suum axioma, has citationes enumerasset ut ab hebraico discedentes, et tamen errasset, cum omnes textus massorethico antiquiores a massorethico dissentiant in utroque loco et praesertim in Ps. 22, 19. Igitur quod respectu horum locorum accidit, potuit quoque acci-

(1) Kautzsch, *De Vet. Testam. locis a Paulo allegatis*, pp. 108-110.

dere respectu saltem plurium inter illos 10 secundae classis, et sic forma quam in citationibus Pauli praeferunt, dissentiens a LXX, potest in iisdem ex influxu textus hebraici derivari. 2°) In serie 3ª similiter ex eodem principio, illae citationes quae a LXX *leviter* discedunt, quaeque simul a textu massorethico " plus minus recedunt „ censentur quasi manantes a LXX quia deviationes ab hoc textu " ad memoriae lapsum referendae sunt „ (p. 108). Sed quamprimum dubia redditur concordantia sive fidelitas textus massorethici cum hebraico aetatis Pauli, eo ipso ignota nobis redditur forma textus hebraici eo tempore: cur igitur deviationes a LXX non poterunt promanare ex influxu illius textus? Et revera citatio Rom. 2, 24 ex Isai. 52, 5 roborat coniecturam nostram. Paulus et LXX ita legunt: " τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ (LXX μου) δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσιν (ordo materialis vocabulorum est aliquantum diversus): " nomen Dei blasphematur propter vos inter gentes „ Massorethae praebent: וְתָמִיד כָּל־הַיּוֹם שְׁמִי מְנֻאָץ omissis δι' ὑμᾶς et: ἐν τοῖς ἔθνεσιν. Kautzsch utramque additionem a LXX ex proprio penu factam putat et Paulum utramque " imitatum fuisse i. e. textum LXX intactum retinuisse „ quantumvis, ut notat, retentio " minus congruentem Apostoli argumentationem redderet „. At cur non melius utraque omissio a massorethis facta fuisset resecto ampliori originali? Certe pro hac explicatione agit *a*) duplex testimonium antiquius et origini textus vicinius: *b*) notitia accurata textus sacri in Paulo, apostolo et insuper rabbino: *c*) congruentia maior argumentationis. Possumus alterum fundamentum afferre eiusdem coniecturae ex Rom. 9, 9 ubi Gen. 18, 10 citatur. Certe citatio Pauli vicinior est textui hebraico quam alexandrino ex verbis: " *et erit* Sarae filius „. 3°) Etiam citationes primae classis non admodum firmae sunt. Cum enim pleraeque admodum breves sint, prout iampridem notaverat Bleek, facile fieri potuit ut Paulo e memoria citanti, in translatione sua idem vocabulum occurreret quod interpreti alexandrino.

Methodus quam in investigatione sua sequitur Vollmer, diversa est. Proposita primum Pauli dependentia ab alexandrina translatione in complexu religiosae conceptionis, quam Vollmer ostendere conatur veluti undequaque inspiratam in assidua alexandrini codicis lectione, iam non tam curat de exponenda Pauli ad LXX textum habitudine quae ex dictis veluti per se nota assumitur, quam ad varias textus alexandrini recensiones (ABא et alias quas appellat Vollmer *praecursorias* A Th S) quasi nimirum textus hebraicus alienus penitus et tamquam abrasus a

Pauli memoria post conversionem fuisset. Hanc methodum " omni arti criticae contrariam „ explicat Vollmer in Apostolo ex paritate reverentiae quae, teste Philone, impendebatur alexandrinae versioni cum hebraico originali (1). Vollmer igitur duplex Kautzschii axioma (i. e. postulatum) de identitate textus hebraici cum massorethico tempore Pauli, ac de neglectu fere absoluto hebraici textus penes Apostolum propellit ad extremum. Sed merito poteris interrogare quo pacto haec concilientur tum cum Apostoli " manifesta propensione „ ad coacervanda testimonia ex " Thora Nebiim et Kthubim „, tum cum studio conficiendi quasi promptuarium biblicae theologiae rabbinicae iam ante Paulum apud rabbinos evoluto, per Apostolum autem veluti scholae hereditate recepto et continuato (2) : haec enim duo virum supponunt scholae ac methodis rabbinicis addictissimum. Si autem scholis et methodis, quomodo non et textui, cum notissimum sit huic potissimum elaborando contulisse suam operam rabbinos a primaeva iam per scribas rabbinismi institutione ? Deinde quo iure explicationi quae maxime obvia est de respectu ad textum nativum, cum agatur de rabbino propriis traditionibus addictissimo, prout ex Pauli ipsius testimonio constat, praefertur illa de multiplicandis sine fine recensionibus aut versionibus quarum nullum ullibi exstat vestigium ?

Quae hactenus de Pauli citationum fontibus dicta sunt, non alio animo sunt prolata nisi ut appareat quam gratuita et parum fundata sit solutio passim a criticis protestanticis et nonnullis catholicis propugnata de dependentia fere exclusiva Pauli a textu Septuaginta. Fatendum est inter ipsos protestanticos criticos et exegetas non deesse qui solutionem hanc minime probant : et quidem praestantissimos eorum aut in aliam solutionem propendere, aut communem nonnisi admodum mitigatam admittere. B. Weiss ita scribit : " Paulus praevalenter adhibet textum LXX etiam in locis ubi graecus textus non insignificanter ab hebraico dissentit. Tamen ostendit interdum notitiam et usum textus originalis, prout ex rabbinica eius institutione exspectandum erat „ (3). Plura etiam contra Kautzsch et Vollmer observat König, eo nimirum respicientia ut multo ampliorem usum hebraici textus Paulo vindicet (4). Sed ulterius

(1) Vollmer, *Die altest. Cit.*, pp. 11. 12.

(2) Haec duo attribuit Vollmer Paulo : *Die altestamentl. Citate*, p. 37 sqq.

(3) *Die Theol. des N. Test.*, p. 276. Weiss hunc textus originalis usum ultra duplicem citationem ex Iob protrahit : hinc se ad conclusionem venisse ait " nonnihil diversam „ a kautzschiana.

(4) König, *Theol. Litteraturbl.* 1896, n. 14. König improbat pluralitatem graecarum versionum : item postulatum fundamentale Kautzschii et Vollmer de identitate textus massorethici cum paulino hebraico.

procedit Theodorus Zahn qui merito notat " laboribus Kautzschii et Vollmerii nullatenus expeditam fuisse controversiam, neque admodum eius solutionem promoveri observationibus quibusdam singularia solum respicientibus prout facit König „ (1). Zahnii observatio prudentissima est : his omnibus semper movemur in eodem angustissimo ambitu praevalentis dependentiae ex LXX quae aliunde gratuitum postulatum est ; et differentiae solum versantur in mensura plus minusve ampla huius praevalentis dependentiae quae ceu axiomatica admittitur. Controversia, etsi omittere non possit analysin citationum, ut tamen adaequate explicet tot divergia a LXX et tot approximationes ad textum hebraicum debet accurate expendere tum modum citandi e memoria, tum maxime Pauli historiam. Haec duo non satis habent prae oculis hodierni critici ; si enim haberent, non tamquam rem indubiam admitterent Pauli neglectum erga textum hebraicum. Paulus erat *hebraeus* i. e. non iudaeus utcumque, verum etsi natus in Diaspora, patre et matre progenitus erat qui recens Iudaeam reliquerant, quique inter hellenistas, patrias traditiones retinebant, easque filiis sedulo transmittebant. Iuvenis adhuc missus erat Hierosolyma ut ibi rabbinica studia apud Gamalielem perficeret : addictus fuit pharisaeorum sectae eiusque fervidissimus promotor : hinc et mente et voluntate rabbinismo palaestinensi plane imbutus. Certe verisimile non est talem virum, quantumvis in versione LXX libenter Dei verbum agnosceret substantialiter authenticum, ita fuisse oblitum domestici textus in quo aliunde, etiam ut christianus non minus, sed magis quam in translatione, Dei oracula reverebatur ut, etiam cum alexandrinam versionem vel eius usitatam formam relinquendam exsistimaret, eam vel aliis versionibus, vel aliis recensionibus et non textu originali substituendam curaret. Hinc sponte ad sententiam Hieronymi expendendam deducimur secundum quam apostoli et inter eos maxime Paulus " ubi LXX ab hebraico discrepant, hebraeum sensum suis expresserint sermonibus „ (2). Si haec explicatio difficultatibus non caret, certe id non est ob " duplicis textus frequentem alterationem „, ut vult Vollmer ; cum Paulus minime varios coram oculis sacri textus codices apertos haberet dum scriberet ; sed quod, inter deviatio-

(1) Zahn, *Einleit.* 1, 50.

(2) Apol. contr. Ruf. 2, 34 (M. 23, 456). Ad hanc formulam accedit, ut vidimus, B. Weiss.

nes a versione LXX, possunt esse nonnullae quae non tam a textu hebraico proveniant quam a libera apud Apostolum citandi ratione, quae sensum potius quam litteram curaret. Quamvis igitur nec negari possit magna in Paulo ab alexandrinis dependentia, nec, altera ex parte, omnis a LXX deviatio continuo ex litterali textus hebraici influxu explicanda necessario sit, adhuc remanet ampla citationum seges praesertim si prae oculis habeantur quae prima Kautzschii classe observata sunt, quae certo a septuaginta-virali fonte independentes sunt, quaeque bona ex parte vel a spiritu vel a littera textus hebraici tunc exstantis manant.

A. M. D. G.

IMPRIMI POTEST

Josephus Filograssi S. I.

Praepr. Prov. Rom.

IMPRIMATUR

† Josephus Palica, Arch. Philipp.

Vicesg.

31756

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS2651.M67 C001
PAULUS ET PAULI SCRIPTA ROMAE

3 0311 00024 0494

WITHDRAWN

BS
2651
.M67
AUTHOR
31756
Murillo, Lino, 1852--
TITLE
PAULUS ET PAULI SCRIPTA.
DATE DUE
BORROWER'S NAME

Murillo, L. S.J.
Paulus Et Pauli Scripta

227.08
MUR